Feb 20, 1963

MANUALE

PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ

IMPRIMATUR

Lugduni, die 6[a] novembris 1900.

A. BONNARDET, *v. g.*

MANUALE
PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ

COMPLECTENS :

Lexicon scholasticum,
Logicam, Ontologiam, Cosmologiam,
Psychologiam, Theologiam naturalem,
Ethicam et jus naturale.

QUIBUS ACCEDIT OPUSCULUM :

Précis de l'Histoire de la Philosophie.

AUCTORE

ELIA BLANC


Philosophiæ scholasticæ professore apud Universitatem
Catholicam Lugdunensem.

TOMUS PRIMUS

LEXICON SCHOLASTICUM — LOGICA — ONTOLOGIA — COSMOLOGIA

LUGDUNI
Emmanuel VITTE, editor
3, FORO DICTO BELLECOUR

MCMI



PRÉFACE

Ce *Manuale philosophiæ scholasticæ* répond aussi fidèlement que possible au *Traité de Philosophie scolastique*. On y trouvera exactement le même ordre, les mêmes divisions et la même doctrine, mais sous une forme plus didactique, appropriée à l'enseignement classique des séminaires.

Il importe et il est même indispensable que la philosophie scolastique élémentaire soit enseignée en latin, c'est-à-dire dans la langue de ses auteurs. On ne peut la connaître sérieusement qu'en se familiarisant avec la lecture de ceux-ci, et en particulier avec celle de saint Thomas.

Aussi s'est-on appliqué dans ce *Manuale* à mettre l'esprit du lecteur en communication directe avec l'Ange de l'Ecole. Des citations choisies et nombreuses, le soin qu'on a mis à les éclaircir, la facilité offerte à l'étudiant de devenir ainsi le disciple immédiat du prince de la scolastique, sont la marque distinctive de cet ouvrage. C'est de là qu'il tire sa principale raison d'être et, s'il en a quelqu'un, son véritable mérite.

L'auteur s'est conformé ainsi à cette recommandation pressante de l'Encyclique *Æterni Patris* : « Providete ut sapientia Thomæ ex ipsis ejus fontibus hauriatur... »

D'autre part, le *Traité de philosophie scolastique* sur le plan duquel est calqué le *Manuale*, en est

comme le commentaire perpétuel, l'adaptation à la langue française et à l'esprit de notre race. Cette langue et cet esprit sont les héritiers les plus directs et les plus authentiques des grands scolastiques du moyen âge. Ni le *Manuale* n'est donc une traduction latine du *Traité*, ni le *Traité* n'est une traduction française du *Manuale ;* mais la même philosophie s'exprime spontanément dans les deux langues : ici, dans la langue de l'Ecole et sous forme didactique ; là, dans la langue française, la plus claire et la plus philosophique des langues vivantes, celle qui allie le mieux l'aisance et l'ampleur à la précision. Ces deux ouvrages s'accompagnent donc et se complètent mutuellement.

Le *Manuale* est précédé d'un *Lexicon scholasticum*, qui n'est pas moins utile ici que le *Vocabulaire de la philosophie scolastique et de la philosophie contemporaine* dans le *Traité*. Il est suivi d'un *Précis de l'Histoire de la Philosophie*.

Puisse cet ouvrage, malgré ses imperfections, et à la suite de tant d'autres traités analogues et estimables qui l'ont précédé dans les séminaires, contribuer lui aussi à faire aimer du jeune clergé les études philosophiques !

Lyon, le 25 décembre 1900.

LEXICON SCHOLASTICUM

IN QUO

Distinctiones et axiomata præcipua explicantur.

A. Una ex quatuor litteris quibus designantur quatuor species propositionum in syllogismo, scilicet : propositio universalis affirmativa (A) ; propositio universalis negativa (E) ; propositio particularis affirmativa (I) ; propositio particularis negativa (O), juxta illud :

Asserit A, negat E, verùm generaliter ambo.
Asserit I. negat O, sed particulariter ambo.

Absolutum. Est id quod ad aliud non refertur. Primum absolutum Deus est. Deinde substantia dicitur absoluta quatenus in se existit et non in alio ; qualitas et quantitas dicuntur accidentia absoluta, quatenus relatione non constituuntur. — Axioma : *Absolutum relativo supponitur*. Ex. g. creatura Deum supponit, et accidens substantiam.

Abstractio. Actus quo intellectus abstrahit universale a particulari ut objectum consideret sine notis individuantibus. Hæc est abstractio proprie dicta, seu *logica*, *intentionalis*, quæ longe differt ab abstractione *physica*, ut ita dicam, qualis est, ex. g., perceptio coloris vel saporis in fructu. Solius abstractionis logicæ effectus vel objectum est aliquid universale. — Distinctiones : *Abstractio metaphysica*, quæ abstrahit ab omni materiâ ad considerandas naturas, essentias, etc. — *Abstractio mathematica*, quæ abstrahit a qualitatibus sensibilibus, non autem a materiâ intelligibili, retinendo scilicet quantitatem, figuram, numerum etc. — *Abstractio physica*, seu potius scientiis physicis propria, omnino diversa ab apprehensione sensibili de quâ supra dictum est, quæ abstrahit solummodo a materiâ individuali ad considerandas qualitates sensibiles in genere. — Axioma : *Abstrahentium non est mendacium*, scilicet falsitas non est in ideis ipsis, sed in affirmatione vel negatione unius ideæ vel rei de aliâ.

Abstractiva. Idea vel cognitio abstractiva, ea dicitur quam habemus de unâ re per aliam quâ exprimitur ; unde fructus est abstractionis et ratiocinii. Ita cognoscimus causam per effectum et Deum per creaturas. Cognitio abstractiva opponitur *intuitivæ*, quâ res immediate cognoscitur. Ita beati Deum vident.

Abstractum. Idem est ac universale seu idea generalis. Opponitur *concreto* (v. concretum). — AXIOMA : *Abstractius quo aliquid est, eo simplicius*. Nam quo magis aliqua idea est generalis, eo minus comprehendit notas. Ex. g. idea entis, quæ est abstractissima, est etiam simplicissima.

Absurdum. Id quod repugnat et intelligi nequit. Unde omne absurdum est falsum, sed non omne falsum est absurdum. — AXIOMA : *Ab absurbo sequitur quodlibet.*

Accidens. Ens in alio, id quod *substantiæ* vel *essentiæ* accidit. Accidens oppositum substantiæ est accidens ontologicum : ex. g. dimensio, color ; accidens oppositum essentiæ est accidens logicum : ex. g. ramus in arbore. — DISTINCTIONES : *Accidentia absoluta, accidentia relativa*. Illa sunt quantitas et qualitas, quæ substantiam afficiunt immediate (v. n. 492) — *Per se*, *per accidens*. *Per se*, id est, ex naturâ suâ, essentialiter; *per accidens*, id est, propter circumstantias aut aliud adjunctum : Ex. g. bonum est causa mali per accidens; cibus est causa per se sanitatis, per accidens autem est causa agritudinis — AXIOMATA : *Accidens est entis potius quam ens*, id est, complet ens potius quam constituit; ens habet per substantiam — *Accidentis esse est inesse*, id est, non intelligitur accidens sine inhæsione actuali aut saltem virtuali — *Accidens uni non est alteri substantia;* nam accidentis natura est immutabilis.

Actus. Ipsum ens quatenus ens seu entis perfectio. Opponitur *potentiæ*, quæ imperfectionem importat — DISTINCTIONES : *Actus purus. Actus non purus.* Ille est qui imperfectionem seu potentiam, quatenus mera potentia est, non importat : ita solus Deus — *Actus secundus* est actio seu operatio ; dicitur secundus respectu habitûs vel potentiæ unde oritur ; vel etiam respectu naturæ, quæ est *actus primus* tam potentiarum et habituum quam operationum. — *Actus subsistens, actus non subsistens*. Ille est forma substantialis quæ existere potest sine materiâ : ita angelus et anima humana. Hic autem existere nequit sine materiâ : ita anima bruti — *Actus elicitus, actus imperatus*. Respectu voluntatis, actus elicitus est consensus sive volitio, quæ ab ipsâ voluntate immediate procedit ; actus imperatus procedit ab aliâ facultate sub influxu voluntatis : ita ambulare, meditari — *Actus hominis, actus humanus*. Ille est cujus homo est causa, sed non dominus : ita respirare durante somno ; hic est actus cujus homo est perfecte causa seu dominus, ideoque est actus deliberatus — AXIOMATA : *Actus est prior potentiâ*. Nam, in ordine logico, potentia cognoscitur per actum ; et, in ordine ontologico, nequit reduci in actum nisi per aliquod ens in actu — *Actus est qui separat et distinguit*. Nam entia determinantur, specifi-

cantur, cognoscuntur per formas, differentias specificas et operationes, id est, uno verbo, per actum — *Ex duobus entibus in actu non fit unum per se*. Est corollorarium præcedentis — *Actus et potentia sunt contraria*, id est, se mutuò excludunt in eodem subjecto et sub eodem respectu — *Actus et potentia quæ ad illum essentialiter ordinatur sunt in eodem genere*, id est, si actus est accidentalis, potentia est accidentalis (v. etiam n. 421).

Actio. Actio est operatio seu actus secundus. Quatenus categoria, actio est accidens vi cujus causa est in actu. Actio importat relationem et *passioni* opponitur. — Distinctiones : *Actio immanens*, *actio transiens*. Illa est cujus terminus est in subjecto agente : ex. g. cogitatio, omnis actio vitalis. Hæc est cujus terminus est extra subjectum agens : ita actio mechanica. — Axiomata : *Actiones sunt suppositorum*, id est, tribuuntur supposito seu personæ potius quam naturæ : suppositum enim est *quod agit*, natura vero est *quo agit*. — *Non datur actio in distans*. Agens enim non potest agere ubi non est per se aut per medium.

Æstimativa. Facultas sensibilis interna, quâ animal discernit nociva ab utilibus et convenientibus (v. cogitativa et n° 854).

Æviternitas seu *ævum* est id quod non habet in se prius et posterius sed ei conjungi possunt (v. n. 518).

Agens. Illud quod est principium actûs seu operationis. Opponitur *patienti*. — Axiomata : *Agens omne agit in quantum est actu*. — *Agens*, *quatenus agens*, *non mutatur*. Nam mutari idem est ac pati ; agens autem, quatenus tale, non est patiens — *Agens non agit in simile*. Nam agens non potest agere in aliud nisi quatenus ab eo differt. — *Agens agit simile sibi*. Nam effectus est similis causæ.

Aliquid. Hac voce designatur unum ex transcendentalibus, scilicet ens quatenus distinctum ab alio (v. n. 390).

Analogia. Res *analogæ* distinguuntur ab *univocis* et ab *æquivocis*. Distinguitur etiam analogia *attributionis* ab analogiâ *proportionis* etc. (v. n° 52 et seq.).

A priori, a posteriori. Hæc dicuntur præsertim de methodo et ratiocinio. Ratiocinari *a priori*, id est, ex naturâ rei, ex principiis rationis. Ratiocinari *a posteriori*, id est, ex effectibus, ex experientiâ.

Arbor Porphyrii. Dicitur de quadam ordinatione generum et specierum, a genere supremo substantiæ ad speciem humanam, quæ est species infima. Hoc modo : substantia est

spiritualis vel corporalis : hinc duæ species. Substantia corporalis seu corpus est organicum vel inorganicum; corpus organicum est sensible vel non; corpus sensible seu animal est rationale vel non. Animal rationale est species humana, cujus individua sunt Petrus, Paulus, etc.

Aseitas. Perfectio entis quod *a se* existit, independenter a quovis alio ideoque necessariò. Aseitas differt a *perseitate* et soli Deo est propria.

Attentio. Actus quo mens se convertit ad unam rem præ ceteris considerandam — DISTINCTIO : *Attentio*, *intentio*. Illa est mentis formaliter; hæc autem, voluntatis. Verumtamen attentio voluntate imperatur. — AXIOMA : *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

Bonum. Bonum est quod omnia appetunt ; unde est essentialiter finis.— DISTINCTIONES : *Bonum honestum*, *utile*, *delectabile* (v. n. 453). — *Bonum metaphysicum*, *physicum*, *morale*. Bonum metaphysicum est in ipso ente ; unde, sub hoc respectu : *Omne ens est bonum* (v. n. 451) ; bonum physicum est perfectio physica quæ convenit unicuique enti secundùm suam naturam ; bonum morale non differt ab honesto ; unde entibus rationalibus est proprium.— AXIOMATA : *Bonum est diffusivum sui*. Nam bonum, utpote finis, appetitur et perficit — *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quocumque defectu*. Multa enim requiruntur ut aliqua res sit bona et perfecta ; quorum si deficit unum, jam res evadit mala — *Bonum totius est etiam bonum partium*. Est corollarium præcedentis. E contra, malum totius non est ideo malum partium — *In bonis actus præferendus est potentiæ*. Nam actus addit aliquid supra potentiam — *Non sunt facienda mala ut eveniant bona* (v. n. 1192).

Categoremata. Hoc nomine etiam vocantur prædicabilia : genus, species, etc. (v. n. 54).

Categorematicum. V. infinitum.

Categoria. A voce græca quæ significat *attributum*, categoriæ sunt modi speciales entis, genera suprema rerum, scilicet : *substantia*, *quantitas*, etc. (v. n. 63 et 475).

Causa. Principium alicujus existentiæ, id quo aliquid efficitur — DISTINCTIONES : *Causa prima*, Deus. *Causæ secundæ*, creaturæ — *Causa occasionalis*, *causa conditionalis*, seu occasio et conditio, quæ non sunt veræ causæ. — *Causæ intrinsecæ*, materia et forma, etc. (v. caput XXIX).— AXIOMATA : *Non datur effectus sine causâ*, seu : *Nihil fit, nihil incipit sine causâ* (v. n. 324) — *Causa causæ est etiam causa causati* — *Causâ sublatâ, tollitur effectus. Positâ causâ, datur effectus.* Agitur quidem de causâ in actu. — *Variante causâ, variatur*

effectus. — *Propter quod unumquodque tale et illud magis.* Nam tota ratio effectùs est in causâ, prout causa est (Cf. etiam S. Th. Iª, q. 87, a. 2, ad 3).

Certitudo. Status intellectùs judicantis absque formidine errandi (v. n. 177 etc.)

Cogitativa seu *Ratio particularis.* Eadem est ac *æstimativa*, apud hominem spectata (v. n. 854).

Collectiva (idea) ea est quæ convenit pluribus subjectis simul sumptis (v. n. 51). — Distinctiones : *Collective, distributive*, id est omnibus simul sumptis vel singillatim. — *Collective*, *universaliter*, eodem modo distinguuntur.

Compositum. Idem est ac totum (v. caput xxiii de uno). — Distinctiones : *Compositum physicum*, *metaphysicum*, *logicum.* Primum constat partibus physicis (sic homo, quatenus constat animâ et corpore) ; secundum constat partibus metaphysicis (homo quatenus constat potentiâ et actu, essentiâ et existentiâ) ; tertium constat partibus logicis (homo quatenus constat genere et differentia). — *Compositum substantiale, accidentale.* Primum constat partibus substantialiter unitis (ita planta, animal, homo). Secundum constat partibus accidentaliter unitis (domus constans lapidibus, etc.)

Comprehensio. Speciatim dicitur de notis pluribus vel paucioribus quæ in ideâ continentur. Opponitur *extensioni* (v. n. 59 et 36).

Conceptus. Idea vel apprehensio. — Distinctio : *Conceptus formalis*, *conceptus objectivus.* Ille est verbum mentale seu idea ipsa quatenus est principium cognoscendi ; hic est idea quatenus aliquid exprimit (v. n. 41).

Conceptualismus. In genere conceptualismus est systema eorum qui contendunt universalia non esse nisi ideas (v. n. 298, etc.).

Conclusio. Ultima propositio syllogismi. — Axiomata : *Conclusio sequitur debiliorem partem antecedentis* (v. octavam regulam syllogismi, n. 147). — *Ex vero nunquam sequitur falsum, et ex falso verum sequi per se nequit.* Nam verum nonnisi verum continet ; verum autem, si continetur in falso, est verum aliunde.

Concretum. Est individuale et opponitur *abstracto.* — Distinctiones : *Termini concreti, termini abstracti.* Illis exprimitur subjectum cum suâ formâ : ex. g. rubrum, magnum ; his autem exprimitur ipsa qualitas quasi separata : ex. g. rubor, magnitudo.

Concursus divinus. Est influxus Causæ primæ in causas secundas, quæ nihil agere possunt nisi sub hoc influxu.

Conditio. Id sine quo causa effectum producere nequit (v. n. 522). — *Conditio sine qua non*, id est, absolute necessaria.

Conscientia. Actio vel facultas quâ subjectum seipsum cognoscit. — DISTINCTIONES : *Conscientia intellectualis*, *psychologica*, *moralis*; *conscientia sensitiva*. Conscientia intellectualis, quæ est conscientia proprie dicta, est ipse intellectus quatenus in seipsum redit vel in varias affectiones subjecti. Distinguitur in *psychologicam* et *moralem*. Hæc judicat de actibus in ordine ad legem moralem (v. n. 875, etc.). *Conscientia sensitiva* est sensus internus, qui dicitur communis (v. n. 836).

Consequens. Speciatim dicitur de conclusione syllogismi, et opponitur *antecedenti*, quod constare potest duabus præmissis. — DISTINCTIO : *Consequens*, *consequentia*. Hæc non est ipsa conclusio, sed ejus nexus cum antecedente.

Consequenter. — DISTINCTIO : *Consequenter*, *antecedenter*, *concomitanter*. Hæc tria innuunt tres præcipuas relationes unius cum altero, ratione causalitatis vel temporis. Aliquid enim est post alterum, vel ante illum, vel cum illo.

Contactus. — DICTINCTIO : *Contactus physicus*, *contactus virtutis*. Ille est inter corpora; hic est inter spiritum et corpus quod informat vel movet.

Contingens. Id quod potest non esse. — AXIOMA : *Necessarium contingente supponitur* (v. n. 461).

Continuitas. — AXIOMA, quod dicitur etiam « lex continuitatis » : *Natura non facit saltum*, id est, res gradatim perficiuntur seu evolvuntur. Sed falsum esset asserere naturas seu essentias paulatim fieri vel transmutari.

Continuum. Id cujus partes non sunt divisæ, ita ut finis unius sit principium alterius. — DISTINCTIONES : *Continuum permanens*, *continuum successivum*. Illud est cujus partes simul existunt : ita spatium, linea mathematica ; hujus autem partes successive existunt : ita tempus.

Contradictio. Oppositio inter duas propositiones quæ simul qualitate et quantitate differunt (v. n. 132 et seq.). — AXIOMA, quod dicitur « principium contradictionis » : *Impossibile est idem esse et non esse simul et sub eodem respectu* (v. n. 315 et seq.).

Contrapositio. Conversio propositionum, quæ fit afficiendo negatione unum et alterum terminum (v. n. 138).

Contrarietas. Speciatim dicitur de oppositione propositionum quæ solummodo qualitate differunt (v. n. 134 et seq.). — AXIOMATA : *Contrariorum eadem est disciplina, scientia, ratio ;* et etiam : *Contraria juxta se posita magis elucescunt*. Revera, ex. g. falsum cognoscitur per verum, malum per bonum, etc. — *Contraria contrariis curantur*, et : *Similia similibus curantur*. Utrumque verum est, in debitis conditionibus. — *Ex contrariis omnia fiunt*. Ubique enim invenitur oppositio, juxta illud Scripturæ : *Omnia duplicia et unum contra unum* (v. categorias Pythagoricas, n. 478).

Conversio propositionum, mutatio quæ fit sufficiendo prædicatum in locum subjecti, et subjectum in locum prædicati, salvâ propositionis veritate (v. n. 138).

Corpus. Compositum ex materiâ et formâ. — DISTINCTIO : *Corpus mathematicum, corpus physicum*. Illud est corpus spectatum quatenus extensum, abstrahendo a qualitatibus sensibilibus ; corpus autem physicum qualitates sensibiles importat.

Corruptio (v. generatio).

Creatianismus. Vera doctrina de origine animæ humanæ, quæ ab ipso Deo, immediate creatur. Opponitur traducianismo et generatianismo.

Creatio. Productio rei in esse secundùm totam suam substantiam, ut ait S. Th., seu productio alicujus rei ex nihilo sui et subjecti — DISTINCTIONES : *Creatio, generatio*. Hæc non fit nisi ex præexistente materiâ, cùm sit quædam transformatio substantialis (v. generatio, transformatio) — *Creatio, annihilatio*. Hæc esset transitus totius entis ab esse ad non esse.

Criteriologia. Pars logicæ quæ de criteriis tractat. Nonnulli criteriologiam ad psychologiam potius reducunt.

Criterium. Id quo verum a falso secernitur (v. Caput XII et seq).

Definitio. Explicatio naturæ alicujus rei vel significationis alicujus vocabuli. Hinc *definitio nominis* et *definitio rei* (v. caput V).

Demonstratio. Argumentatio ex certis principiis ad certam conclusionem — DISTINCTIO : *Demonstratio propter quid, demontratio quia*. Illa fit per essentiam rei seu causas ejus necessarias (v. n. 193).

Desiderium seu **cupido**. — Motus appetitûs in bonum non possessum — AXIOMA : *Ignoti nulla cupido*. Nam appetitus non movetur nisi aliquâ cognitione.

Deus. Causa prima, ens a se (v. caput LX.)

Dialectica. Ars ratiocinandi, quæ dicitur etiam logica formalis (v. Caput III).

Dictum de omni, dictum de nullo. Sic designantur duæ regulæ syllogismi generales, quæ ipsæ fundantur in principio identitatis. Prima est : *Quidquid de omnibus valet, valet etiam de quibusdam et singulis ;* secunda : *Quidquid de nullo valet, nec de quibusdam et singulis valet* (v. n. 144).

Differentia. Id quo species differunt inter se (v. n. 54 et seq.) — Distinctiones : *Differentia essentialis, differentia accidentalis*. Illa est inter species proprie dictas, id est, inter entia quæ conveniunt in uno genere, quamvis non habeant eamdem naturam seu essentiam — *Differentia, diversitas, distinctio* (v. n. 61) — Axioma : *Differentia nobilior est genere.* Comparatur enim ad genus sicut actus ad potentiam, forma ad materiam.

Dilemma. Quasi duplex syllogismus, cujus conclusio eruitur ex duabus propositionibus contradictoriis (v. n. 159).

Distinctio. Carentia identitatis — Distinctiones : *Distinctio realis, distinctio logica* (v. n. 438).

Diversitas. Differentia totalis, qualis est inter genus et genus (v. differentia).

Divisio. Logice spectata, divisio est actus quo mens partes objecti distinguit et distribuit in partes (v. n. 99, 111, 114).

Dubium. Status mentis ancipitis inter duo judicia contradictoria (v. n. 179).

Duratio. Permanentia entis, vel cum successione (tempus), vel sine successione (æternitas).

Dynamilogia. Sic vocatur pars psychologiæ quæ versatur circa potentias animæ (v. caput XLVII et seq.)

Eductio. Actio causæ quâ nova forma prodit ex potentiâ materiæ : ita forma statuæ educitur ex marmore ; forma plantæ educitur ex humo. — Distinctio : *Eductio, creatio*. Hæc est eductio ex nihilo, non autem ex materiâ præexistente. Insuper eductio est formæ, non autem ipsius entis cujus est forma; creatio autem, sicut transformatio et generatio, ad ipsum ens terminatur.

Effectus. Id quod producit causa. — Axiomata : *Effectus posterior est suâ causâ*. Nam actus est prior potentiâ Sufficit autem ut causa sit prior origine seu naturâ. — *Effectus est proportionatus suæ causæ efficienti.* Quidquid enim est in

effectu accipitur a causâ. — *Idem effectus non potest produci pluribus causis* (v. n. 534).

Eminenter. Distinctio : *Eminenter*, *formaliter*, *virtualiter*. Dicuntur speciatim de modis quibus effectus continentur in causâ. Vel effectus est in causâ sub formâ nobiliori seu eminenti : ita creatura est in Deo ; vel sub eâdem formâ : ita natura humana, quæ est in puero, invenitur formaliter in patre; vel effectus invenitur in virtute causæ : ita planta in grano.

Ens. Quidquid est. — Dist. : *Ens a se*, *ens ab alio* seu *participatum*. Ens a se existit per essentiam suam ; ens ab alio existentiam recepit. — *Ens in actu*, *ens in potentiâ*. Ens in actu est ens ut ens ; ens in potentiâ est possibile aut perfectibile. — *Ens reale*, *ens rationis*, *ens imaginarium*. Ens reale est concretum et formaliter existit ; ens rationis non existit formaliter nisi in mente (ita genera, species, universalia) ; ens imaginarium est concretum et sensibile, sed non existit nisi in imaginatione. — *Ens primum*, *ens secundum*. Quandoque accidens dicitur ens secundum respectu substantiæ, quia est potius entis quam ens. — *Ens*, *essentia*. Ens est id *quod est ;* essentia seu natura est id *quo* res *est* id quod est. — Axiomata : *Omne ens est unum*, *verum*, *bonum* (v. n. 436, 443, 451). — *Agere sequitur esse*. — *Modus agendi sequitur modum essendi*. — *Esse est propter operari*. Nam actus est perfectio entis. — *Entia non sunt multiplicanda sine necessitate*.

Enthymema. Syllogismus implicitus, cujus una præmissa subauditur (v. n. 155).

Epicherema. Syllogismus cujus una saltem præmissa est causalis (v. n. 156).

Error. Judicium falsum. — Dist. : *Error*, *ignorantia*, *nescientia*. Hæc est mera negatio scientiæ ; ignorantia est simul negatio et privatio ; error est judicium, sed falsum (v. n. 179).

Essentia. Est id quo res est id quod est. Opponitur existentiæ (v. n. 398). — Dist. : *Essentia logica*, *essentia realis* (v. n. 400). — *Essentia*, *natura*. Hæc est essentia prout est principium operationis. — Axiomata : *Essentiæ sunt immutabiles*, *æternæ*, *indivisibiles*, etc. (v. n. 401 et seq.).

Evidentia. Fulgor veritatis, mentis assensum rapiens. — Dist. : *Evidentia objectiva*, *evidentia subjectiva* (v. n. 249 et seq.).

Existentia. Actus essentiæ seu actualitas entis (v. n. 393 et seq.).

Extrinsecum. Id quod naturam rei non ingreditur. Oppo-

nitur *intrinseco.* — DIST. : *Ab extrinseco, ab intrinseco,* id est, vi alicujus principii extrinseci vel intrinseci, Ex. g. spontaneitas est *ab intrinseco ;* coactio verò, *ab extrinseco.*

Facultas. Potentia agendi seu qualitas activa. — DIST. : *Facultas, potentia.* Facultas est proprie potentia cujus operationes plus minusve libero arbitrio subduntur : ita potentiæ sensitivæ et intellectivæ.

Falsum. Id quod non est verum. — AXIOMA : *Falsum fundatur in vero.* Nam omne ens est verum metaphysice ; deinde falsum evadere potest propter aliquid ei superveniens.

Figura. Forma seu terminus quanti. Sed alia est figura quæ fluit ex naturâ rei et præsertim ex formâ substantiali ; et alia quæ accidit rei a principio extrinseco Illa est proprietas quæ maxime naturam specificam demonstrat (ita figura hominis, animalis, plantæ, crystalli) ; hæc est merus modus seu terminus quantitatis (ita figura lapidis).

Finis. Id propter quod aliquid fit. Finis dicitur etiam *causa finalis* (v. caput XXX).

Finitum. Id quod limitem quantitatis aut perfectionis habet v. n. 464 et seq.).

Forma. In genere, forma est id quod determinat ens — DISTINCTIONES : *Forma substantialis, forma accidentalis* (v. n. 535, 658 etc.) — *Forma separata, forma informans.* Illa est sine materiâ ; hæc autem informat corpus. — AXIOMATA : *Formæ substantiales non suscipiunt magis nec minus.* Nam, sicut essentiæ, sunt in indivisibili — *Forma, species* vel *differentia, actus.* Hæc tria sunt analoga. Hinc axioma : *Sicut actus se habet ad potentiam in ordine metaphysico, et sicut differentia se habet ad genus in ordine logico, ita forma se habet ad materiam in ordine physico.*

Generatio. Origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem ejusdem naturæ. Sed lato sensu, generatio dicitur quæcumque transformatio substantialis. — DIST. : *Generatio, creatio* (v. creatio). — *Generatio, eductio* (v. eductio). — AXIOMATA : *Corruptio unius est generatio alterius.* Nam materia non amittit unam formam nisi recipiendo alteram — *Generatio fit in instanti.* Nam essentia est in indivisibili.

Genus. Est id quod convenit pluribus speciebus (v. n. 54). — DIST. : *Genus supremum, genus medium, genus infimum.* Genus infimum non continet nisi species ; genus medium fit species respectu generis superioris ; genus supremum fieri nequit species alterius sed inter categorias numeratur.

Habitus. Qualitas stabilis quæ naturam determinat bene

vel male. — Dist. : *Habitus entitativus*, *habitus operativus*. Ille naturam determinat in seipsa ; hic autem eam determinat quoad operationem. — *Habitus*, *potentia* seu *facultas*. Potentia est a naturâ solâ, et est subjectum habituum, qui actibus iteratis acquiri possunt. — *Habitus*, *actus*. Hic oritur ex potentiâ, mediante habitu, si habitus datur ; unde habitus est actus respectu potentiæ et potentia respectu actûs. — *Habitus innatus*, *acquisitus*, *infusus*. Habitus innatus est a naturâ : ita intellectus primorum principiorum. Habitus acquisitus oritur ex exercitio : ita scientia vel virtus naturalis. Habitus infusus est donum Dei : ita virtutes theologicæ — Axioma : *Habitus est secunda natura*. Nam habitus est principium operandi naturæ superadditum.

Hæcceitas. Principium individuationis, juxta Scotum. Hæcceitas esset entitas addita essentiæ eamque individuans.

Honestum. V. bonum.

Hypostasis. Suppositum seu subjectum. Hypostasis rationalis dicitur *persona* (v. persona).

Idea. Principium cognitionis (v. *species* et caput III ; v. etiam *causa exemplaris*, n. 543).

Identitas. Est quasi unitas entis cum seipso vel cum aliis quæ cum ipso plus minusve conveniunt. — Dist. : *Identitas generica*, *specifica*, *numerica*. Prima est entium unius generis ; secunda est entium unius speciei ; tertia est unitas individui cum seipso (v. etiam n. 437).

Ideologia. Pars philosophiæ quæ tractat de origine idearum.

Ignorantia. Status mentis cognitione carentis. — Dist. : *Ignorantia*, *error* (v. error).

Imaginatio seu *Phantasia*. Sensus internus quo species seu imagines a sensibus externis acceptæ retinentur et revivescere possunt (v. n. 833, 843 et seq.). — Axioma : *Non possumus intelligere sine phantasmate*.

Immanens. Dicitur actio immanens ea cujus terminus est in subjecto ipso (v. actio). Dicitur actio transiens ea cujus terminus est extra subjectum.

Immensitas. In Deo immensitas est attributum seu perfectio infinita quâ Deus est necessarie præsens ubique (v. n. 1076 et seq.).

Impossibile. V. possibile.

Indifferens. Indeterminatum. — Axioma : *Ab indifferenti*,

uti indifferenti, nihil determinatum oriri potest. Potentia enim non potest in actum exire nisi vi alicujus actûs.

Individuum Id quod pluribus tribui nequit ideoque est incommunicabile. Opponitur *universali.* — Axioma : *Individua sunt infinita.* Id est, eorum numerus semper crescere potest.

Individuatio. *Principium individuationis* dicitur principium intrinsecum quo individua distinguuntur inter se (v. caput xxxviii).

Infinitum. Id quod non habet limitem quantitatis aut perfectionis. Dist : *Infinitum privative, infinitum negative.* Illud caret fine, sicut caret existentiâ : ita ens in genere, quantitas in genere. Infinitum autem negative existit sine limitatione. — *Infinitum absolutum, infinitum relativum.* Illud est infinitum ratione ipsius entis ; hoc autem est infinitum vel potius esset infinitum ratione extensionis vel multitudinis : ita infinita tempora vel spatia. — *Infinitum in actu, infinitum in potentiâ.* Illud existit et quatenus infinitum : ita Deus solus. Hoc autem existere potest sed non quatenus infinitum : ita numerus, qui semper crescere potest. Infinitum in actu dicitur etiam *categorematicum ;* alterum autem, *syncategorematicum.* — Axiomata : *Inter finitum et infinitum non est proportio.* — *Infinitum non est ex finitis.* — *Infinito non est majus* (v. n. 464 et seq.)

Instrumentum. Causa instrumentalis (v. n. 526).

Intellectus, intelligentia. Intellectus est facultas abstrahendi a sensibilibus et ratiocinandi (v. caput lii). — Dist. : *Intellectus agens, intellectus patiens.* Ille est facultas abstrahendi a sensibilibus ; hic autem est facultas apprehendendi essentias, judicandi, ratiocinandi (v. n. 866 et seq.). — *Intelligentiæ separatæ,* id est, puri spiritus. — Axioma : *Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu* (v. n. 938).

Intelligibile. Opponitur sensibili. *Species intelligibilis* est idea proprie dicta, quæ est in intellectu. *Mundus intelligibilis* est mundus idearum. — Axioma : *Intelligibile in actu est intelligens in actu,* id est, objectum intelligibile et subjectum intelligens uniuntur eodem actu, qui ab utroque procedit v. n. 933).

Intentio Actus quo voluntas finem sibi præstituit.— Dist. : *Ordo intentionis, ordo executionis.* Ille est ordo causarum finalium : hic autem est ordo causarum efficientium ; unde id quod est primum in ordine intentionis est ultimum in ordine executionis (v. caput XXX). — *Intentio* dicitur etiam de actu vel objecto cognitionis. — Dist. : *Intentiones primæ, intentiones secundæ.* Illæ sunt ideæ directæ seu metaphysicæ ; intentiones secundæ sunt ideæ reflexæ seu logicæ : genera, species, etc.

Judicium. Actus mentis componentis vel dividentis ideas.— Dist. : *Judicium analyticum*, *judicium syntheticum*, etc. (v. n. 115 et seq.)

Libertas. — Facultas eligendi. — Dist. : *Libertas a necessitate*, *libertas a coactione*, etc. (v. n. 909 et seq.)

Locus seu **ubi**. Locus dici potest : superficies continentis relata ad contentum et spectata ut immobilis.— Dist. : *Ubi circumscriptivum*, *ubi definitivum*, *ubi repletivum*. Tres sunt modi occupandi locum : 1° modus naturalis corporibus, quæ loco continentur et mensurantur (ubi circumscriptivum) ; 2° modus naturalis formis substantialibus, quarum tota substantia est in unaquaque parte loci (ubi definitivum) : ita anima in corpore, angelus in loco ubi operatur ; 3° modus proprius Deo, qui omnia replet suâ præsentià (ubi repletivum).

Logica. Philosophia rationalis (v. n. 18 et seq.) — Axioma : *Logica est omnia et nihil*.

Malum. Privatio boni. — Dist. : *Malum metaphysicum*, *physicum*, *morale* (v. n. 455).

Materia. Id ex quo aliquid fit. — Dist. : *Materia prima*, *materia secunda* (v. n. 535, 656 et seq.)

Memoria. Facultas revocandi et recognoscendi præterita.— Dist. : *Memoria intellectualis*, *memoria sensibilis* (v. n. 859 et seq.).

Metaphysica. Philosophia realis (v. n. 388 et seq.) — Dist. : *Abstractio metaphysica*, *mathematica*, etc. (v. abstractio).

Mixtum. Corpus compositum ex pluribus substantialiter unitis. In mixto, formæ componentium non permanent actu sed tantùm virtualiter.

Modus. Determinatio quæcumque entis (v. n. 65 et 490). — Dist. : *Modus substantialis*, *modus accidentalis*. Ille determinat substantiam in seipsa : ex. g. existentia seu subsistentia est modus essentiæ vel substantiæ. Modus verò accidentalis non determinat nisi accidens aut substantiam per aliquod accidens : ita situs, rotunditas. — *Modus transcendentalis*, *modus categoricus*. Ille est modus generalis entis : ita unitas, veritas ; hic autem est modus specialis entis : ita substantia, qualitas. Axioma : *Modus cognoscendi*, et generatim *modus operandi sequitur modum existendi*. Nam agere sequitur esse.

Motor. **Mobile**. Motor est principium motûs. Mobile autem est id quod motum recipit. — Dist. : *Motor mobilis*, *motor immobilis*. Ille est qui sub diverso respectu movet et ipse ab alio movetur : ita omnis creatura; hic autem movet et non ab

alio movetur. Ille dicitur etiam *movens motum ;* hic autem, *movens non motum.* — AXIOMA : *Quidquid movetur, ab alio movetur.* Nam idem formaliter seu idem principium non potest esse simul agens et patiens ; aliis verbis, aliquid non potest transire de potentiâ in actum nisi ab alio determinetur. — — *Ens movet quatenus est in actu et movetur quatenus est in potentiâ.* Nam movere est agere ; moveri autem est pati. — *Movens et motum sunt simul ;* alioquin unum in alterum agere non posset.

Motus. Latissimo sensu, motus est actus : ita Deus dici potest motus. Alio sensu, motus est quæcumque mutatio, quicumque transitus de potentiâ in actum : in hoc sensu Deus dicitur immobilis et movens omnem creaturam. Stricto sensu, motus definitur : *Actus entis in potentiâ prout in potentiâ,* id est, actus inceptus sed non perfectus, id est etiam, actus continuus seu motus localis, qui non est in indivisibili positus. Hinc motus differt ab *operatione,* quæ est *actus entis in potentiâ,* et naturâ suâ est indivisibilis : ita actus intelligendi. — AXIOMATA : *Motus localis est perfectissimus.* Nam minimam mutationem importat. — *Motus localis est primus omnium.* Omnes enim mutationes corporalium, mediante motu locali perficiuntur.

Mutatio. Transitus ab uno termino, vel statu, ad alium. — DIST. : *Mutatio substantialis, mutatio accidentalis.* Illa est transformatio substantialis ; hæc autem est transformatio accidentalis.

Natura. Essentia quatenus est principium operationum ; dicitur etiam de entibus creatis in genere et de legibus seu viribus physicis quibus ducuntur. Speciatim opponitur libero arbitrio. — DIST. : *Natura naturans, natura naturata.* Illa est natura increata seu Deus ; hæc autem est natura a Deo condita. — *Natura, gratia.* Hæc naturæ additur et ordinem supernaturalem constituit. — *Natura, ars ; naturale, artificiale.* Opera artificialia sunt opera hominis, quæ ab arte procedunt et operibus naturæ superveniunt. — AXIOMATA : *Natura nihil facit frustra,* id est, omnia finem seu causam finalem habent. — *Natura determinatur ad unum.* Nam natura, quatenus distinguitur a libero arbitrio, eligere nequit. — *Natura non facit saltum* (v. continuitas).

Necessarium. Id quod non potest non esse. Opponitur contingenti. — AXIOMA : *Necessarium contingente supponitur* (v. n. 461).

Negatio. Id quod affirmationi opponitur. — DIST. : *Negatio, privatio.* Illa est mera absentia rei ; hæc autem est absentia rei debitæ, ideoque est malum.

Nihilum. Negatio entis. — Axioma : *Ex nihilo nihil fit*, id est, nihil fit ex nihilo tanquam ex materiâ præexistente ; id est etiam, nihil fit sine causâ.

Numerus. Multitudo mensurata per unum. — Dist. : *Numerus numerans*, *numerus numeratus*. Ille est numerus abstractus, continuus : ita duo, tres, quatuor... ; hic autem est numerus concretus, discretus, id est, rerum : ex. g. decem homines, decem dies. — *Numerus transcendentalis*, *numerus quantitatis*. Ille oritur ex distinctione entium ; hic autem non invenitur nisi in quantitate.

Objectum. Quidquid apprehenditur sensibus vel intellectu. Opponitur subjecto intelligenti vel sentienti. — Dist. : *Objectum materiale*, *objectum formale*. Illud est objectum totum, seu concretum ; hoc autem est objectum quatenus apprehenditur (v. n. 346). — Axioma : *Potentiæ*, *habitus*, *scientiæ*, etc., *objecto suo specificantur*. Actus enim potentiam specificat ; actus autem objecto respondet.

Occasio. Id ad cujus præsentiam aliquid fit (v. n. 522). — Dist. : *Occasio*, *causa* (ibid. v. etiam causa).

Ontologia. Metaphysica generalis quæ tractat de ente in genere (v. n. 389).

Opinio. Judicium cum formidine errandi (v. n. 179).— Dist. : *Opinio*, *doctrina*. Stricte loquendo, doctrina est certa ; opinio autem est plus minusve probabilis.

Oppositio. Relatio duorum quorum unum excludit alterum. Dist. : *Oppositio contradictionis*, *oppositio contrarietatis* (v. n. 132 et seq.). — Axiomata : *Oppositorum eadem est scientia*. — *Omnia duplicia et unum contra unum* (v. contrarietas).

Ordo. Dispositio plurium quæ ab uno procedunt aut ad unum revocantur.— Dist. : *Ordo intentionis*, *ordo executionis*. Ille est ordo causæ finalis ; hic autem est ordo causæ efficientis. — *Ordo existentiæ* seu ontologicus, *ordo cognitionis seu logicus*. Ille est ordo creationis seu productionis rerum aut saltem ordo essendi ; hic autem est ordo rationis quæ unum per aliud cognoscit.

Pantheismus. Error eorum qui Deum a substantiâ vel essentiâ rerum mundanarum non distinguunt realiter (v. n. 568 et seq.).

Passio. Spectata ut categoria, passio est accidens quo patiens est formaliter tale seu recipit actionem agentis. — Passio dicitur etiam de appetitu sensitivo (v. caput LIII).

Patiens. Id quod recipit actionem agentis (v. agens). — *Intellectus patiens* (v. intellectus).

Perfectio. Status perfecti, id est, cui nihil deest. Perfectio dicitur etiam de quocumque bono. — Dist. : *Perfectio simplex* seu *absoluta*, *perfectio relativa* (v. n. 458 et seq.).

Perseitas. Perfectio entis quod *per se* vel potius *in se* existit (cf. aseitas).

Persona. Rationalis naturæ individua substantia, seu hypostasis rationalis (v. n. 485 et seq.).

Phantasma. Objectum imaginationis. — Axioma : *Non possumus intelligere sine phantasmate* (v. imaginatio).

Philosophia. Scientia naturalis principiorum seu scientia rerum per altissimas causas naturali lumine comparata (v. n. 1 et seq.).

Physica. Lato sensu, physica est scientia rerum sensibilium. — Dist. : *Physice*, *metaphysice*. Differunt inter se sicut physica et metaphysica, propter gradum abstractionis (v. abstractio).— *Physice*, *moraliter*. Differunt sicut ordo naturæ et ordo morum.

Possibile. Id quod potest esse. — Dist. : *Possibile absolutum* seu *intrinsecum*, *possibile relativum*. Illud non repugnat; hoc autem habet insuper causam extrinsecam. Possibili opponitur impossibile, quod est *metaphysicum*, vel *physicum*, vel *morale* (v. n. 423 et seq.).

Potentia. Quidquid ad actum ordinatur (v. n. 414 et seq.). — Dist. : *Potentia objectiva*, *potentia subjectiva*. Illa est mera possibilitas; hæc est realitas quæ caret aliquâ determinatione (v. ibid.).

Prædeterminatio (v. præmotio).

Prædicabilia. Universalia quatenus innuunt varios modos aliquid prædicandi de subjecto. Quinque numerantur : genus, species, etc. (v. n. 62 et 54).

Prædicamenta. Categoriæ seu attributa maxime generalia (v. categoriæ).— *Anteprædicamenta* dicuntur quædam notiones de terminis etc. quas Aristoteles exposuit ante categorias — *Postprædicamenta* autem dicuntur aliæ notiones quæ categorias subsequuntur, scilicet : oppositio, prioritas, simultaneitas, motus et modus habendi.

Prædicatum. Attributum (v. categoriæ).

Præmissæ. Duæ propositiones syllogismi ex quibus erui-

tur conclusio (v. n. 146); simul sumptæ vocantur *antecedens* respectu conclusionis, quæ vocatur *consequens*.

Principium. Id a quo aliquid quocumque modo procedit (v. n. 521) — Dist : *Principium quod*, *principium quo*. Illud est subjectum quod operationem vel actum exerit; hoc autem est natura vel facultas quâ subjectum operatur. — *Primum principium* dicitur illud a quo cetera dependent, aliquo modo saltem. — Principium identitatis dicitur istud : *Id quod est, est*, vel A = A. Hinc aliud : *Eadem uni tertio sunt eadem inter se*. — Principium medii exclusi : *Res* (de qua agitur) *est aut non est*. — Principium causalitatis : *Non datur effectus sine causa*, vel melius : *Nihil fit* (vel incipit) *sine causa*.

Prioritas. Distinguitur multiplex : prioritas *naturæ* et prioritas *temporis ;* prioritas *existentiæ* seu ontologica et prioritas cognitionis seu logica.

Privatio. Absentia boni debiti. Differt igitur a merâ negatione (v. negatio). — Axioma : *Privatio non cognoscitur per propriam speciem sed per formam oppositam*. Negatio enim cognoscitur per affirmationem, nihilum cognoscitur per ens, etc.

Propositio. Oratio quâ enunciatur judicium (v. n. 121). — *Qualitas propositionis* dicitur ejus forma, affirmativa vel negativa. — *Quantitas propositionis* dicitur extensio subjecti, quod est universale vel particulare. — *Propositio modalis* ea est quæ affirmat modum convenientiæ vel disconvenientiæ prædicati cum subjecto.

Proprium. Id quod fluit ex essentiâ. Proprium numeratur inter quinque prædicabilia (v. n. 54).

Providentia. Attributum seu perfectio quâ Deus omnia prævidet et ordinat ad finem (v. n. 1134).

Psychologia. Scientia de animâ (v. caput xliii et seq.).

Pulchrum. Id cujus ipsa apprehensio placet (v. caput xxxi).

Quadrivium. Hoc nomine designabantur quatuor ex septem artibus liberalibus : arithmetica, geometria, musica, astronomia (v. trivium).

Qualitas. Accidens modificativum substantiæ in seipsa (v. n. 497 et seq.).

Quantitas. Extensio rerum vel divisibilitas in partes ejusdem naturæ. — Dist. : *Quantitas continua*, *quantitas discontinua*. Illius partes non sunt separatæ, sed finis unius est principium alterius : ita linea, figura geometrica, tempus ; hujus autem partes sont separatæ : ita numerus numeratus.

Quidditas. Essentia quatenus definitione exprimitur. Definitio est responsio huic quæstioni : *Quid* est hoc ?

Quinta essentia. Essentia corporum cœlestium, quæ olim dicebantur incorruptibilia. Aliis quatuor essentiis corpora terrestria constare censebantur, scilicet : aquâ, aere, igne, terrâ.

Ratio. Facultas ratiocinandi. Ratio significat etiam causam, principium, motivum, etc. — DIST. : *Ratio*, *intellectus*. Ratio est ipse intellectus quatenus discurrit (v. n. 873) — *Ratio speculativa*, *ratio practica* — *Ratio superior*, *ratio inferior* (v. n. 874).

Realismus. Sententia vel systema eorum qui contendunt universalia esse realia (v. n. 301 et seq.)

Recipiens, receptum. — AXIOMA : *Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur*. Nam unumquodque recipit secundùm suam naturam et suam potentiam. Hinc intellectus cognoscit abstracte et spiritualiter res materiales — *Dare melius est quam accipere* vel *recipere*. Nam perfectius est agere quam pati.

Reduplicative. Sensu reduplicativo seu formali.

Relatio. Ordo unius ad aliud — *Relatio transcendentalis, relatio prædicamentalis*. Illa est ordo essentialis ipsi enti : ita veritas, quæ importat ordinem ad intellectum ; bonitas, quæ importat ordinem ad voluntatem. Relatio autem prædicamentalis est merum accidens (v. n. 502 et seq.)

Sapientia. In genere, sapientia est cognitio per altissimas causas : ita theologia sacra et philosophia dicuntur sapientiæ. Speciatim sapientia dicitur de quadam virtute morali (prudentia præsertim) et de quodam dono Spiritus sancti.

Scepticismus. Error vel systema eorum qui contendunt omnia esse prorsus dubia et incerta (v. n. 206 et seq.)

Scientia. Cognitio per causas — DIST. : *Scientia speculativa*, *scientia practica* (v. 334 et seq.) — *Scientia approbationis, scientia improbationis*. In Deo scientia boni, quod approbat, vel mali, quod improbat — *Scientia simplicis intelligentiæ*, *scientia visionis*. Illa est scientia divina de meris possibilibus ; hæc autem est scientia divina de præteritis, præsentibus et futuris (v. caput LXV) — AXIOMATA : *Scientia est de certis*. Nam scientia non est mera opinio — *Scientia est de universalibus*. Intellectus enim est universalium.

Sensorium commune .Organum sensûs interni qui ceteros colligit et ideo dicitur sensus communis.

Sensus. Facultas sentiendi. Ejus actus dicitur *sensatio* (v. caput XLVIII et seq.) — DIST. : *Sensus externi*, *sensus interni* (v. ibid.) — AXIOMATA : *Sensus est singularium ; ratio vero seu intellectus, universalium.* Nam sensus non percipit nisi materiale ; intellectus autem apprehendit naturas, id quod est pluribus commune — *Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu* (v. n. 938.)

Sensus, significatio. — DIST. : *In sensu composito*, *in sensu diviso* (v. n. 181. Fallacia compositionis et divisionis.)

Signum. Quodcumque notum in quo aliud cognoscitur (v n. 75). — DIST. : *Signum formale*, *signum instrumentale*. — *Signum naturale*, *signum artificiale* (v. n. 76, 77 etc.)

Simile. — DIST : *Simile*, *æquale*. Similitudo dicitur propter formam vel qualitatem ; æqualitas autem, propter quantitatem vel propter perfectionem. — AXIOMATA : *Effectus assimilatur causæ agenti.* Nam agens operatur per naturam seu formam suam. *Simile non agit in simile* (v. agens). — *Simile simili gaudet.* — *Similitudo est mater amoris.*

Simplex. Id quod non habet partes ideoque est omnino indivisibile (v. n. 435). — DIST. : *Simpliciter*, *secundum quid*, id est, absolute vel relative.

Situs. Categoria, quæ describi potest : dispositio partium corporis resultans ex earum positione in loco : ita sedere, stare, cubare.

Spatium. Dici potest locus universalis corporum vel relatio dimensionum totius universi ad ea quæ ipsis continentur. — DIST. : *Spatium reale*, *spatium imaginarium*, *spatium in genere*. Spatium reale et concretum est illud quod definitum est ; spatium imaginarium est objectum imaginationis et est quodcumque spatium possibile ; spatium in genere est idea generica spatii vel loci seu categoria, quæ est objectiva seu realis quoad id quod exprimit, non autem quoad modum quo exprimit seu abstractionem ipsam. — *Spatium*, *locus* (v. n. 507, etc.).

Species. Hac voce plura significantur : 1° forma externa seu accidens : ita *species eucharisticæ ;* 2° similitudo quædam seu idea, intelligibilis vel sensibilis, quæ est principium cognoscendi (v. n. 35 et seq., 816 et seq.) ; 3° natura specifica seu essentia, vel etiam forma substantialis, quæ specificat (v. universalia : genus, species, etc. V. n. 54). — DIST. : *Species suprema*, *media*, *infima* (v. n. 60). — *Species impressa*, *species expressa* (v. n. 816). — *Species intelligibilis*, *species sensibilis*. Illa est principium cognitionis intellectivæ ; hæc autem est principium cognitionis sensitivæ. — AXIOMATA :

Species (vel formæ substantiales) *sunt sicut numeri.* Nam sicut numerus major continet minores, ita forma nobilior continet virtualiter formas inferiores. — *Magis et minus non variant speciem.* Nam magis et minus afficiunt quidem quantitatem, non autem ipsam essentiam. Ex. g. gutta aquæ et oceanus eâdem essentiâ constant, quamvis oceanus sit maximus et gutta sit minima.

Spiritus. Substantia quæ existere potest sine materiâ. — *Spiritus purus*, qui non ordinatur ad corpus informandum, sicut anima humana, quæ est corporis forma. Spiritus puri dicuntur *formæ separatæ*.

Substantia. Id quod existit in se (v. n. 479). — Dist. : *Substantia prima*, *substantia secunda* (v. n. 483 et seq.).

Subjectum. In logicâ, subjectum est id de quo aliquid affirmatur vel negatur ; in metaphysicâ, est id quod recipit aliquam determinationem, et dicitur quandoque suppositum seu hypostasis vel persona. — Dist. : *subjectum adhæsionis* (ex. g. paries est subjectum picturæ quâ decoratur), *subjectum inhæsionis* (ita qualitas et quantitas inhærent corpori), *subjectum informationis* (ita corpus respectu animæ).

Syllogismus. Ratiocinii expressio, constans tribus propositionibus, scilicet duabus præmissis et conclusione (v. n. 145 et seq.).

Syncategorematicum. Vide infinitum.

Tempus. Numerus prioris et posterioris in motu (v. n. 513). — Dist. : *Tempus*, *æternitas*, *æviternitas* (v. n. 518).

Terminus. Termini propositionis vocantur subjectum et attributum ; in genere, terminus dicitur nomen, vocabulum. — Dist. *Terminus concretus*, *terminus abstractus* (v. concretum). — *Magnus terminus*, *parvus terminus*, *medius terminus.* In syllogismo, magnus terminus et parvus terminus dicuntur duo extrema, qui in conclusione comparantur ; medius terminus continet parvum terminum et a magno continetur. Comparatur autem medius terminus cum magno in majore præmissâ, et cum parvo in minore.

Theodicea. Scientia philosophica de Deo (v. n. 1000 et seq).

Theologia. Scientia de Deo. — Dist. : *Theologia sacra*, *theologia naturalis*. Illa fundatur in revelatione ; hæc autem est theodicea.

Totum. Idem est ac compositum. — Dist. : *Totum reale*, *totum logicum* seu *universale*. Illud est formaliter in rebus ;

hoc autem non est formaliter nisi in mente : ex. g genus, in quo species continentur. — *Totum physicum, totum metaphysicum*. — *Totum essentiale, totum integrale, totum potentiale* (v. n. 111, 112). — Axioma : *Totum est majus suâ parte.*

Traducianismus. Error eorum qui existimabant animam puerorum oriri ex corpore et animâ parentum. *Generatianismus* est error eorum qui putabant animam puerorum oriri ex animâ parentum, corpore excluso. Ambo opponuntur *creatianismo*.

Transcendens In philosophiâ scholasticâ, transcendens dicitur quidquid transcendit seu superat genera suprema : ita unitas, venitas, bonitas, etc. (v. n. 390 et seq).

Transformatio. Mutatio formæ. — Dist. : *Transformatio substantialis, transformatio accidentalis.* Illa est transitus alicujus subjecti ab unâ formâ substantiali ad aliam ; hæc autem est mera mutatio accidentalis.

Transiens (actio). V. immanens.

Transsubstantiatio. Conversio totius substantiæ in aliam. — Dist. : *Transubstantio, transformatio.* In illâ, nihil substantiale remanet prioris substantiæ, post conversionem ; in transformatione autem, materia prioris substantiæ remanet, factâ conversione.

Trivium Hoc nomine designabantur tres ex septem artibus liberalibus, scilicet : grammatica, dialectica, rhetorica (v. quadrivium).

Ubiquitas. Præsentia in omni loco. Ubiquitas Dei immensitatem ejus consequitur.

Universale. Unum aptum inesse pluribus. Quinque numerantur universalia seu prædicabilia : genus, etc. (v. n. 54 et seq. et caput XV). — Dist. : *Universalia ante rem, in re, post rem.* Universalia ante rem sunt exemplaria rerum in mente divinâ, vel etiam in mente artificis. Universalia in rebus sunt realitates expressæ et productæ his exemplaribus. Universalia post res sunt ideæ quas abstrahimus a rebus sensilibus. — Axiomata : *Universalia sunt ubique et semper.* Non limitantnr enim spatio neque tempore, sed sunt æterna, etc. sicut ipsæ essentiæ.

Univocum. Idea univoca dicitur ea quæ pluribus subjectis convenit secundùm eamdem rationem (v. n. 52 et seq.). — Dist. : *Univocum, analogum* (v. ibid.).

Unum. Idem est ac indivisum (unum stricte dictum) et distinctum a quovis alio (aliquid). — Dist. : *Unitas transcen-*

dentalis, *unitas numerica*. Illa est modus entis ; hæc autem est modus quantitatis. — *Unitas generica*, *specifica*, *individualis*. Prima est unitas entium quæ uno genere continentur ; secunda est unitas entium ejusdem speciei ; tertia est unitas individui. — *Unitas* vel *unio accidentalis*, *substantialis*, *personalis*. Prima fit in accidentibus (ita unio nautæ et navis) ; secunda fit in substantiâ (ita unio animæ et corporis) ; tertia fit in modo substantiali seu subsistentiâ (ita unio naturæ humanæ Christi cum Verbo divino). — Axioma : *Omne ens est unum* (v. caput xxiii).

Veritas, **verum**. Veritas est adæquatio intellectûs et rei seu objecti. Verum autem est intelligibile. — Dist. : *Veritas metaphysica*, *logica*, *moralis* (v. n. 6 et caput xxiv). — *Veritas in essendo*, *in cognoscendo*, *in significando*. Verum *in essendo* est ens ut intelligible ; verum *in cognoscendo* est ens ut intellectum ; verum *in significando* est ens ut manifestatum. — Axioma : *Omne ens est verum* (v, n. 443).

Virtualiter. In virtute, id est, in potentiâ. — Dist. : *Virtualiter*, *formaliter* vel *actualiter*, *eminenter* (v. eminenter).

Violentia. **Violentum**. Dicuntur de his quæ opponuntur naturæ et motui spontaneo. — Axioma : *Nihil violentum durabile*. Violentia enim est aliquid accidentale ; natura autem permanet.

Visio intuitiva. Visio immediata ipsius Dei quâ beati fruuntur in cœlis. Ad hoc perficitur eorum intellectus *lumine gloriæ*.

Vita. Motus spontaneus et immanens, qui viventibus est proprius. — Dist. : *Vita in actu primo*, *vita in actu secundo*. Hæc est ipse motus quem dicimus ; illa autem est natura quæ hujus motûs est principium. — Axioma : *Vita in motu*. Vita enim est potentia motûs et per motum manifestatur.

Voluntas. **Voluntarium**. Voluntas est appetitus rationalis. Voluntarium est illud quod ab appetitu rationali procedit. — Dist. : *Voluntarium*, *liberum*. Liberum procedit non solùm a voluntate sed etiam a facultate eligendi ; unde omne liberum est voluntarium, sed non omne voluntarium est liberum.

Finis

INTRODUCTIO

CAPUT I

PHILOSOPHIÆ DEFINITIO ET DIVISIO, EXCELLENTIA; EJUS RELATIO CUM FIDE.

1. **Philosophiæ definitio.** — *Quoad nomen* seu etymologiam, philosophia (a vocibus græcis φίλος, σοφία) est *amor sapientiæ.* Secundùm M. Tullium, hoc nomen originem duxit a Pythagora, qui noluit se sapientem profiteri, sed sapientiæ amatorem. Veteres enim philosophi dicebantur *sapientes* aut etiam *physici, physiologi.*

2. *Quoad rem* autem philosophia non differt ab ipsâ sapientiâ humanâ et definitur : *scientia rerum per altissimas causas naturali lumine comparata*, et brevius : *scientia primorum principiorum.*

a) *Est scientia*, id est cognitio certa et quidem per causas Non sufficeret igitur cognitio sensibilis seu experimentalis, neque dubium aut investigatio scientifica.

b) Est scientia *rerum*, scilicet omnium, cùm nullus effectus, nullum ens altissimas causas primaque principia possit effugere. Unde philosophiæ objectum est latissimum et universale.

c) Est scientia *per altissimas causas*. Quærere enim causas plus minusve proximas est ceterarum scientiarum. Philosophia autem quærit omnium rerum *ultimum cur*, *ultimum quia.*

d) *Naturali lumine comparata.* Fundamentum enim totius philosophiæ est ratio, non autem fides; et sic philosophia, quæ est sapientia humana, differt a theologiâ sacrâ, quæ est

sapientia divina. Hæc arguit ex principiis revelatis; illa, ex principiis rationis.

3. **Philosophiæ universalitas et unitas.** — Philosophia est *universalis* propter objectum suum materiale; *una* autem, propter objectum suum formale. Quamvis omnes scientiæ particulares (mathesis, physica, etc.) ex philosophiâ ortæ sint aliquo modo, in decursu temporum, non ideo minuta sed potius aucta est philosophia. Nam eadem objecta tam ad philosophiam quam ad ceteras scientias pertinent sub diverso respectu. Philosophia tamen remanet una propter sua principia, quorum unum negari non potest quin cetera in dubium revocentur. Unde etiam omnes quæstiones philosophicæ, saltem præcipuæ, ita sunt connexæ ut unam sine ceteris plene solvere sit impossibile.

4. **Quarumdam definitionum critica.** — Nunc videtur etiam cur probandæ sint necne quædam definitiones a variis scholis aut magistris propositæ. Revera philosophia dici potest. « Rerum divinarum et humanarum, causarumque quibus hæ res continentur, scientia » (1); sed falsæ sunt aut impares definitiones ejusmodi : « La philosophie est la réflexion entièrement émancipée, définitivement sortie des liens de l'autorité et ne s'appuyant que sur elle-même dans la recherche de la vérité. » (Cousin.) — « La philosophie est la science de l'esprit libre et la science libre de l'esprit. » (Janet.) — « La philosophie est la législation de la raison humaine. » Kant.)

5. **Philosophiæ objectum materiale et objectum formale.** — Ut clarius appareat distinctio philosophiæ a ceteris disciplinis, distinguere oportet objectum ejus materiale et objectum formale. Primum est quodcumque ens, ut vidimus; ad secundum pertinet id quod est maxime intimum entibus, scilicet naturæ, essentiæ, causæ (objectum formale *quod*), quæ lumine apprehenduntur principiorum supremorum seu abstractissimorum (objectum formale *quo*).

6. **Philosophiæ divisio.** — Tenenda est inprimis divisio

(1) Cicero, *de Off.* lib. II, cap. 2.

a traditione recepta, de quâ scribit Tullius : « Fuit jam a Platone accepta philosophandi ratio triplex : una de vita et moribus ; altera de natura et rebus occultis ; tertia de disserendo et quid verum, et quid falsum, quid rectum in oratione pravumque, quid consentiens, quid repugnans judicando. » (1) Hæc ultima est *logica* seu philosophia rationalis ; aliæ sunt philosophia naturalis, cum *metaphysicâ*, et philosophia *moralis*. Hanc divisionem optimam sic variis modis explicabimus :

a) Philosophia est scientia totius entis. Porro *ens* est triplex : ideale, reale, morale. Ens enim considerari potest : *in mente*, et hinc habemus logicam, quæ est scientia idearum seu entium rationis ; — *in re* seu in realitate, et hinc habemus metaphysicam, quæ de supremis realitatibus tractat ; — *in intentione* seu quoad voluntatem, et hinc habemus scientiam morum.

Notabis has tres scientias supremas esse aliquo modo universales. Nam omne ens considerari potest in suâ ideâ, quatenus cognoscibile, vel in suâ realitate, independenter a subjecto cognoscente, vel tandem quoad voluntatem et mores, quatenus appetibile. Exempli gratia, in logicâ tractatur de ideâ Dei ; in metaphysicâ, de existentiâ Dei ; in morali, de fine ultimo qui Deus est.

b) Philosophiæ objectum est *ordo*. Sapientis enim est ordinare, sicut dicit Philosophus in principio metaphysicæ.. Ordo autem tribus modis præsertim ad rationem comparatur.

Est enim quidam ordo quem ratio non facit, sed solùm considerat, sicut est ordo rerum naturalium (et hinc habemus philosophiam naturalem, cum metaphysicâ)..... Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu (et hinc habemus philosophiam rationalem seu logicam) .. Tertius autem est ordo, quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis (et hinc habemus philosophiam moralem) (2).

c) Adhuc. Philosophia est scientia veritatis. Porro triplex præsertim distinguitur veritas : veritas cogitationis et ratio-

(1) *Academ.* lib. I, n. 6.
(2) S. Th. *In lib. I. Ethic.* lect. 1.

cinii quâ fit ut homo consentiat secum, de quâ præsertim tractat *logica*, — veritas *metaphysica* seu rerum ; — veritas *moralis* seu bona fides.

d) Tandem philosophia definitur scientia principiorum. Porro alia sunt principia cognoscendi (hinc logica), alia sunt principia essendi (hinc metaphysica), alia sunt principia agendi (hinc scientia moralis).

7. **Subdivisiones præcipuæ**. *Logica*. — Alia logica dicitur *formalis* seu dialectica, et alia *materialis* seu critica. Ad hanc pertinent tractatus de certitudine, de criteriis seu criteriologia, de synthesi scientiarum, de methodo, etc. ; ad illam, philosophia sermonis, etc.

8. *Philosophia realis* seu Metaphysica dividitur in generalem et specialem. Metaphysica generalis seu ontologia tractat de ente transcendentali, de categoriis, de causis. Metaphysica specialis tractat de mundo (hinc cosmologia seu philosophia naturæ), de homine et præsertim de animâ (hinc psychologia, cum dynamilogiâ et ideologiâ), de Deo (hinc theologia naturalis seu theodicea).

9. *Philosophia moralis* ethicam et jus naturæ complectitur. Insuper alia moralis est *individualis*, alia *domestica*, alia *socialis*. Ad hanc ultimam pertinent omnes scientiæ politicæ necnon philosophia historiæ, philosophia religionis, etc.

10. **Quarumdam divisionum philosophiæ critica.** — A quibusdam, etiam scholasticis, dividitur philosophia in objectivam et subjectivam. Hæc comprehendit : logicam, dynamilogiam, ideologiam, criteriologiam, etiam ontologiam (juxta plures) ; illa : ontologiam (juxta alios), theodiceam, cosmologiam, anthropologiam et moralem. Sed hæc divisio non probanda videtur, utpote nimis psychologica seu ad hominem relativa : non dividit ens ipsum. Præterea ontologia inter partes subjectivas non est adscribenda.

11. **De psychologiæ præstantiâ**. Alii, imprimis eclectici galli (Cousin, Janet) omnes disciplinas philosophicas ad psychologiam absolute reducunt. Nam, ut aiunt, logica est scientia rationis infallibilis ; moralis est scientia voluntatis impeccabilis ; metaphysica, scientia idearum, etc.

12. **Critica**. — At verò, quamvis psychologia, simul cum methodo psychologicâ, ad ceteras omnes disciplinas philosophicas multùm conferat, non ideo habenda est velut earum radix et mater. Etenim cognitio et scientia objecti non pendent absolute a cognitione et scientiâ subjecti, sed potius e contrario, cognitio objectiva absolute subjectivam præcedit. Insuper, inter disciplinas subjectivas, logica psychologiam præcedere videtur, cùm mens humana seipsam, scilicet naturam suam, non cognoscat nisi per ideas et ratiocinia, quæ sunt objectum logicæ.

13. **Ordo disciplinarum philosophicarum**. — Hinc apparet quinam ordo sit potius eligendus in docendis et discendis philosophiæ partibus. Primò venit logica, quæ versatur circa ideas et entia rationis, quorum medio mens humana mundum, seipsam Deumque cognoscit. Logica est organum seu instrumentum quo mens ceteras scientias acquirit. Adde logicam esse disciplinam optimam quâ mens roboratur atque acutior evadit. Secundò venit ontologia, quæ circa ens ipsum supremasque realitates versatur. Succedunt partes metaphysicæ : cosmologia, psychologia, theodicea, ascendendo nempe a sensibilibus et externis ad spiritualia et interna, deinde a spiritualibus et internis ad superiora et divina. Tandem circulum claudit philosophia practica, seu moralis, quæ aliquo modo dependet ab aliis, scilicet a theoreticis disciplinis.

14. Nihilominus, inter præcipuas disciplinas philosophicas, nulla præest sub omni respectu, nulla est a quâ ceteræ ita dependent ut sint solummodo ejus conclusiones. Sed uniuscujusque propria principia fulgent immediatâ evidentiâ.

15. **Philosophiæ excellentia** apparet ex ejus objecto, quod est maximum et præcellentissimum, scilicet : altissimæ causarum, ultimi fines, mens humana, ipse Deus.

16. **Philosophiæ utilitas** apparet ex fine et fructibus. De utrâque optime scribit S. Thomas :

Inter omnia verò studia hominum, sapientiæ studium est perfectius, sublimius et utilius et jucundius.

Perfectius quidem, quia, in quantum homo sapientiæ studio dat se, in tantum veræ beatitudinis jam aliquam partem ha-

bet. Unde Sapiens dicit : *Beatus vir qui in sapientia morabitur* (Eccli. XIV, 22).

Sublimius autem est, quia per ipsum homo ad divinam similitudinem præcipue accedit, qui omnia in sapientiâ fecit. Unde quia similitudo causa est dilectionis, sapientiæ studium præcipue Deo per amicitiam conjungit; propter quod dicitur quod *sapientia est infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, facti sunt participes amicitiæ Dei* (Sap. VII, 14).

Utilius autem est, quia per ipsam sapientiam ad immortalitatis regnum pervenitur : *Concupiscentia autem sapientiæ deducet ad regnum perpetuum* (Sap. VI, 21).

Jucundius autem est, quia *non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium* (Sap. VIII, 16) (1).

17. **Philosophiæ et fidei officia mutua.** Sane philosophia non est tantâ laude digna nisi cum fide bonisque moribus conjungatur. Hinc philosophiæ et fidei officia mutua. Divina fides opitulatur philosophiæ eam monendo de periculis atque avertendo ab erroribus pessimis. Philosophia autem fidei atque thelogiæ variis modis fert auxilium. Unde scribit S. Thomas :

Tripliciter autem in sacrâ doctrinâ philosophiâ uti possumus. Primò ad demonstrandum ea quæ sunt præambula fidei... Secundò ad notificandum per aliquas similitudines ea quæ sunt fidei... Tertiò ad resistendum his quæ contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria (2).

Eadem sic declarantur in Litteris encyclicis Sanctissimi DD Leonis XIII de instaurandis studiis philosophicis secundùm D. Thomæ doctrinam (3).

Primò quidem philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter præparare : quamobrem a veteribus modò « prævia ad christianam fidem institutio » (4), modò « christianismi præludium et auxilium » (5), modò « ad Evangelium pædagogus (6) », non immerito appellata est.

(1) *Cg.*, lib. I, cp, 2.
(2) Super Boet. De Trin., Q. II, a. 3.
(3) Encyclica *Æterni Patris* (4 Aug. 1879).
(4) Clem. Alex. *Strom* , lib. I, c. XVI; l. VII, c. III.
(5) Orig. ad Greg. Thaum.
(6) Clemens Alex. *Strom.*, I, c, V.

Et sane benignissimus Deus, in eo quod pertinet ad res divinas, non eas tantùm veritates lumine fidei patefecit quibus attingendis impar humana intelligentia est, sed nonnullas etiam manifestavit rationi non omnino impervias, ut scilicet, accedente Dei auctoritate, statim et sine aliquâ erroris admixtione omnibus innotescerent. Ex quo factum est, ut quædam vera quæ vel divinitus ad credendum proponuntur vel doctrinæ fidei arctis quibusdam vinculis colligantur, ipsi ethnicorum sapientes, naturali tantùm ratione prælucente, cognoverint, aptisque argumentis demonstraverint ac vindicaverint. *Invisibilia enim ipsius*, ut Apostolus inquit, *a creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* (1); *et gentes quæ legem non habent... ostendunt nihilominus opus legis scriptum in cordibus suis* (2).

Hæc autem vera vel ipsis ethnicorum sapientibus explorata vehementer est opportunum in revelatæ doctrinæ commodum utilitatemque convertere, ut reipsa ostendatur humanam quoque sapientiam atque ipsum adversariorum testimonium fidei christianæ suffragari. Quam agendi rationem, non recens introductam, sed veterem esse constat et sanctis Ecclesiæ Patribus sæpe usitatam. Quin etiam venerabiles isti religiosarum traditionum testes et custodes formam quamdam ejus rei et prope figuram agnoscunt in Hebræorum facto, qui Ægypto excessuri, deferre secum jussi sunt argentea atque aurea Ægyptiorum vasa cum vestibus pretiosis, ut scilicet, mutato repente usu, religioni veri Numinis ea suppelex dedicaretur quæ prius ignominiosis ritibus et superstitioni inservierat...

Non his tamen limitibus utilitas circumscribitur quæ ex illo philosophandi instituto dimanat. Et revera divinæ sapientiæ eloquiis graviter reprehenditur eorum hominum stultitia qui *de his qui videntur bona non potuerunt intelligere Eum qui est; neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex* (3). Igitur primo loco magnus hic et præclarus ex humanâ ratione fructus capitur, quod illa Deum esse demonstret : *a magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri* (4).

Deinde Deum ostendit omnium perfectionum cumulo singulariter excellere, infinitâ in primis sapientiâ, quam nulla usquam res latere, et summa justitia, quam pravus nunquam vincere possit affectus, ideoque Deum non solùm veracem esse, sed ipsam etiam veritatem falli et fallere nesciam. Ex

(1) Rom., I, 20.
(2) Rom., II, 14, 15.
(3) Sap., XIII, 1.
(4) *Ibid.*, 4.

quo consequi perspicuum est ut humana ratio plenissimam verbo Dei fidem atque auctoritatem conciliet. Simili modo ratio declarat evangelicam doctrinam mirabilibus quibusdam signis, tamquam certis certæ veritatis argumentis vel ab ipsa origine emicuisse : atque ideo omnes qui Evangelio fidem adjungunt, non temere adjungere, tamquam *doctas fabulas secutos* (1), sed rationabili prorsus obsequio intelligentiam et judicium suum divinæ subjicere auctoritati. Illud autem non minoris pretii esse intelligitur, quod ratio in perspicuo ponat Ecclesiam a Christo institutam (ut statuit Vaticana Synodus) « ob suam admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem « et inexhaustam in omnibus locis fecunditatem, ob catholicam « unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et « perpetuum esse motivum credibilitatis, et divinæ suæ lega- « tionis testimonium irrefragabile (2). »

Solidissimis ita positis fundamentis, perpetuus et multiplex adhuc requiritur philosophiæ usus, ut sacra Theologia naturam, habitum ingeniumque veræ scientiæ suscipiat atque induat. In hac enim nobilissima disciplinarum magnopere necesse est, ut multæ ac diversæ cœlestium doctrinarum partes in unum veluti corpus colligantur, ut suis quæque locis convenienter dispositæ, et ex propriis principiis derivatæ apto inter se nexu cohæreant; demum ut omnes et singulæ suis iisque invictis argumentis confirmentur. — Nec silentio prætereunda aut minimi facienda est accuratior illa atque uberior rerum quæ creduntur cognitio, et ipsorum fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquanto lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt, quamque ipsa Vaticana Synodus (3) fructuosissimam esse decrevit. Eam siquidem cognitionem et intelligentiam plenius et facilius certe illi consequuntur, qui cum integritate vitæ fideique studio ingenium conjungunt philosophicis disciplinis expolitum, præsertim cum eadem Synodus Vaticana doceat ejusmodi sacrorum dogmatum intelligentiam « tum ex eorum quæ naturaliter cognoscuntur analogia; « tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine ho- « minis ultimo » peti oportere (4).

Postremo hoc quoque ad disciplinas philosophicas pertinet, veritates divinitus traditas religiose tueri, et iis qui oppugnare audeant resistere. Quam ad rem magna est philosophiæ laus, quod fidei propugnaculum ac veluti firmum religionis munimentum habeatur. « Est quidem, sicut Clemens Alexan-

(1) II Petr. I, 16.
(2) *Const. dogm. de Fide cathol.*, c. III.
(3) *Const. dogm. de Fide catholica*, c. IV.
(4) *Ibid.*

« drinus testatur, per se perfecta et nullius indiga Servatoris « doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem « Græca philosophia veritatem non facit potentiorem ; sed cum « debiles efficiat sophistarum adversus veritatem insidias, « dicta est vineæ apta sepes et vallus (1) ». Profecto sicut inimici catholici nominis adversus religionem pugnaturi, bellicos apparatus plerumque a philosophica ratione mutuantur, ita divinarum scientiarum defensores plura e philosophiæ penu depromunt, quibus revelata dogmata valeant propugnare.

(1) *Strom.* lib. I, c. xx.

LOGICA

CAPUT II

DE LOGICA IN GENERE

18. **Logicæ objectum non est reale**. — Logicæ objectum vel subjectum ipso nomine manifestatur. Logica enim venit a voce græca λόγος, quæ significat : *verbum* (sive mentale, sive prolatum) ; *rationem*, seu facultatem cogitandi ; *orationem*, *scientiam*, *discursum*, etc. Porro de his omnibus logica tractat. Bene vocatur *philosophia rationalis*. Nam, ut ait S. Thomas, « logica est scientia rationalis non sulùm ex eo quòd est secundùm rationem, sed etiam ex eo quòd est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam. » (1). Unde ejus proprium objectum sunt *entia rationis*, seu *secundæ mentis intentiones*, scilicet species, genera, etc., quæ non inveniuntur formaliter nisi in mente. Quod sic explicat S. Th. :

« Ens est duplex, scilicet ens rationis et ens naturæ. Ens autem rationis proprie dicitur de illis intentionibus quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut intentio generis et speciei et similium ; quæ quidem non inveniuntur in rerum naturâ, sed considerationem rationis consequuntur ; et hujusmodi scilicet ens rationis est proprie subjectum logicæ. » (2).

Ideæ ergo, quatenus rebus opponuntur, sunt objectum logicæ, quæ proinde maxime differt a scientiis realibus. Igitur aliquo modo « logica est omnia et nihil ».

19. **Opus logicæ, consentire sibi**. — Hinc videmus ordinem idearum, non autem ordinem rerum, nisi indirecte, esse

(1) In lib. IV, *Metaph.*, lect. IV.
(2) *Ibid.*

objectum logicæ. Ordinantur autem ideæ in veris judiciis et veris ratiociniis ; unde habetur veritas logica, quam prosequitur vir logicæ deditus : id studet in primis ut sibi consentiat.

20. **Logicæ definitio.** — His præmiseis, definitio logicæ bene intelligitur : « Scientia quæ est directiva ipsius actûs rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter, et sine errore procedat. » (1). Logica igitur est ars quærendi veritatem ; non immerito dicitur, *ars artium, scientia scientiarum.*

21. **Aliæ definitiones.** — Cùm logica sit ars quærendi veritatem et quidem omnibus actibus rationis : cogitatione, judicio, ratiocinio, etc., varias definitiones licet accipere, quæ, si bene intelliguntur, cum nostrâ conveniunt. Revera logica dici potest : *Ars cogitandi* (Port-Royal), vel : *Ars judicandi; Ars ratiocinandi;* melius adhuc : *Ars demonstrandi* (Aristoteles). Demonstratio enim est fructus et finis logicæ.

22. **Logica et error.** — Ex dictis videmus logicam aliquo modo cum errore convenire posse. Nam ex falsis principiis ad conclusionem falsam per legitimum seu verum ratiocinium ratio pervenire potest.

23. **Logica et veritas.** — Attamen veritas logica, etiam in isto casu, non plene habetur. Nam qui ex falsis principiis recte ratiocinantur, peccant in logicâ, saltem affirmando aut negando in præmissis id quod non intelligunt neque demonstrant. Veritas ergo logica non plene invenitur nisi conjuncta cum veritate metaphysicâ aut objectivâ, quæ est veritas absolute dicta.

24. **Logica estne ars an vero scientia?** — Sanseverino negat vehementer logicam esse artem ; sed videtur rigidior. Alii dicunt logicam esse simul, sub diverso respectu, artem et scientiam.

Est sane ars, ait Liberatore (2), quia præceptis constat, quod proprium artium est ; est autem scientia, quia præ-

(1) S. Th. In lib. I *Poster*, lect. I, II.
(2) *Inst. phil.* Logica. Introd. IV.

cepta, quæ tradit, ratiocinando demonstrat. Immo verò ita est ars, ut ars artium dicenda sit; ita est scientia, ut proxime inter philosophiæ partes jure numeretur. Illud quidem, quia cùm rationem suis præceptis generatim ordinet, id ordinat a quo artes omnes, quæ ordinatione rationis constant, profisciscuntur. Hoc autem, quia scientia est quæ non modo objectum per rationes ultimas in suo genere explicat, sed etiam omnia prorsus entia suo modo contuetur.

Ut enim ait S. Thomas (1) « quia circa omnia quæ sunt habet « negotiari ratio, logica autem est de operationibus rationis, « logica etiam erit de iis quæ communia sunt omnibus, id « est de intentionibus rationis quæ ad omnes res se habent. »

Et revera jam diximus logicam esse scientiam aliquo modo universalem (n. 6).

25. **Logica naturalis, logica artificialis.** — Hæc autem logica, quæ est simul artificialis et scientifica, differt a logicâ naturali quæ omnibus hominibus plus minusve inest, quia sine studio comparatur. Logicam naturalem docet natura; alteram docent magistri.

26. **Logicæ scientificæ necessitas.** — At quamvis logica naturalis sit omnino necessaria logicæ artificiali seu scientificæ atque de eâ judicet, impar est tamen ad scientias acquirendas et perficiendas nisi cum alterâ conjungatur. Etenim experientiâ liquet neminem omni ope logicæ artificialis destitutum ad omnes conclusiones alicujus scientiæ pervenire posse ; a fortiori non poterit eas ordinare, systema verum componere falsumque confutare. Liquet etiam neminem ignarum logicæ quæ in scholis traditur dissolvere posse argumenta sophistica contradicentium. Præterea omnes potentiæ animæ habitibus indigent ad perfecte agendum; si quidem in homine omnia a naturâ inchoantur sed arte et studio perficiuntur. Exinde necessitas virtutum et scientiarum, ac proinde ipsius logicæ, quæ rationem perficit quoad proprium actum, scilicet ratiocinium.

27. **Error Augusti Comte.** — Hinc rejicitur error Augusti Comte dicentis logicam non esse dictincte colendam, imo non esse scientiam nisi particularem et omnino practicam.

(1) In I lib. *Poster.* lect. xx.

Et revera quidem cunctæ scientiæ logicâ utuntur easque logica quodam modo ingreditur; inde habentur quædam logicæ seu potius methodi particulares. At superest logica generalis, ceteris necessaria.

28. **Logica aristotelica**. — Hanc scientiam, vere philosophicam, optime tradidit Aristoteles, saltem quoad partem præcipuam seu *formalem*, in quinque libris sequentibus : *De prædicamentis* seu categoriis — *De interpretatione*, id est de judicio et propositione — *De analyticis*, id est de syllogismo demonstrativo — *De topicis*, id est de syllogismo dialectico seu probabili — *De sophisticis elenchis*, id est de speciebus sophismatum. Quos libros postea collegerunt ejus discipuli sub nomine *Organi* seu *Instrumenti*.

29. **Logicæ divisio**. — Logicam dividimus in *formalem* et *materialem* seu in *dialecticam* et *criticam*. Prima tractat de tribus mentis operationibus, scilicet de apprehensione, judicio et ratiocinio, quibus respondent termini, propositiones et syllogismi. Secunda tractat præsertim de criteriis et methodo.

30. **Quædam objectiones solvuntur**. — Antequam dialecticam aggrediamur, quasdam objectiones solvemus ut magis liqueant ea quæ dicta sunt et quædam alia innuantur.

1ª *Obj*. Logica non videtur scientia satis distincta. Nam de universis tractat, cuicumque veritati studet, ubique adest ceteris scientiis. Saltem non videtur distincta a scientiâ psychologicâ, quæ versatur pariter circa rationem ejusque actus et leges — Respondeo :

31. **Logica est scientia distincta** non propter objectum suum materiale, sed propter objectum formale, ut jam diximus. Logica enim tractat de universis, sed quatenus sunt in mente et media ad veritatem inquirendam. Unde perfecte differt etiam a psychologiâ, quæ versatur quidem circa mentem seu rationem ejusque actus, sed quatenus illi existunt ab ipsâ naturâ; unde reguntur legibus necessariis, quæ vocantur *leges psychologicæ*. Logica autem versatur circa *leges ratiocinii* et alias similes, quas errantes non observant.

2ª *Obj*. Saltem logica non differre videtur a grammaticâ,

quæ pariter tractat de ideis et terminis, de judicio et propositione, de ratiocinio ejusque signo voce prolato vel scripto — Resp. :

32. **Logicæ et grammaticæ mutua relatio.** — Stricte quidem sunt connexæ logica formalis et grammatica; valde tamen differunt. Hæc enim attendit ideis, judiciis et ratiociniis propter eorum signa; illa autem studet verbis propter ipsos conceptus, ipsa judicia et ratiocinia. Ideoque aliæ sunt veritates aut leges grammaticales, et aliæ veritates aut leges logicæ. Grammatica *exprimit;* sed logica *demonstrat.* Succedit rhetorica, quæ *suadet.*

3a *Obj.* Tandem nonnulli putant solam logicam experimentalem seu practicam esse utilem, vanas autem esse considerationes de ideis ipsis aut ratiociniis. Quis enim sermocinando attendit syllogismo, quantitati qualitative propositionum quibus utitur, nisi scholas habeat? — Resp. :

33. **Logica est necessaria utpote scientia veritatis.** — Non sufficit enim ut homo sapiens verum inveniat, sed requiritur ut sciat verum inquirere, si abest, sciat invenisse et possidere, si adest, sciat etiam tradere his qui ignorant aut errant. Hæc est autem scientia scientiæ seu scientia veritatis. Unde scribit Augustinus :

Quomodo ergo ratio transiret ad alia fabricanda, nisi ipsa sua prius quasi quædam machinamenta et instrumenta distingueret, notaret, digereret proderetque ipsam *disciplinam disciplinarum* quam dialecticam vocant? Hæc docet docere, hæc docet discere : in hac seipsa ratio demonstrat atque aperit quæ sit, quid velit, quid valeat. *Scit scire;* sola scientes facere non solùm vult, sed etiam potest (1).

CAPUT III

DE DIALECTICA ET SPECIATIM DE IDEIS

34. **Dialecticæ divisio : tres operationes mentis.** — Dialectica versatur circa tres operationes mentis, scilicet :

(1) *De Ordine*, lib. III, c. XIII.

apprehensionem, cujus principium immediatum et effectus, sub diverso respectu, est *idea; judicium* et *ratiocinium*. Ideæ *terminis*, judicia *propositionibus*, ratiocinia *syllogismis* exprimuntur. Et quemadmodum ratiocinia constant judiciis, judicia autem ideis, ita syllogismi propositionibus, propositiones autem terminis constant. Insuper, propter hanc relationem signi cum re significatâ, cædem sunt generatim proprietates idearum et terminorum, judiciorum et propositionum, ratiociniorum quoque et syllogismorum.

35. **Idea**. — A voce græca quæ idem sonat ac *imago*, *forma*, *species*, idea est *principium cognoscendi*, seu forma præter rem existens et quâ res cognoscitur, id est apprehenditur. Idea ergo non est actus cognitionis, sed potius principium hujus actùs. Evadit etiam terminus seu objectum cognitionis, si est reflexa; quod fit si tanquam exemplar habetur. Ad rem S. Th. :

Per ideas intelliguntur formæ aliquarum rerum præter ipsas res existentes. Forma autem alicujus rei præter ipsam existens, ad duo esse potest : vel ut sit exemplar ejus cujus dicitur forma, vel ut sit principium cognitionis ipsius (1).

36. **Idearum comprehensio et extensio**. — Omnis idea plures notas aut saltem unam comprehendit, et pluribus subjectis aut saltem uni convenit : hinc ejus comprehensio et extensio. Ex. g. idea hominis notas animalitatis et rationalitatis comprehendit et ad omnes et solos homines extenditur; idea verò animalis sensibilitatem comprehendit, non autem rationem, sed ad omnia animalia, sive bruta sive homines, extenditur. Unde hæc idea minus comprehendit sed magis extenditur quam illa (vide alibi dicenda de genere et specie, n. 59). Idea quæ minimam comprehensionem et maximam extensionem habet est idea entis.

37. **Idea non est imago sensibilis**. — Maxime differunt idea et imago sensibilis. Idea enim est in mente; imago autem, in imaginatione aut alio sensu. Multa sunt quæ concipimus et intelligimus plus minusve, cùm tamen ea proprie imaginari aut sentire non possimus : ex. g. divinitas, spiri-

(1) 1a , q. 15. a. 1.

tus, materia prima, polygonon cujus latera essent decem millia (vide alibi dicenda, in psychologiâ, ubi de differentiâ sensûs et intellectûs).

38. **Actuum sensibilium cum actibus spiritualibus analogia**. — Attamen, cùm sensus et intellectus sint in homine conjuncti intimo nexu, idea quæ est in mente nunquam habetur nisi cum aliquâ imagine sensibili, quæ ei respondeat. Hæc imago ideam sustentat quodam modo utque manifestat. Unde omnes actus spirituales actibus sensibilibus designantur, ut patet innumeris metaphoris et vocibus : *pensare*, *intelligere* (inter legere), *comprehendere*, *videre*, *capere*, *concipere*, etc.

39. **Idea et quædam ei comitantia : apprehensio**. — Distinguenda est idea non solùm ab imagine sed etiam a quibusdam aliis ; et primò quidem ab apprehensione. Hæc est actus quo mens apprehendit seu capit, cognoscit, concipit aliquid ; idea verò est principium hujus actûs (idea *impressa)*, vel effectus hujus actûs (idea *expressa*). Revera, idea ita primùm cadit in intellectum ut nesciamus sæpe unde veniat ; eam patitur seu recipit intellectus, qui propter hoc dicitur *patiens*. At intellectus, sic determinatus ideâ impressâ seu formâ objecti, agit ipse, concipit, id est efficit ideam expressam, in quâ et per quam apprehendit seu videt objectum, quasi in speculo. Idea expressa est igitur effectus vel terminus hujus actûs, non autem objectum, saltem directum et primò cognitum. Hæc idea est *verbum mentis*, scilicet illud quo quisque loquitur secum, cogitando, meditando, discurrendo ; quod verbum spirituale valde differt a « verbo prolato et etiam a verbo imaginato. » Hæc verba sensibilia sunt quidem verbo mentali maxime utilia, non tamen omnino necessaria. Sufficit enim aliqua imago vel species sensibilis in phantasiâ.

40. **Ideæ duplex character : unum subjectivum et aliud objectivum**. — Idea est subjectiva et objectiva simul sub diverso respectu. Est quidem subjectiva, quatenus accidens, modus, modificatio mentis, seu aliqua realitas in mente. Sed est objectiva quatenus aliquod objectum exprimit atque

manifestat, et quidem priusquam manifestet seipsam. Revera idea est forma in mente; sed est forma rei seu objecti præter mentem existentis. Primo modo spectata est *conceptus formalis;* secundo modo, est *conceptus objectivus.* Propter hanc idearum objectivitatem dicere potuit Aristoteles : *Anima fit quodam modo omnia.*

41. **Notio. Conceptus.** — Notio est idea quatenus aliquid objectivum seu notas exhibet; unde habetur quædam notitia. Conceptus est etiam idea, sed quatenus terminus seu fructus mentis apprehendentis aliquid aut abstrahentis, etc.

42. **Attentio. Abstractio.** — Attentio est actus quo mens se convertit ad unam rem præ ceteris, quas simul apprehendit, considerandam. Sic, statuam considerando, attendo præsertim capiti. Attentio est quasi species apprehensionis. Quædam abstractio, improprie dicta, est etiam species apprehensionis aut attentionis, illa scilicet quâ ex duobus vel pluribus naturâ suâ conjunctis unum sine altero apprehendimus : sic in pomo colorem videmus absque sapore. Sed abstractio proprie dicta ea est vi cujus mens considerat id quod est commune pluribus et vere universale : ex. g. in Petro et aliis hominibus humanitatem, in omnibus corporibus substantiam apprehendimus.

43. **Reflectere, meditari, contemplari, cogitare.** — Hæc abstractio quâ mens universale apprehendere potest est vere primus actus mentis seu intellectûs, siquidem « intellectus est universalium ». Succedunt reflexio, meditatio, contemplatio, etc. Reflexio est attentio mentis ad proprios actus. Meditatio est processus rationis ex principiis aliquibus. Contemplatio est simplex intuitus veritatis. Hos actus et alios comprehendit cogitatio, de quâ scribit S. Th. :

« Cogitatio videtur pertinere ad multorem inspectionem, ex quibus aliquis colligere intendit unam simplicem veritatem. Unde sub cogitatione comprehendi possunt et perceptiones sensuum ad cognoscendum aliquos effectus, et imaginationes, et discursus rationis... » (1).

(1) 2a 2æ, q. 180, a. 3.

44. **Alii fontes idearum**. — Hi sunt fontes interiores et proximi idearum, qui fontibus exterioribus aluntur. Movent enim animum spectaculum rerum cœlestium et terrestrium, sermones hominum nobiscum conviventium et scripta antiquorum, speciatim divina revelatio.

45. **Idearum divisio**. **Idea positiva ; idea negativa**. — Ratione objecti, alia est idea positiva et alia negativa. Illa aliquam realitatem seu entitatem exprimit : ex. g. *ens*, *lumen*, *vita;* hæc autem exhibet negationem et absentiam aut privationem : ex. g. *nihilum*, *tenebræ*, *malum*. Animadverte ideam esse quandoque negativam in voce, positivam verò in se seu objecto et re significatâ : ex. g. *infinitum*, *immortalitas*. E converso, idea est quandoque positiva in voce, negativa in se : ex. g. *mors*, *cæcitas*. Animadverte etiam per ideam negativam non exprimi puram negationem ; nam ista non concipitur per seipsam, sed per oppositum. Sic mors concipitur per vitam, malum per bonum.

46. **Idea simplex ; idea composita**. — Illa est quæ pluribus notis non constat, ac proinde in plures dissolvi non potest. Dicitur etiam *incomplexa :* sic idea *entis*. Hæc autem pluribus notis constat et in plures ideas resolvi potest : sic idea *medici* (homo et ars medicinæ). Dicitur etiam *complexa*. Attamen plures scholastici, non ita sentientes, dicunt ideam simplicem referre unicam rei entitatem, seu essentiam ; compositam autem, multiplicem entitatem, seu : illam referre *unum per se;* hanc autem, *unum per accidens*. Sic idea hominis esset simplex, quia refert unum per se; sed idea medici esset composita, quia ars medicinæ et homo non constituunt aliquid unum per se seu essentialiter, sed aliquid unum per accidens.

47. **Idea geometrica ; idea pura**. — Moderni distinguunt ideam geometricam et ideam puram : illam, quæ extensionem explicite aut implicite significat; hanc, quæ ab omni extensione abstrahit. Ex. g. idea circuli (quam non licet confundere cum imagine circuli) extensionem explicite significat; idea soni implicite tantùm extensionem significat ; idea verò spiritûs nullo modo.

48. **Idea sensibilis ; idea intellectualis.** — Hæc divisio præcedentem explicat. Omnes ideæ proprie dictæ, sunt intellectuales, id est, sunt *species intelligibiles* ac proinde in intellectu. Sed quandoque dicuntur ideæ sensibiles etiam *species sensibiles*, quæ sunt in sensibus. De istis non agitur in præsenti. Propter aliam rationem, dicuntur sensibiles etiam ideæ vere intellectuales seu species intelligibiles quibus exprimuntur naturæ rerum sensibilium. Ut clarius res appareat faciliusque vitentur æquivocationes, oportet attendere diversis gradibus abstractionis. Ideæ enim proprie dictæ seu species intelligibiles sunt plus minusve abstractæ a materiâ. Aliæ sunt abstractæ tantùm a materiâ individuali, non autem a sensibili : sic ideæ animalis, plantæ, hujus vel illius generis corporum viventium aut non viventium. Quæ ideæ sunt propriæ scientiis physicis. Aliæ sunt abstractæ etiam a materiâ sensibili, non autem a materiâ intelligibili ; quæ sunt propriæ scientiis mathematicis. Aliæ tandem sunt abstractæ ab omni materiâ, etiam intelligibili ; et sunt proprie philosophicæ (Vide cp. XVII, de scientiarum ordinatione).

49. **Idea concreta ; idea abtracta.** — Omnis idea, ut vidimus, est abstracta plus minusve. Sed dicitur concreta, si ens determinatum seu subjectum cum qualitate exprimit : ex. g. *Deus*, *homo virtuosus*. Abstracta autem dicitur, si naturam aut qualitatem quasi separatam a subjecto exprimit : ex. g. *divinitas*, *humanitas*, *virtus*. Concretum triplex distingui potest : *metaphysicum*, *physicum*, *logicum*, prout qualitas aut forma est essentialis subjecto (ex. g. homo), vel accidentalis, sed intrinseca (ex. gr. *sapiens*), vel tantùm accidentalis (ex. g. *dives*).

50. **Idea realis ; idea logica.** — Quævis idea est simul realis et logica, sub diverso respectu : logica, utpote in intellectu ; realis, quatenus exhibet aliud quam seipsam. Sed idea dicitur *realis*, si primò seu directe objectum reale exprimit ; *logica* autem, si potius exprimit modum quo mens objectum cognoscit. Ideæ reales sunt *homo*, *Deus*, *arbor* et similia ; ideæ logicæ, *humanitas*, quatenus genus, et omnia alia genera vel species.

Ideis realibus ac proinde rebus ipsis attendit scientia metaphysica; ideis logicis ac proinde entibus rationis attendit dialectica.

51. **Idea singularis; idea universalis; idea particularis; idea collectiva.** — Præcipua divisio fit ratione amplitudinis objecti; quam sic tradimus. Idea *singularis* est ea quæ uni subjecto convenit (ex. g. idea Petri, idea hujus arboris vel domûs); non habet ergo extensionem, sed ejus notæ simul sumptæ unum individuum exhibent, ideoque dicuntur *individuantes*. Hujusmodi notæ septem numerantur :

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen :
Hæc ea sunt septem, quæ non habet unus et alter.

Idea *universalis* est ea quæ pluribus subjectis convenit, saltem aliquâ ratione : ex. g. idea substantiæ, idea entis, idea animalis. At rursus idea universalis distinguitur in particularem, collectivam et distributivam. Idea *particularis* est idea universalis quæ aliquâ particulâ, aliquibus adjunctis restringitur. Est determinata (ex. g. aliqui homines sunt galli) vel indeterminata (aliqui homines hoc anno morientur). Determinatio autem potest esse ita stricta ut idea evadat singularis : ex. g. aliquis homo est Deus. Idea *collectiva* est ea quæ convenit pluribus subjectis simul sumptis : ex. g. idea hujus familiæ vel hujus exercitûs. Hæc idea, etsi requirat pluralitatem suppositorum, importat tamen unitatem quamdam, scilicet ordinis alicujus, ideoque habenda est potius tanquam idea singularis. At secus esset dicendum de ideâ exercitûs vel familiæ in genere, quæ vere est distributiva, quatenus omnibus exercitibus vel omnibus familiis convenit. Idea *distributiva* enim convenit pluribus subjectis divisim sumptis; quæ sola est idea universalis proprie dicta.

52. **Idea univoca; idea analoga. Analogia proportionis, attributionis**, etc. — Rursus idea universalis dividitur in *univocam* et *analogam*. Idea univoca ea est quæ convenit pluribus subjectis secundùm eamdem rationem : sic humanitas, animalitas. Hìc non agitur de ideis æquivocis; quia æquivocatio non invenitur in ipsis ideis, sed in terminis aut aliis signis quibus ideæ exprimuntur. Idea analoga ea est

quæ pluribus quidem convenit sed solûm propter quamdam analogiam : sic sanitas, quæ dicitur principaliter de corpore, dicitur deinde de cibo, potu, aere, medicinâ, etc.; et hæc analogia dicitur *proportionis seu habitudinis*. Cibus enim, potus et cetera dicuntur sana per respectum ad corpus, quod est, ut aiunt, *summum analogatum*. At, si conferamus inter se jam non corpus cum cibo aut potu, sed cibum et potum, analogia erit attributionis, quia his duobus eamdem qualitatem tribuimus propter relationem cum tertio, quod est principale.

Similiter invenitur analogia proportionis seu habitudinis inter substantiam et accidens ; sed invenitur analogia attributionis inter quantitatem et qualitatem, per respectum ad substantiam.

Analogia autem proportionis iterum duplex distinguitur : analogia *proportionis simpliciter* et analogia *proportionalitatis*. Prima invenitur inter duo quorum unum refertur ad alterum, quod est principale : sic inter cibum sanum et corpus sanum. Secunda invenitur ieter duas proportiones, seu resultat ex quadam comparatione : ex. gr. inter lumen sensibile et lumen intellectuale. Nam quemadmodum lumen sensibile illuminat mundum sensibilem, ita lumen intellectuale mundum intelligibilem. Ex his paucis patet jam ideas analogas esse innumeras : inde metaphoræ, figuræ.

53. **Præcipuæ ideæ analogæ**. — Sunt ideæ transcendentales, scilicet quæ transcendunt genera suprema seu categorias. Sic numerantur : *ens*, *res*, *unum*, *aliquid*, *verum*, *bonum*. Etiam *modus*, *relatio* aliæque voces ad quamdam ideam transcendentalem significandam quandoque usurpantur.

54. **Præcipuæ ideæ univocæ. Universalia : genus, species**, etc. — Præcipuæ ideæ univocæ sunt universalia proprie dicta seu prædicabilia. Quinque numerantur : genus, species, differentia, proprium et accidens. *Genus* est id quod convenit pluribus speciebus eodem modo, secundùm eamdem definitionem : ex. g. animalitas, sensibilitas. — *Species* est essentia communis pluribus individuis : ex. g. humanitas seu

natura humana. — *Differentia* est id quo species inter se differunt : ex. g. rationalitas, quâ homines differunt a brutis. — *Proprium* est id quod fluit ex essentiâ ac proinde eam manifestat : ex. g. in homine facultas ridendi, loquendi, virtutem colendi, etc. — *Accidens* (de quo nunc agitur, scilicet accidens logicum) est id quod potest adesse et abesse, salvâ rei essentiâ : ex. g. scientia in homine (Vide etiam infra dicenda n° 62, de prædicabilibus).

55. **Quædam notanda : Ea quæ sunt ejusdem generis sunt comparabilia.** — Nam habent aliquid commune et aliquid differens. Secus est dicendum de rebus diversi generis : « Quæ non sunt unius generis, ait S. Th., non sunt comparabilia, sicut dulcedo inconvenienter dicitur major vel minor quam linea » (1). Genus autem potest esse plus minusve proximum ; inde comparatio erit plus minusve facilis, nisi fiat ad manifestandas oppositiones potius quam similitudines.

56. **Genus et differentia se habent sicut materia et forma, potentia et actus.** — Nam genus et differentia speciem seu essentiam logicam simul componunt, sicut materia et forma componunt essentiam physicam, et sicut potentia et actus componunt essentiam metaphysicam. Et quemadmodum forma determinat et perficit materiam, et actus potentiam, ita differentia determinat et perficit genus. Ex. g. in homine rationalitas determinat et perficit animalitatem, quæ est quasi materia et potentia. Hinc proportio sequens : quemadmodum genus se habet ad differentiam in ordine logico, ita materia se habet ad formam in ordine physico, ita etiam se habet potentia ad actum in ordine metaphysico (Vide dicenda in metaphysicâ de potentiâ et actu, de materiâ et formâ).

57. **Distinguenda est species realis a specie mere logicâ.** — Aliud est enim species realis, proprie dicta, philosophica, et aliud species mere logica. Hæc constat genere et differentiâ accidentali : ex. g. inter homines species alba aut

(1) 1a , q. 6, a. 2.

nigra, quæ constat humanitate seu naturâ humanâ et quodam colore. Illa autem constat genere et differentiâ essentialiter unitis, quibus nempe una essentia constituitur : ex. g. species humana, quæ est composita ex animalitate et rationalitate. Non enim datur proprie genus humanum, sed potius species humana.

58. **Animalia omnia suntne ejusdem speciei realis ?** — Species humana distinguitur contra speciem brutorum. At bruta componuntne unicam speciem realem infimam propter sensibilitatem, quæ est illis omnibus communis? — Hoc non videtur admittendum, quia animalia maxime et essentialiter differunt inter se quoad ipsam sensibilitatem, ut patet diversitate organorum sensuum totiusque organismi.

59. **Genus majorem extensionem sed minorem comprehensionem habet quam species.** — Genus continet speciem et ab eâ continetur, sub diverso respectu. Numerosiora enim sunt individua generis, sed pauciores sunt notæ (Vide nº 36).

60. **Ordinatio generum et specierum.** — Species fit genus si comparatur cum speciebus inferioribus; item, genus fit species si cum generibus superioribus comparatur.

Inde distinguuntur species et genera *suprema*, *media*, *infima* (vide arborem Porphyrii. *Lexicon*). Hæc autem, in ordinatione animalium, etc., dicuntur *regna*, *rami*, *classes*, *ordines*, *familiæ*, *tribus*, *genera* tandem et *species*. Infra veniunt *stirpes* et *varietates*.

61. **Distinctio, differentia, diversitas.** — Nunc manifestus est sensus proprius et strictus horum trium. *Distinctio* est inter individua ejusdem speciei ; *differentia*, inter species ejusdem generis ; *diversitas* inter genera. Diversitas ergo est totalis (saltem diversitas inter genera suprema) ; differentia autem partialis ; distinctio est accidentalis seu numerica.

62. **Prædicabilia, modi attributionis.** — Universalia dicebantur etiam prædicabilia (v. supra, n. 54), quia innuunt varios modos prædicandi aliquid de subjecto. Et revera *species* prædicatur essentialiter de subjecto ejusque est definitio ; unde « prædicatur in quid complete », ut aiunt. Ex. gr. : Petrus

est homo. *Genus* prædicatur essentialiter de subjecto, sed non totam essentiam designat; unde « prædicatur in quid incomplete ». Ex. gr. : Petrus est animal. *Differentia* prædicatur essentialiter de subjecto, sed per modum qualitatis; unde « prædicatur in quale quid ». Ex. gr. : Petrus est rationabilis. *Proprium* prædicatur per modum qualitatis sed necessariò; unde « prædicatur in quale necessariò ». Ex. gr. : Petrus habet facultatem abstrahendi. *Accidens* prædicatur per modum qualitatis contingentis; unde « prædicatur in quale contingenter ». Ex. gr. : Petrus est doctus.

Porro præter hæc quinque non sunt alia universalia. Etenim universale invenitur in particulari eique tribuitur vel tanquam ejus essentia completa (hinc *species*); vel tanquam pars indeterminata essentiæ (*genus*); vel tanquam pars determinans essentiam (*differentia*); vel tanquam realitas addita essentiæ et necessariò (*proprium*); vel tanquam realitas addita essentiæ et contingenter (*accidens*).

63. **Categoriæ, attributa maxime generalia.** — Hæc attributa sunt genera suprema seu categoriæ, prædicamenta. Differunt a prædicabilibus sicut attributa ipsa a modo attributionis. Dicuntur *modi speciales entis*, et sic discriminantur a transcendentalibus, quæ sunt *modi generales entis*. Decem numerantur : *substantia*, *quantitas*, *qualitas*, *relatio*, *actio*, *passio*, *locus*, *tempus*, *situs*, *habitus*. His versiculis continentur.

Arbor sex servos ardore refrigerat ustos.
(subst.) (quant.) (rel.) (qual.) (actio) (passio)
Ruri cras stabo, sed tunicatus ero.
(locus) (tempus) (situs) (habitus)

Ad ordinem metaphysicum seu realem potius quam ad logicum categoriæ pertinent; ideoque alibi explicabuntur (vide n. 475).

64. **Aliæ notiones generalissimæ**. — Post categorias veniunt *principia* et *causæ* (causa materialis, formalis, efficiens, finalis), quæ ad notionem relationis speciatim reducuntur.

Veniunt etiam notiones quæ dicuntur *postprædicamenta*, scilicet : *oppositio* (contradictio et contrarietas), *prioritas*, *simultaneitas*, *motus* et *modus habendi*. — Prioritas est du-

rationis, vel naturæ, vel consequentiæ, vel ordinis tantùm, vel dignitatis. — Simultaneitas est negatio prioritatis. — Motus est transitus de uno termino ad alium. Ad motum reducuntur non solùm motus localis, sed etiam omnes mutationes : generatio et corruptio, augmentatio et diminutio, alteratio, etc. Imo, motus idem sonat quandoque ac actus. — Modus habendi est multiplex. Res enim potest haberi tanquam *inhærens* (qualitas ex. g.), vel tanquam *contenta*, vel tanquam *possessa*, etc.

65. **Absolutum et relativum. Modus**. — Omnes categoriæ reducuntur ad substantiam, accidens et relationem tanquam ad tres principales. Istæ verò, cum notionibus transcendentalibus, reducuntur quodam modo ad *absolutum* et *relativum*. Hæc enim duo significationem transcendentalem accipere possunt: ita et *modus*. Nam unitas, veritas, bonitas jam innuunt quamdam relationem et dicuntur modi generales entis. Solum ens absolute dicitur.

66. **Idea clara, idea obscura**. — Hucusque ideas distinximus ratione objecti. Nunc, ratione perfectionis, idea est clara vel obscura. Deinde idea clara est distincta vel indistincta ; idea distincta est completa vel incompleta ; idea completa est adæquata vel inadæquata.

Idea clara ea est quâ res ita exprimitur ut a quavis aliâ distinguatur ; secus, idea est obscura. Ex. gr. : si quis putat hominem differre a brutis solummodo propter gradum intellectûs, non autem propter ipsum intellectum et animam spiritualem, non habet hominis ideam nisi obscuram ; item qui putat causam esse meram conditionem antecedentem non habet causæ ideam nisi obscuram, imo contradictoriam.

67. **Quæcumque sit quæstio oportet studere claritati et concordiæ idearum**. — Inde jam videmus multas disputationes philosophicas in hoc esse ut ideæ clarescant atque concordent. Ex. gr., disputatio de motu tota est in hoc ut idea motûs non sit contradictoria, scilicet implicans motum infinitum. Item disserendo de libero arbitrio, totum est ut ostendamus actum liberum non esse sine causâ. Pariter adhuc disputando de Deo contra pantheistas, ostendere oportet

ideam perfecti non excludi ideâ infiniti, sed unam potius alterâ implicari.

68. **Idea distincta ; idea confusa.** — Illa est cujus partes seu notæ, saltem præcipuæ, quibus coalescit, clare referuntur. E contrario, partes seu notæ ideæ confusæ non discernuntur. Igitur idea distincta est clara quoad totum et etiam quoad partes quasdam, sed non semper quoad omnes.

69. **Idea completa, idea incompleta. Idea adæquata, idea inadæquata.** — Idea completa est distincta usque ad simpliciores notas. Idea adæquata seu *comprehensiva* exhaurit suum objectum, nec videtur perfecte tribuenda nisi soli Deo : « L'homme ne sait le tout de rien. »

70. **Ideæ veræ, ideæ falsæ.** — Nonnulli ideas dividunt in *veras* et *falsas;* sed non videtur probanda hæc divisio. Veritas enim et falsitas non inveniuntur proprie in ideis, sed solùm in judicio (Vide infra, n° 199). Quodam modo omnes ideæ singillatim sumptæ sunt veræ, quia exprimunt objectum suum.

71. **Ideæ identicæ.** — Ratione comparationis inter se, ideæ dicuntur identicæ quæ iisdem notis constant : ex. gr. *homo* et *animal rationale.* Identitas autem est totalis, sicut in exemplo allato, vel partialis, sicut inter genus et speciem.

72. **Ideæ associatæ** sunt illæ quarum una excitat aliam : ex. g. idea fumi cum ideâ ignis et generatim idea signi cum ideâ rei significatæ. Porro nexus idearum quæ consociantur potest esse objectivus vel subjectivus, id est ex naturâ ipsâ objectorum vel ex conditione ipsius subjecti cogitantis (Vide n° 863).

73. **Ideæ consociabiles ; ideæ oppositæ. Quatuor species oppositionis.** — Sæpissime ideæ asssociatæ non sunt consociabiles, id est, non possunt in unam ideam complexam convenire : ex. gr. ideæ entis et nihili, circuli et quadrati. Hæc insociabilitas seu repugnantia dicitur oppositio. Opposita dicuntur ea quæ in eâdem re et sub eodem respectu esse non possunt. Quadruplex autem est oppositio : 1° *contradictionis* (inter rem ejusque negationem, sicut inter ens et

nihilum); 2° *privationis* (inter formam debitam in subjecto et hujus formæ carentiam, sicut inter visum et cæcitatem); 3° *contrarietatis* (sicut inter virtutem et vitium); 4° *relationis* (inter correlativa, sicut inter patrem et filium).

74. **Ideæ intuitivæ, ideæ abstractivæ; directæ, reflexæ; innatæ, adventiciæ, facticiæ.** — Ratione originis distinguuntur ideæ intuitivæ, abstractivæ, etc. Idea intuitiva ea est quæ accipitur immediate a præsentiâ reali rei cognitæ : ex. gr. visio beatifica et generatim visio seu intuitio. Idea abstractiva, e contrario, non accipitur immediate ab ipsâ re cognitâ, sed ab aliâ, quæ est ejus imago seu expressio : sic cognoscitur causa per effectum.

Idea directa habetur uno et primo actu mentis; reflexa autem, secundo actu mentis, redeuntis in primum. Reflexio dicitur *psychologica* seu *subjectiva*, si mens redit in seipsam aut in proprios actus subjecti cogitantis; dicitur *ontologica*, si redit in objectum externum jam cogitatum. Ad reflexionem psychologicam reducitur *conscientia*, quæ est cognitio statûs præsentis subjecti cogitantis.

Cartesius distinxit : ideas *innatas*, quæ revera non inveniuntur naturaliter in homine, cùm omnes ideæ quodam modo oriantur a sensibus et experientiâ (vide psychologiam de origine idearum); — ideas *adventicias*, quæ oriuntur ex experientiâ : ex. gr. idea doloris, idea societatis; — ideas *facticias*, quæ non referunt aliquid expertum et reale, sed excogitantur a philosophis et poetis : ex. gr. idea chimæræ aut alterius mundi.

CAPUT IV

DE SIGNIS ET SPECIATIM DE TERMINIS

75. **Signum.** — Strictius loquendo, signum est « id quod prius notum ducit in cognitionem alterius ». Secundùm hanc definitionem, jam idea non esset signum, cùm manifestet objectum priusquam seipsam. Sed, ait S. Th., « communiter possumus dicere signum quodcumque notum in quod aliud

cognoscatur. Et secundùm hoc forma intelligibilis (id est idea) potest dici signum rei quæ per ipsam cognoscitur » (1).

Voces autem sunt signa sensu strictiori; quæ significant immediate ideas seu conceptus mentis, mediate autem ipsas res. Unde scribit S. Th. : « Vox significat immediate conceptum intellectûs, quo mediante significat rem » (2), et alibi : « Voces sunt signa intellectuum, et intellectus sunt rerum similitudines. Et sic patet quòd voces referuntur ad res significandas, mediante conceptione intellectûs » (3). Ex his paucis jam colligitur quanti momenti sint signa, sine quibus homo neque loqui neque etiam cogitare potest.

76. **Signum formale, signum instrumentale**. — Primum est quod essentiâ suâ seu formâ suâ ducit in cognitionem alterius : sic idea, tabula picta, statua. Secundum signi ficat vi alterius connexionis et dicitur instrumentale aut materiale : sic verbum, scriptura. Connexio autem signi cum re significatâ est *naturalis* vel *arbitraria* et *conventionalis*.

77. **Signum naturale, signum conventionale**. — Primum ducit in cognitionem alterius vi connexionis naturalis : sic gemitus, fumus. Hìc animadvertamus, cum S. Th., connexionem naturalem signi cum signato oriri ex triplici capite : « Omne enim corporale signum vel est effectus ejus cujus est signum (sicut fumus significat ignem a quo causatur), vel est ejus causa, vel procedit ab eâdem causâ » (4).

Signum conventionale (seu arbitrarium, ad placitum) ducit in cognitionem alterius vi cujusdam conventionis seu electionis : sic arcus in nubibus est signum quòd Deus pepigit fœdus cum genere humano post diluvium.

78. **Signum artificiale seu mixtum**. — At plurima signa non sunt mere naturalia neque mere artificialia; sed fundantur in naturâ et determinantur arte seu electione hominum : sic sceptrum significat potestatem regiam ;

(1) Qu. disp. De cogn. scientiæ angel. a 4, ad 4.
(2) Cg., lib. IV, c. II.
(3) 1[a], q. 13, a. 1. — 1[a] 2[æ], q. 25, a. 2.
(4) 2[a] 2[æ], q. 95, a. 5.

claves sancti Petri significant potestatem ligandi atque solvendi, etc.

79. **Signum certum; signum incertum et æquivocum.** — Primum est illud cujus connexio cum signato est necessaria ac proinde certa : ex. gr. verum miraculum est signum certum divinæ revelationis; vox et respiratio sunt signa certa vitæ. Secundum est illud cujus connexio cum signato est dubia. Dicitur etiam æquivocum, ambiguum. Hujusmodi sunt effectus qui a diversis causis produci possunt, et causæ ex quibus diversi effectus oriuntur. Ex. gr. immobilitas corporis est signum incertum mortis.

80. **Signum sacrum, signum profanum.** — Illud ad religionem pertinet et potest esse *res*, *oratio*, *gestus* seu *factum;* inde sacrificium et sacramenta, exterior cultus, de quo scribit S. Th. : « Sicut autem significatur aliquid verbo, ita etiam significatur aliquid facto ; et in tali significatione facti consistit exterior religionis cultus » (1). — Signum autem profanum non pertinet ad cultum nisi civilem.

81. **Signum intelligibile, signum sensibile.** — Illud percipitur solummodo intellectu. Sed inter homines non datur signum ejusmodi nisi cum aliquo signo sensibili. Signa autem sensibilia alia sunt visa, alia audita, etc. Hinc præsertim verba et scripta.

82. **Scriptura** duplex est : *ideographica*, quæ immediate ideam significat; *phonetica*, quæ ideam et rem significat mediante voce. Hæc iterum duplex est : una exprimit syllabas integras : sic apud Japonenses; alia exprimit syllabarum elementa et dicitur *alphabetica*.

83. **Signa perfectissima sunt verba.** — Nam perfectio signi sumenda est ex ordine ad intellectum. Porro verba audita propius accedunt ad intellectum quàm res aut facta quæ videntur. Sola verba enim exprimunt immediate et perfecte quascumque ideas universales. Unde scribit Augustinus : « Verba obtinuerunt principatum significandi.» Optime igitur,

(1) 2a2æ, q. 93, a. 1.

in sacramentis Ecclesiæ, verba habentur tanquam forma, res autem vel gestus tanquam materia.

84. **Objectiones.** — 1° Visus est primus inter sensus exteriores, siquidem est « magis cognoscitivus », ut ait S. Th., et S. Aug. : « Oculi sunt ad cognoscendum in sensibus principales, unde omnia sensibilia videri dicuntur ». Ergo signa visa præsunt signis auditis seu verbis.

Resp. — Visus est primus quatenus sensus, sed secundus quatenus signum. Nam visu perfectius quidem percipimus res corporales, sed tardius devenimus in cognitionem intellegibilium.

2° Videtur quòd gestus expressius rem significat quàm vox, siquidem oratio naturaliter completur et determinatur gestibus.

Resp. Gestus quandoque magis ferit sensum quam vox, sed minus per se significat; unde quidquid exprimitur gestu exprimi potest voce, non autem e converso.

3° Saltem scriptura verbo præstare videtur, siquidem « verba volant, scripta manent ».

Resp. — Scriptura non præstat verbo nisi relative, seu secundùm quid ; sed in se est mortua neque reviviscere potest nisi voce, interpretatione et traditione.

85. **Sermonis essentia : quomodo differt a voce animalium.** — Vox definitur ab Aristotele : Sonus ab ore animalis prolatus cum imaginatione quadam. Est articulata vel non. Sed præcipua divisio hæc est : Vox est locuta vel non. Vocem locutam dicimus sermonem, qui est hominibus proprius, quia solus ideas proprie dictas exprimit et continet ; quæ sunt quasi anima ejus. Unde quoad sonos seu corpus, ut ita dicam, voces hominum non differunt essentialiter a vocibus animalium, sed absolute differunt quoad significationem et animam. Ad rem S. Th. :

Videmus quòd cum quædam animalia habeant vocem, solus homo supra alia animalia habet loquutionem. Nam etsi quædam animalia loquutionem humanam proferant, non tamen proprie loquuntur, quia non intelligunt quid dicunt... Ideo loquutio est propria hominibus, quia hoc est proprium eis in comparatione ad alia animalia quòd habeant cognitio-

nem boni et mali, ita et justi et injusti et aliorum hujusmodi, quæ sermone significari possunt » (1).

86. **De sermonis origine animadversio.** — Ex his jam videmus quæstionem de sermonis origine solvi non posse nisi prius cognoscatur natura sermonis ac proinde natura et origo idearum.

87. **Sermonis decompositio seu analysis. Grammatica generalis.** — Oratio seu sermo constat variis vocabulis, quæ sunt partes ejus inter se distinctæ. Novem vel decem numerantur a grammaticis, scilicet : nomen, articulus (in linguâ græcâ et in linguâ gallicâ), adjectivum, pronomen, verbum et participium, adverbium, præpositio, conjunctio et interjectio. Sed priusquam unumquodque definiatur, altiora et generaliora animadvertere oportet.

88. **Orationis partes materiales et partes formales.** — Alia vocabula significant per se et dicuntur partes materiales orationis : hujusmodi sunt nomina, verba, participia et adjectiva generatim ; quæ dicuntur etiam *termini*, quia in propositione locum subjecti vel attributi occupant. Alia verò vocabula non significant per se aliquid determinatum, sed per alia quibus junguntur : hujusmodi sunt præpositiones, conjunctiones, adverbia. Hæc dicebantur *syncategoremata ;* illa autem *categoremata*. Sæpe idem vocabulum (præsertim in linguis syntheticis) duplicem partem continet, unam materialem, et alteram formalem (ex. g. *Dei*), quæ separatim enuntiantur in linguis analyticis (*de Dieu*).

Quædam etiam vocabula modò usurpantur materialiter et modò formaliter, sicut vocabulum *nullus* in his prop. : Nullns hoc fecit. — Nullus homo hoc fecit.

89. **Vocabulum : nomen, adjectivum**, etc. — Vocabulum (gallice *mot*) dici potest : sonus articulatus aut sonorum compositio efformans quoddam totum et individuum, quicumque sit locus ejus in oratione. Præcipua vocabulorum sunt nomina et verba.

Nomen late sumptum comprehendit etiam adjectivum et

(1) In I lib. *Polit.* lect. I.

participium, sed stricte sumptum est : vocabulum significans aliquid per modum subjecti et abstrahendo a tempore. Dicitur etiam *substantivum*, quamvis sæpissime qualitatem aut actionem (ex. gr. virtus, exitus), non autem substantiam significet. Sed semper aliquid significat per modum subjecti.

Adjectivum autem significat aliquid cum qualitate aut ad modum qualitatis : ex. gr. felix, vivens, æternus.

90. **Verbum**, secundùm Aristotelem, est vocabulum quod consignificat tempus et est semper signum eorum quæ de alio dicuntur. Tempus autem significatum verbo est præsens; futurum et præteritum significantur variis formis verbi (*modes*, *temps*) potius quam verbo ipso. Sed præsens est in actu seu actus. Igitur alio modo et forte clarius et brevius, verbum est vocabulum quod significat actum formaliter et ligat prædicatum cum subjecto. Imo, si verbum est copula prædicati cum subjecto, hoc est quia prædicatum et subjectum sunt unum actu. Simpliciter ergo verbum est vocabulum significans actum seu ens ut ens. Ens autem, est prima idea. Unde verbum est vocabulum præcellentissimum. Verbum de quo agimus est verbum essentiale (*esse*, *est*); cetera verba sunt revera composita ex verbo essentiali et attributo : ex. gr. vivere, id est, esse vivens; agere, id est, esse agens, etc.

91. **Orationis prima elementa ; relationes subjecti et attributi**. — Orationis prima elementa bene inveniuntur in categoriis, quæ reducuntur ad substantiam et accidens. Hæc duo autem dividunt ens et uniuntur ente. Item in grammaticâ invenimus subjectum et prædicatum, quæ conjunguntur copulâ seu verbo. His tribus omnia explicantur.

92. **Vocabulorum formatio et historia**. — Unaquæque categoria multis vocabulis exprimitur, quæ variis modis nascuntur, modificantur et alia diversa generant. Hinc vocabulorum familiæ, quæ modò oriuntur ex nomine, modò ex verbo, modò ex adjectivo. In his rebus et aliis similibus occupantur qui litteris student; philosophus autem speciatim terminos

et propositiones perscrutatur propter ideas et judicia quæ illis exprimuntur.

93. **Termini ; eorum divisiones.** — Terminus (sic dictus quia terminat propositionem) est id in quod resolvitur propositio tanquam in prædicatum aut in subjectum. Logice spectatum est signum ideæ, eâque mediante, est signum rei simplici apprehensione perceptæ.

Generatim dividuntur termini sicut ipsæ ideæ quarum sunt signa immediata. Unde alii sunt *positivi* (ex. gr. vita) et alii *negativi* (infinitum) ; alii *concreti* (magnus, fortis) et alii *abstracti* (magnitudo, fortitudo) ; alii *singulares* seu proprii (Petrus, Alexander), vel *universales* seu communes (homo, arbor), vel *collectivi* (familia, exercitus), vel plus minusve *particulares* (quidam, aliqui), etc.

94. **Termini identici, synonyma**, etc. — Adhuc sicut ideæ, termini sunt *identici* vel *distincti*, vel etiam *oppositi*. Termini identici vocantur synonyma. Non inveniuntur vocabula sub omni respectu synonyma, sed multa quemdam sensum communem referre possunt ; unde unum pro altero quandoque usurpatur. Synonymis accedunt *paronyma* et *homonyma*. Illa sensu quidem differunt, sed voce sunt plus minusve similia (ex. gr. gallice *anoblir* et *ennoblir*) ; hæc diversa quidem significant sed eâdem voce, quamvis non semper iisdem litteris (*occidere* a voce cædere, et *occidere*, a voce cadere ; gallice *chaîne* et *chêne ; Judas* proditor et *Judas* filius Jacob.)

95. **Termini univoci, analogi, æquivoci**. — Adhuc ad modum idearum quas significant, termini sunt *univoci* vel *analogi*, prout secundùm eumdem sensum vel analogum de variis subjectis prædicantur. Ex. gr. *humanitas* prædicatur univoce de Petro et Paulo ; sed *ens*, *verum*, *bonum* prædicantur analogice de Deo et hominibus. — Tam terminis analogis quàm univocis opponuntur termini æquivoci (ex. g. *Canis* constellatio et *canis* animal). Æquivocatio autem non invenitur unquam in ipsis ideis, cùm sint signa formalia.

96. **De æquivocationibus vitandis**. — Ad vitandas æquivocationes, quæ sæpissime occurrunt avertuntque men-

tem a veritate, præstat dignoscere terminorum usus seu proprietates. Præcipuæ sunt : *suppositio*, *appellatio*, *ampliatio* et *restrictio*, *alienatio*.

Suppositio est usus termini pro aliquâ suâ peculiari significatione. Omnes termini, etiam ex se nullo modo ambigui, supponere possunt pro diversis. Ex. gr. : Animal est vox — Animal est substantia — Animal est nomen — Animal est sensibile — Animal est genus. Hæc omnia sunt vera quidem, sed secundùm varias suppositiones. Item : Homines sunt sapientes (scilicet aliqui homines) — Homines sunt insipientes (aliqui alii nempe) — Homines sunt mortales (omnes nempe). Istæ propositiones sunt veræ si suppositio bene dignoscitur. Adhuc : Omnes apostoli sunt duodecim — Omnes apostoli sunt honorandi. Veræ sunt istæ duæ propositiones ; sed in primâ suppositio est collectiva ; in secundâ autem, distributiva.

Appellatio est applicatio significationis unius termini ad rem significatam per alium. Jamvero eædem propositiones erunt veræ aut falsæ pro variâ appellatione. Ex gr. : « Alexander magnus fuit philosophus », est vera propositio, si magnus appellat Alexandrum ; falsa, si appellat prædicatum.

Ampliatio est extensio termini a minore ad majorem significationem. *Restrictio* autem ampliationi est opposita. Jamvero utramque oportet dignoscere secundùm propositum loquentis aut scribentis aliasque circumstantias. Ex gr. : « Mansueti hæreditabunt terram », est propositio amplianda; nam mansueti jam terram hæreditant et hæreditaverunt. E contrario, hæc propositio : « Mortui resurgent », est de solis hominibus intelligenda.

Alienatio est acceptio termini secundùm sensum metaphoricum. Multæ propositiones enim sunt veræ sensu metaphorico quæ secus essent falsæ. Ex. gr. Christus est Agnus Dei. — Vicit leo de tribu Juda.

97. **Linguæ gallicæ perspicuitas**. — Non omnes linguæ eâdem claritate seu perspicuitate gaudent. Inter omnes eminere videtur Gallorum lingua, cujus usu legitimo plurimæ æquivocationes evanescunt aut evadunt etiam impossibiles.

CAPUT V

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE

98. **Definitio.** — « Omnis quæ ratione suscipitur de aliquâ re institutio, ait Tullius, debet a definitione proficisci, ut intelligatur *quid sit* id de quo disputatur » (1). Definitio enim, a voce *finis*, quia rem circumscribit, est *oratio quâ respondemus interroganti quid sit res*, seu oratio explicans naturam rei, scilicet ejus *quidditatem*. Spectatâ autem in mente, est notio clara objecti; nam consequitur ideam *claram*, quâ objectum secernitur a quovis alio.

99. **Divisio**. — Definitioni addit aliquid divisio, quâ nempe partes objecti distinguuntur et idea fit clarior, scilicet *distincta*. Divisione et subdvisionibus, si perfectæ sunt, fit objecti decompositio, usque ad elementa.

100. **Definitio nominis ; definitio rei**. — Alia est definitio nominalis et alia realis. Illa est quâ vocabulum explicatur sive alio, plus minusve æquivalenti et synonymo, sive radice et etymologiâ.

101. **Etymologia**. — « Aliud est etymologia nominis, ut animadvertit S. Th., et aliud est significatio nominis » (2). Attamen non levis momenti generatim est etymologia, quia jam tradit aliquam notionem rei, imo quandoque definitionem rei æquare videtur (ex. gr. theologiæ, psychologiæ definitiones nominales).

102. **Definitio essentialis : physica, metaphysica seu logica**. — Definitio realis ea est quâ explicatur natura rei. Est essentialis vel non. Definitio essentialis iterum duplex est : physica aut metaphysica seu logica. Definitio physica explicat naturam rei per principia constituentia et physica. Ex. gr. : homo est aliquod compositum substantiale ex animâ et corpore. Nam corpus et anima sunt partes hominis phy-

(1) *De off.*, l. I, c. II.
(2) 2ª 2æ, q. 92, a. 1, ad 2.

sicæ, scilicet reales et separabiles. Definitio metaphysica seu logica, quæ est perfectissima, fit per principia constituentia quidem, sed metaphysica seu logica; fit nempe per genus et differentiam specificam. Ex. gr. : homo est animal rationale. Quandoque definitio physica et definitio metaphysica conjunguntur; ex. gr. : homo est ens rationale, compositum ex animâ et corpore.

103. **Definitiones imperfectæ : extrinsecæ vel intrinsecæ.** — Definitio non essentialis seu imperfecta est illa quâ res non explicatur per principia essentialia (saltem omnia), sed per alia, extrinseca vel intrinseca, scilicet per qualitatem, per causam efficientem, vel finalem, vel per effectum, per occasionem, per circumstantias, etc. Ex. gr. : homo est ens intelligens — Homo est ens mortale — Homo est Dei creatura — Homo est ens creatum ad Deum cognoscendum et amandum, etc.

104. **Definitio descriptiva; definitio genetica.** — Illa, quæ præsertim ab oratoribus usurpatur, accedere potest ad definitionem essentialem, quando nempe innuit ea quæ sunt propria rei. Definitio autem genetica explicat modum quo res gignitur. Eâ utuntur præsertim mathematici, dicendo, ex. gr. : lineam generari motu puncti; superficiem autem, motu lineæ; volumen, motu superficiei.

105. **Definitio vulgaris ; definitio arbitraria.** — Definitiones vulgares seu communes ab omnibus recipiuntur easque passim referunt auctores, nemine contradicente. Ejusmodi sunt definitiones glossarii. Definitiones autem arbitrarias unusquisque proponere potest ad suam doctrinam vel mentem explicandam. Earum usus est legitimus, nisi sint obscuræ, aut inutiles, aut nimis frequenter usurpentur. His abusi sunt non pauci philosophi, in primis Kantius ejusque asseclæ.

106. **Definitionis regulæ.** — *a*) *Definitio sit clarior definito*, siquidem est ad definitum illustrandum. Itaque in definitionibus nominum utendum est nominibus notioribus ; definitiones autem reales conceptibus clarioribus fieri debent.

b) *Definito sit stricta* ac proinde per genus et differentiam proximam. Agitur de definitione essentiali, quæ in scientiis

potissimum usurpatur. Hæc enim definitio sola objectum collocat in suo genere et perfecte circumscribit.

c) *Definitio sit reciproca*, id est, definitio cum definito converti possit, unum altero non sit latius neque angustius. Definitio enim est quasi mensura definiti.

d) *Vox aut res definienda*, quoad respectum sub quo definitur, *definitionem non ingrediatur*. Secus enim, esset circulus vitiosus. Ex. gr., si quis diceret : « terra est materia terrena ; aqua est quid aquosum ».

e) *Definitio non sit negativa.* Attamen, cùm duo sunt opposita contradictorie, id est, sine medio, si unum positive fuerit definitum, alterum licebit definire per simplicem negationem. Ex. gr. postquam dixi compositum esse id quod habet partes, possum definire simplex : id quod non habet partes.

f) *Tandem definitio constare debet terminis propriis*, non autem metaphoricis, qui facillime inscientes decipiunt — Breviter et uno verbo, omnes leges præcipiunt ut definitio sit clara sub omni respectu. Nunc quæritur:

107. **Utrùm omnia possint definiri ?** — *Resp. :* Si agitur de definitione essentiali et perfectâ, non omnia definiri possunt. Secus enim, non esset finis in definiendo, sed semper inquiri posset : quid est hoc ? Quemadmodum necessariò invenitur finis in demonstrationibus, quando nempe fundantur immediate in primis principiis, ita et in definitionibus, quando fiunt per ideas simplicissimas. Et revera sunt quædam perceptiones intellectuales aut sensibiles ita claræ et simplices ut non possint illustrari.

Præterea, cùm omnis definitio stricta fieri debeat per genus et proximam differentiam, jam videmus ipsa genera suprema et a fortiori res aut ideas transcendentales non posse proprie definiri : ita substantia, accidens, ens et præsertim ens subsistens quod est Deus.

Tandem, non solùm abstractissima definitionem strictam fugiunt, sed etiam individua. Definitio enim est speciei, non autem individuorum, quæ solummodo describuntur.

Ex his patet etiam solas substantias posse perfecte definiri,

cùm solæ genus et differentiam proprie habeant. Cetera autem nonnisi ex ipsis habent esse ac proinde speciem, essentiam, quæ definitione circumscribitur.

At verò, si agitur de qualicumque definitione aut explicatione, omnia definiri possunt ac debent, sicut fit, ex. gr., in glossariis.

108. **Definitio secundùm Pascal.** — Non probanda est ergo, saltem sub omni respectu, sententia Blasii Pascal, dicentis : « Il n'y a rien de plus faible que le discours de ceux qui veulent définir ces mots primitifs. Quelle nécessité, y a-t-il, par exemple, d'expliquer ce qu'on entend par le mot homme? » Sed pergit verius : « Il y en a qui vont jusqu'à cette absurdité d'expliquer un mot par le mot même... »

109. — **De mediis inveniendi definitionem.** — Pervenitur ad definitionem veram sicut ad cognitionem, scilicet comparatione rei definiendæ cum similibus et diversis ; inde apprehendimus id in quo conveniunt (scilicet genus) et id in quo discrepant (scilicet differentiam). In his duobus tota est definitio. Unde S. Th. :

Si aliquis inquirit definitionem alicujus rei, oportet quòd attendat ad ea quæ sunt similia illi, et etiam ad ea quæ sunt differentia ab illâ re. Quod qualiter fieri debeat ostendit (Aristoteles) subdens quòd primò oportet circa similia considerare quid idem in omnibus inveniatur, puta quid idem inveniatur in omnibus et singulis hominibus qui omnes conveniunt in hoc quòd est esse rationale. Postea considerandum est etiam in aliis quæ conveniunt cum primis in eodem genere..., sunt autem alterâ specie. » (1).

110. **Quanti momenti sit definitio** videtur ex eo quòd cujuscumque scientiæ et definitionum quibus utitur eadem est fortuna. Unde scribit quidam philosophus : « Les définitions partagent toutes les vicissitudes des connaissances humaines ». Revera omnes scientiæ incipiunt a definitione imperfectâ aut saltem imperfecte intellectâ et terminantur ad definitionem perfectam et perfecte intellectam. « Discursus rationis, ait S. Th., semper incipit ab intellectu et terminatur ad intellec-

(1) In II *Poster*, l. XVI.

tum » (1). At, e converso, error terminatur quodam modo ad definitionem corruptam.

111. **Divisio. Totum reale ; totum logicum.** — Divisio est totius seu unius distributio in partes. Quemadmodum verâ definitione idea fit *clara*, ita divisione rectâ, idea fit distincta : definitio ostendit totius unitatem ; divisio autem, partium pluralitatem.

Quot sunt species partium, tot sunt species divisionum. Porro totum primò distinguitur in *reale* seu actuale et *logicum* seu universale. Hoc etiam *potentiale* dicitur a quibusdam ; sed tunc hoc totum potentiale oportet distinguere a toto potentiali de quo paulò infra dicetur (n. 113). Totum reale est actuale, datur formaliter in rebus : ex. gr. homo, corpus. Totum logicum seu universale est formaliter idea quæ pluribus rebus convenit ideoque eas logice continet, sive analogice, sive univoce. Ex. gr. idea entis est *totum analogum*, in quo invenimus ideam substantiæ, ideam accidentis, etc. ; idea corporis est *totum univocum* continens logice omnia corpora.

112. **Totum physicum ; totum metaphysicum.** — Porro partes totius realis sunt distinctæ realiter vel logice ; inde totum *physicum* (ex. g. homo, quatenus compositus ex animâ et corpore) et totum *metaphysicum* (ex. g. homo adhuc, sed quatenus compositus ex genere et differentiâ, scilicet ex animalitate et rationalitate).

113. **Totum essentiale, integrale, potentiale, accidentale.** — Iterum totum physicum est compositum partibus essentialibus (ex. g. homo quatenus constans materiâ et formâ, seu corpore et animâ) vel integralibus (corpus humanum quod exurgit ex diversis membris et organis), vel potentialibus (anima quatenus diversas potentias seu facultates continet), vel accidentalibus (domus et omnia opera artificialia). Hinc totum essentiale, integrale, etc.

114. **Divisionis regulæ.** — *a*) Requiritur ut totum divisum adæquetur membris dividentibus.

(1) 2a 2æ q. 8, a. 1.

b) Requiritur ut membra dividentia se excludant.

c) Divisio fiat gradatim, id est, per membra proxima.

d) Divisio sit brevis, si possibile est, aut saltem non fiat usque ad pulverem. Nam, ut ait Seneca, « simile confuso est quidquid in pulverem sectum est. »

CAPUT VI

DE JUDICIO ET PROPORTIONE

115. **Judicium; ejus natura**. — Judicium est actus quo intellectus duas ideas inter se comparatas affirmatione componit aut negatione dividit.

Dico : *est actus intellectûs*, non autem voluntatis, ut putavit Cartesius. Judicium potest quidem imperari a voluntate ; imo, si est liberum, est simul actus intellectûs et voluntatis (vide n. 880, de actu libero), sed semper est formaliter ab intellectu. Nam judicium, cùm sit actus cognitionis, habet necessariò pro objecto verum ; objectum autem formale voluntatis est necessariò bonum.

Dico deinde : *duas ideas* etc... Nam ideæ sunt materia seu elementa judicii. Attamen judicium, ratione formæ, est omnino simplex. Igitur non est duplex idea, sed nexus duarum idearum. Hic nexus autem non apprehenditur nisi ex comparatione prævià idearum.

Dico tandem : *affirmatione componit*, etc.. Judicare enim idem est ac componere aut dividere ideas. Unde scribit S. Th. :

Una duarum operationum intellectûs (scilicet apprehensio) est indivisibilium intelligentia, in quantum scilicet intellectus intelligit absolute cujusque rei quidditatem sive essentiam per seipsam, puta, quid est homo, vel quid est album, vel quid aliud hujusmodi. Alia verò operatio intellectûs est secundùm quòd hujusmodi simplicia concepta simul componit et dividit (1).

(1) In lib. I, *Perih.*

Hic verò quæritur utrùm judicium seu affirmatio aut negatio in mente sit ipsa perspicientia convenientiæ vel disconvenientiæ idearum an verò aliquid amplius. Non conveniunt auctores. Card. Zigliara putat affirmationem esse actum mentis distinctum ab ipsâ perspicientiâ nexûs idearum.

116. **Judicium non est unquam prima operatio mentis.** — Ex dictis patet judicium nunquam esse primam operationem mentis. Erraverunt ergo Cousin, Kant, etc. asserendo quasdam perceptiones primitivas essejudicia. Etiam cùm affirmamus nostram propriam existentiam, jam duas ideas prævias simul apprehensas comparamus, scilicet ideam propriæ personæ et ideam existentiæ.

117. **Judiciorum species. Relationes terminorum.** — Ratione motivorum, judicium est *prudens* vel *temerarium*. Ratione evidentiæ, est *immediatum*, id est « per se notum », ut aiunt, vel mediatum, id est per alia notum, mediante ratiocinio. Omnis conclusio, quatenus talis, est igitur judicium mediatum.

Nunc animadvertamus terminos judicii duplici modo posse comparari et convenire inter se : 1° ratione comprehensionis, et tunc prædicatum erit in subjecto; 2° ratione extensionis, et tunc subjectum erit in prædicato. Si priori modo judicium profertur, erit analyticum ; si posteriori, erit syntheticum. At idem judicium potest esse analyticum et syntheticum pro diversis hominibus, aut etiam pro eodem homine, sub diverso respectu.

118. **Judicium analyticum ; judicium syntheticum.** — Ex dictis jam videmus quid sit judicium analyticum et quid sit judicium syntheticum. Primum habetur ex merâ analysi naturæ subjecti, in quâ invenitur prædicatum. Ex. gr. : *Deus est bonus.* Item : *Totum est majus suâ parte*, et generatim prima principia metaphysicæ, mathesis, logicæ et moralis. E contrario, judicium syntheticum est illud cujus prædicatum non invenitur in naturâ subjecti, ideoque fundatur in experientiâ. Hujusmodi sunt veritates facti : ex. gr. : ego existo, sol lucet, mundus existit. Hæc judicia dicuntur *a posteriori*, *contingentia*, *in materiâ contingenti*, *empirica*,

physica. Alia dicuntur *a priori*, *necessaria*, *in materiâ necessariâ*, *absoluta*, *pura*, *metaphysica*, etc. Hæc divisio est adæquata, siquidem ejus membra sunt opposita contradictorie. Sed negavit Kantius, excogitando judicia synthetica a priori.

119. **Judicia synthetica a priori**. — Kantius distinxit quidem judicia analytica et judicia synthetica. Sed, postquam agnovit tres esse proprietates judiciorum analyticorum, scilicet : 1° *attributum esse contentum in subjecto ;* 2° *esse necessaria ;* 3° *esse universalia*, contendit inveniri quædam judicia necessaria et universalia, quorum tamen attributum non invenitur in subjecto. Quæ vocat ideo *synthetica a priori*. Hujusmodi essent principium causalitatis : « Non est effectus sine causâ », et alia multa : « $5 + 7 = 12$; linea recta est brevissima, etc. »

Critica. — At perperam. Etenim non datur medium inter judicia analytica et judicia synthetica; et revera tres proprietates de quibus supra dictum est sunt inseparabiles, cùm secunda et tertia fluant necessariò ex primâ et non aliunde. Exempla autem allata nihil probant, nam judicia hujusmodi sunt analytica, si bene intelliguntur. Speciatim, in principio causalitatis, prædicatum invenitur in subjecto ; nam omnis effectus (seu quidquid incipit) continet logice causam suam. Hoc principium non est solummodo lex necessaria et universalis humanæ mentis, sed est etiam lex rerum, cùm videat homo hujus principii necessitatem objectivam, scilicet in ipso ente.

120. **Judiciorum regulæ** ex ipsorum naturâ derivantur. Igitur judicia synthetica non erunt certa nisi propter experientiam sufficientem; analytica verò nonnisi per analysim subjecti demonstrabuntur. Sed, ut jam innuimus, poterunt quandoque fieri certa ex alio fonte non proprio.

121. **Propositio : est solummodo unum orationis elementum**. — Propositio est oratio quâ enunciatur judicium. Nam oratio magis patet quàm propositio, cùm sit signum perfectissimum non solùm idearum et judiciorum, ac proinde veritatis, sed etiam cujuscumque volitionis aut appetitûs. Variæ igitur distinguuntur orationes : *enunciativa*, *vocativa*,

interrogativa, *imperativa*. *deprecativa*, etc. Quod sic explicat S. Th. :

Quia intellectus vel ratio non solùm concipit in se ipso veritatem rei, sed etiam ad ejus officium pertinet secundùm suum conceptum alia dirigere et ordinare ; ideo necesse fuit quòd sicut per enunciativam orationem significatur ipse mentis conceptus, ita etiam essent aliquæ aliæ orationes significantes ordinem rationis, secundùm quam alia diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria. Primò quidem ad attendendum mente; et ad hoc pertinet *vocativa* oratio. Secundò, ad respondendum voce; et ad hoc pertinet *interrogativa*. Tertiò ad exequendum in opere ; et ad hoc pertinet, quantùm ad inferiores, oratio *imperativa*, quantùm autem ad superiores, oratio *deprecativa*, ad quam reducitur *oratio optativa*, quia respectu superioris, homo non habet vim motivam nisi per expressionem sui desiderii. Quia igitur istæ quatuor orationis species non significant ipsum conceptum intellectûs, in quo est verum vel falsum, sed quemdam ordinem ad hoc consequentem ; inde est quòd in nullâ earum invenitur verum vel falsum, sed solùm in *enunciativâ*, quæ significat id quod de rebus concipitur. Et inde est quòd omnes modi orationis, in quibus invenitur verum vel falsum, sub enunciatione continentur; quam quidam dicunt *indicativam*, vel *suppositivam ; dubitativa* autem ad *interrogativam* reducitur (1).

Ex his patet enunciativam orationem solam esse veri vel falsi significatoriam, ideoque esse fundamentum totius sermonis et unicam orationem quâ utuntur homines in scientiis, præsertim in logicâ et mathesi.

122. **Propositionis materia et forma**. — Tribus constat propositio : subjecto, prædicato et copulâ seu verbo. Subjectum et prædicatum, seu duo termini quibus exprimuntur duæ ideæ in judicio comparatæ, sunt quasi materia propositionis ; copula autem seu verbum est forma. Subjectum est id de quo affirmatur vel negatur aliquid ; prædicatum est id quod affirmatur vel negatur de subjecto. Prædicatum potest affirmari vel negari *in sensu recto* (ex. gr. : Deus est bonus), vel *in sensu obliquo* (ex. gr. : Hic liber est Petri).

123. **Notanda : verbum se tenet ex parte prædicati**. — Copula seu verbum non se habet ut medium indifferens

(1) In lib. I *Perih.*, lect. VII.

inter subjectum et prædicatum, sed potius se tenet ex parte prædicati. Ratio est, quia prædicatum refertur ad subjectum tanquam forma ad materiam.

124. **Verbum esse.** — Verbum autem quod est nexus seu forma propositionis est verbum substantivum seu essentiale *esse*, et non aliud. Verba enim accidentalia, quæ sunt innumera, semper resolvuntur in hoc verbum *est* et aliquod participium ; « nihil enim differt dicere, homo convalescens est, et homo convalescit, et sic de aliis » (1). Porro inter verba accidentalia eminet, in linguâ gallicâ, verbum *habere*.

125. **Termini expliciti et termini impliciti ; termini simplices et termini complexi.** — Termini propositionis modò sunt expliciti, id est, formaliter expressi, et modò impliciti. Ex. gr. duo termini sunt expliciti in hac prop. : « Deus creavit mundum ». Unus tantùm, prædicatum vel subjectum, est explicitus in istis : « Deus creavit. — Creavit mundum ». Ambo sunt impliciti in tribus istis prop. : « Veni, vidi, vici ». — Præterea terminus potest esse complexus, id est, constare pluribus vocibus seu vocabulis, quamvis sit semper unus. Ex. gr. « Initium sapientiæ est timor Domini ».

126. **Propositionis species : propositio naturalis, innaturalis, præter naturam.** — Ratione ordinis et relationis terminorum, propositio est *naturalis*, si ordo naturalis servatur, scilicet si prædicatum refertur ad subjectum tanquam magis universale ad minus (ex. gr. : prudentia est virtus) ; — *innaturalis* seu indirecta, si subjectum sufficitur in locum prædicati (ex. gr. : aliquis spiritus est anima humana ; aliqua virtus est prudentia) ; — *præter naturam*, si prædicatum affirmatur vel negatur de subjecto propter sensum non quidem formaliter, sed materialiter seu concrete sumptum (ex. gr. : aliquid frigidum, quod est nix, est album).

127. **Propositio simplex ; propositio composita**, etc.— Ratione unitatis, propositio est *simplex* vel *composita*. Pro-

(1) S. Th., In lib. V, *Metaph.* lect. IX.

positio simplex constat uno subjecto unoque prædicato; composita autem constat pluribus subjectis aut pluribus prædicatis aut etiam pluribus propositionibus inter se junctis particulæ adminuculo. Quarum si una est principalis, propositio remanebit *una*, quamvis complexa; secus, erit *multiplex*.

Alii aliter hanc definitionem explicant. Propositio, aiunt, est *una* vel *multiplex*. Prima est *una simpliciter* vel *conjunctione*. Propositio una simpliciter est propositio simplex de de quâ supra dictum est. Propositio una conjonctione plures alias continet, sed subordinatas. Denique propositio multiplex, sicut supra, constat pluribus accidentaliter junctis.

Ratione materiæ, id est, ratione terminorum eorumque relationum, propositio erit *necessaria*, vel *contingens*, vel *possibilis*, vel *impossibilis* : *necessaria*, si prædicatum est de essentiâ subjecti (ex. gr. : Deus est justus); *contingens*, si prædicatum potest convenire subjecto et revera convenit (ex. gr. : Homo existit); *possibilis*, si prædicatum potest convenire subjecto, sed revera non convenit (ex. gr. : Cras morieris); *impossibilis*, si prædicatum repugnat subjecto (ex gr. : Ens est nihilum). Liquet verò propositiones contingentes et possibiles esse *syntheticas*; ceteras vero *analyticas* (vide supra n. 118).

128. **Propositio universalis; propositio particularis Notanda**. — Ratione quantitatis seu extensionis subjecti, propositio est *universalis* vel *particularis*, prout subjectum accipitur secundùm totam suam extensionem necne. Animadverte propositionem singularem reduci nunc ad universalem iisdemque legibus regi, quia ejus subjectum accipitur totum, sine restrictione. Ceteræ autem propositiones (determinata, indeterminata, indefinita) reducuntur modò ad universalem, modò ad particularem; unde his duabus quæcumque propositiones nunc continentur.

Sed tria notanda sunt : *a)* Si propositio est indefinita et in materiâ necessariâ, æquivalet propositioni universali. Ex. g. : *Homo est rationalis,* id est, omnis homo. Si autem est indefinita et in materiâ contingenti, æquivalet generatim propositioni particulari. Ex g. : *Homo est mendax*, id est, quidam homines sunt mendaces.

b) Propositio universalis est plus minusve stricta seu potius plus minusve certa, prout nempe ejus certitudo est *metaphysica* (ex gr. : *Omnis circulus est rotundus*), vel *physica* (ex. gr. : *Ignis urit*), vel *moralis* (ex. gr. : *Filius amat patrem*).

c) In propositione affirmativâ, attributum accipitur secundùm totam suam comprehensionem, non autem secundûm totam suam extensionem. Ex. gr. *Homo est mortalis.* E converso, in propositione negativâ, attributum accipitur secundùm totam suam extensionem, non autem secundùm totam suam comprehensionem. Ex. gr. : *Homo non est angelus.*

129. **Propositiones affirmativæ vel negativæ; veræ vel falsæ.** — Ratione formæ, id est verbi, propositio est affirmativa vel negativa. Dico : ratione verbi ; nam propositio non est negativa ex prædicato negativo aut subjecto negativo, sed ex negatione appositâ ipsi verbo. Unde hæc prop. : *Homines sunt non bruta*, est affirmativa, quamvis resolvi possit in negativam. Item : *Non amare virtutem est summa stultitia.* Ejus modi propositiones dicuntur *indefiniti prædicati* aut *indefiniti subjecti.* Plures eas vocant *infinitas* et dicunt eas esse participes tum propositionis affirmativæ tum propositionis negativæ.

Quidquid sit, affirmatio negationi præest absolute : in *voce*, in *intellectu* et in *re.* Ad rem S. Th. :

Enunciatio autem affirmativa prior est negativâ triplici ratione secundùm tria quæ supra posita sunt, ubi dictum est quod vox est signum intellectûs, et intellectus est signum rei. Ex parte igitur vocis affirmativa est prior negativâ, quia est simplicior ; negativa enim enunciatio addit supra affirmativam particulam negativam. Ex parte autem intellectûs, etiam affirmativa enunciatio, quæ significat compositionem intellectûs, est prior negativâ, quæ significat divisionem ejusdem. Divisio enim naturaliter posterior est compositione ; nam non est divisio nisi compositorum ; sicut non est corruptio nisi generatorum. Ex parte autem rei, affirmativa enunciatio, quæ significat esse, prior est negativâ, quæ significat non esse, sicut habitus naturaliter prior est privatione (1).

(1) In lib. I *Perih.*, lect VIII.

Tandem, ratione *qualitatis*, id est, conformitatis cum objecto, propositio est *vera* vel *falsa*. Cùm autem aliunde propositio sit *affirmativa* vel *negativa*, quatuor species propositionum habentur ratione qualitatis et formæ, scilicet : *affirmationes veræ* et *negationes veræ ; affirmationes falsæ* et *negationes falsæ*.

130. **Propositionum compositarum species**. — Nunc revertentes ad propositiones compositas, distinguimus :

a) propositionem *mere conditionalem* seu hypotheticam, quæ constat particulâ *si* aut aliâ quæ conditionem exprimit. Ex. gr. : *Si mundus est, Deus existit*. Primum membrum seu prima propositio dicitur antecedens seu conditio ; alterum membrum seu secunda propositio dicitur conditionatum seu consequens. Porro veritas aut falsitas propositionis ejusmodi non pendet ex veritate antecedentis aut consequentis, sed ex consequentiâ seu nexu unius propositionis componentis cum alterâ. Jamvero si nexus adest, propositio conditionalis subjacet his duabus regulis : 1a Si conditio affirmatur, oportet etiam affirmare conditionatum, cùm istud ex conditione necessariò profluat; at verò affirmatio conditionati non ita importat conditionis affirmationem; — 2a Si conditionatum negatur, oportet etiam negare conditionem ; at verò negatio conditionis non ita importat conditionati negationem.

b) Propositionem *disjunctivam*, cujus membra simul opponuntur ac junguntur particulâ quadam disjunctivâ : *vel*, *aut*, etc. Ex. gr. : *Substantia est corporalis vel spiritualis*. Ad veritatem propositionis ejusmodi requiritur ut unum membrum sit verum et ejus veritas excludat veritatem alterius. Exponi potest sub formâ propositionis hypotheticæ, hoc modo : *Si substantia non est corporalis, est spiritualis ;* vel : *Si substantia non est spiritualis, est corporalis*.

c) Propositionem *conditionalem conjunctivam*, quà continentur plures propositiones simplices, quæ non possunt esse veræ simul. Ex. gr. : *Nemo potest duobus dominis servire* (scilicet Deum et Mammonam). Resolvitur in hanc propositionem conditionalem : *Si uni domino* (Deo scilicet) *servit aliquis, non servit alteri* (scilicet Mammonæ).

d) Propositionem *copulativam*, quæ constat pluribus subjectis aut prædicatis. Ex. gr. : *Homo est sensu et ratione præditus*. Ad veritatem hujus propositionis requiritur ut omnes partes sint veræ.

e) Propositionem *causalem*, quæ causam assignat. Ex. gr. : *Anima humana est immortalis, quia spiritualis*. Veritas hujus propositionis dependet a nexu duarum partium.

f) Propositionem *relativam* seu *comparativam*, quæ affirmat aliquid per modum comparationis. Ex. gr. : *Sicut phœnix renascitur ex suis cineribus, ita resurgent corpora electorum*. Veritas hujus propositionis non dependet a veritate rei suppositæ sed a veritate ipsius comparationis.

g) Propositionem *discretivam* seu *adversativam*, cujus partes religantur quadam particulâ discretivâ : *sed*, *at*, etc. Ad veritatem hujus propositionis non sufficit ut membra sint vera, sed requiritur ut revera opponantur. Hinc falsa erit hæc prop. : *Petrus est primus apostolsrum, sed et successores habet*.

131. **Propositiones modales, exponibiles, complexæ.** — Inter propositiones compositas numerantur adhuc sequentes :

a) Propositio *modalis*, quæ affirmat non solùm convenientiam vel disconvenientiam prædicati cum subjecto, sed insuper hujus convenientiæ vel disconvenientiæ modum. Ex. gr. : *Deus necessariò existit*. Requiritur ut modus afficiat ipsam copulam, scilicet verbum *esse*. Porro inveniuntur quatuor modi essendi vel non essendi : *possibile* (quod non est, sed esse potest); *contingens* (quod est, sed posest non esse); *necessarium* (quod est nec potest non esse); *impossibile* (quod non est nec potest esse). Hinc quatuor propositiones modales stricte dictæ. At plures habent ut modales omnes propositiones quarum verbum adverbio afficitur. Ex. gr. : *Socrates bene legit;* quæ resolvitur in istam : *Socrates est legens bene*. Revera in hac propositione, modus non afficit copulam sed attributum. Ad veritatem propositionis modalis requiritur ut modus æque ac propositio ipsa recte enuncietur : *veritas* enim, sicut et bonum, *ex integrâ causâ*.

b) *Propositio exponibilis*, quæ specie tenus est simplex, reapse autem composita. Alia est *exclusiva*, propter particulam excludentem : *duntaxat*, *solus*, *solùm*, etc. (Ex. gr. : *Deus solus est æternus*, quæ in duas resolvitur : Deus est æternus — Alius non est æternus). Alia est *exceptiva*, propter particulam excipientem : *præter*, etc. (Ex. gr. : *Omnia transeunt*, *præter æterna*). Alia est *reduplicativa*, propter particulam reduplicantem : *quatenus*, etc. (Ex. g. : *Christus*, *quatenus homo*, *erat mortalis*). Alia tandem *comparativa* vel etiam superlativa (Ex. gr. : *Virtus est pretiosior auro — Virtus est optimum bonum*). Ad veritatem propositionum ejusmodi requiritur ut sint veræ non solùm in seipsis, sed etiam quoad exclusionem, exceptionem, comparationem, etc.

c) Propositio *complexa*, cujus subjecto vel prædicato adnectuntur una vel plures *propositiones incidentes*. Propositio autem incidens est *determinativa* (Ex. gr. : *Homines qui Deo serviunt*, *patriam colunt*), vel *explicativa* (Ex. gr. : *Deus*, *qui hominem creavit*, *hominem redemit*). Propositio incidens explicativa est vera vel falsa independenter a propositione principali, in quâ includitur. E contrario, propositio incidens determinativa non est ex seipsa vera vel falsa nec a propositione principali perfecte distinguitur.

132. **Propositionum proprietates** : **oppositio**, **æquivalentia**, **conversio**. — Primùm dicendum est de *oppositione*. Propositiones illæ dicuntur oppositæ quæ, habentes eamdem materiam seu eosdem terminos, discrepant inter se sive formâ tantùm, sive quantitate et formâ simul. Hinc duæ species propositionum oppositarum : *contradictoriæ*, quæ quantitate et formâ simul discrepant ; *contrariæ*, quæ formâ tantùm pugnant. Animadverte propositiones singulares contradictorias discrepare tantùm formâ, cùm quantitatem non habeant. (Ex. gr. : *Petrus est apostolus. — Petrus non est apostolus*).

133. **Lex propositionum contradictoriarum** est evidens. Cùm una præcise affirmet id quod altera negat, nequeunt esse simul veræ, nec simul falsæ : medium enim non invenitur ; ideoque ex veritate unius deducitur falsitas alterius, et vicissim.

134. **Propositiones contrariæ : earum lex.** — Propositiones ejus modi maxime distant inter se, cùm una plus affirmet quàm altera negat ; admittunt ergo medium et dicuntur *e diametro oppositæ.* (Ex. g. : *Omnis homo est mendax. — Nullus homo est mendax*).

Earum lex hæc est : Nequeunt esse simul veræ (cùm una neget alteram) ; at possunt esse simul falsæ (cùm veritas inveniri possit in medio). Igitur ex veritate unius deducitur falsitas alterius ; sed ex falsitate unius non deducitur veritas neque falsitas alterius. Attamen, si propositiones contrariæ essent *in materiâ necessariâ*, earum lex non differret a lege propositionum contradictoriarum.

135. **Propositiones subcontrariæ : earum lex.** — Propositiones dicuntur *subcontrariæ* quæ continentur sub contrariis, sicut particulare sub universali. Ex. gr. : *Aliquis homo est mendax. — Aliquis homo non est mendax.* An verò propositiones hujusmodi sint vere oppositæ ? Videtur quòd non ; nam earum subjectum potest esse diversum. Ad rem S. Th. :

Particularis verò affirmativa et particularis negativa non habent, proprie loquendo, oppositionem, quia oppositio attenditur circa idem subjectum (1).

Earum lex hæc est : Possunt esse simul veræ (nisi tamen sint in materià necessariâ, sicut supra dictum est), quia subjectum potest esse diversum. At non possunt esse simul falsæ ; quia earum contradictoriæ sunt contrariæ inter se.

136. **Propositiones subalternæ : earum lex.** — Propositiones subalternæ non differunt nisi quantitate. Ex gr. : *Omnis homo est mendax. — Aliquis homo est mendax.* Una, quæ dicitur subalternata, continetur sub alterâ, nempe subalternante.

Earum lex hæc est : Ambæ possunt esse veræ simul aut falsæ. Ex veritate subalternantis deducitur veritas subalternatæ, et ex falsitate hujus deducitur falsitas illius ; at non licet deducere ex veritate propositionis particularis veritatem

(1) In lib. I *Perih.*

propositionis generalis, neque ex falsitate hujus falsitatem illius (nisi propositiones sint in materiâ necessariâ, sicut fit in inductione demonstrativâ). Istæ propositiones non sunt *oppositæ;* nam una non negat id quod affirmat altera ; neque sunt *disparatæ* : nam non habent materiam diversam. Propositiones disparatæ non possunt comparari.

137. **Propositionum æquipollentia ejusque lex**. — Duæ propositiones dicuntur æquipollentes, si eumdem sensum referunt. Propositiones autem oppositæ evadunt æquipollentes, si ad eamdem formam et ad eamdem quantitatem reducuntur. Hujus reductionis leges sic traduntur :

a) In contradictoriis, cùm differant tum quantitate tum formâ, oportet præponere negationem subjecto, quia negatione istâ afficiuntur subjectum et forma. Ex. gr. : *Omnis homo est mendax*, cujus contradictoria est : *Aliquis homo non est mendax ;* propositio æquipollens erit : *Non omnis homo est mendax.*

b) In contrariis et in subcontrariis, cùm differant tantùm formâ, sufficit præponere negationem formæ. Ex. gr. sint istæ contrariæ : *Omnis homo est mendax. — Nullus homo est mendax.* Prima fit æquipollens secundæ hoc modo : *Omnis homo non est mendax.* Sed facile latebit æquivocatio.

c) In subcontrariis, non datur proprie lex æquipollentiæ ; sed restituitur propositio omnino eadem.

d) Tandem in subalternis, cùm non differant nisi quantitate, oportet afficere negatione subjectum solum. Sed, quia negatio præposita subjecto afficeret etiam formam, oportet (saltem pro linguâ latinâ) secundam negationem præponere statim ante formam. Ex. gr., sint duæ propositiones subalternæ : *Omnis homo est mendax. — Aliquis homo est mendax.* Prima fit æquipollens secundæ hoc modo : *Non omnis homo non est mendax.*

Ex dictis intelligimus versum quo tradebatur in scholis regula æquipollentiarum :

Præ contradic, post contra, præ postque subalter, id est, præpone negationem subjecto in contradictoriis ; postpone in contrariis ; præpone et postpone in subalternis.

138. **Propositionum conversio ejusque lex.** — Conversio propositionum est inversio terminorum ita ut subjectum fiat prædicatum, et prædicatum fiat subjectum, servatis propositionis veritate et qualitate. Ex. gr. : *Nullus homo est angelus. — Nullus angelus est homo.* Aliud ex. : *Omnis homo est aliquod vivens. — Aliquod vivens est homo.* In primo exemplo termini retinent eamdem quantitatem et conversio dicitur *simplex* ; in secundo, mutatur quantitas unius termini, et conversio dicitur *per accidens.* Plures tertiam conversionem distinguunt, quam vocant *per contrapositionem.* Fit duplicando negationem ita ut termini evadant infiniti. Ex, gr. : *Omnis homo est substantia.* Ergo *omnis non substantia est non homo.* Sed, cùm termini totaliter mutentur his negationibus, jam non est conversio proprie dicta.

Regulæ autem seu leges conversionis sunt variæ pro variis propositionum speciebus, quæ sunt quatuor : 1° Universalis affirmans (litt. A designatur) ; 2° universalis negans (E) ; 3° particularis affirmans (I) ; 4° particularis negans (O).

Jamvero A convertitur *per accidens* et *non simpliciter ;* quia, in affirmativis propositionibus, prædicatum tribuitur totum subjecto, sed non omne, scilicet tribuitur in totâ suâ comprehensione, sed non in totâ suâ extensione.

E convertitur *simpliciter* et *per accidens ;* quia, in negativis propositionibus, prædicatum removetur omne, scilicet cum totâ suâ extensione.

I convertitur *simpliciter ;* quia, in affirmativis propositionibus, prædicatum tribuitur totum subjecto, sed non omne.

O non convertitur ullo modo. Subjectum enim, cùm sit particulare, non potest fieri attributum, quod, in negativis propositionibus, debet esse universale. — Attamen, si admittitur conversio per contrapositionem, hæc conversio convenit particulari negativæ et universali affirmativæ.

Igitur his versibus continentur omnes conversionis regulæ:

Simpliciter fEcI convertitur, EvA per accid (ens).
AstO per contrap (ositionem). Sic fit conversio tota.

139. **Harum regularum utilitas** non est despicienda. Ad eas enim et ad cetera præcepta logicæ attendentes, facilius æquivocationes erroresque vitabimus.

CAPUT VII

DE RATIOCINIO ET SYLLOGISMO

140. **Ratiocinium** idem sonat ac *rationis actus*. Et revera est « quidam motus intellectûs transeuntis de uno in aliud » (1); vel, ut ait Aug. : « a certi ad incertorum indagationem nitens cogitatio »; vel, ut ait Tullius : « ratio quæ ex rebus perceptis ad id quod non percipiebatur adducit ». Sic describi potest : « Discursus intellectûs a veritate demonstratâ aut indemonstrabili et primâ, transeuntis in aliam, propter identitatem medii termini. »

Dico : *discursus*. — Nam intellectus humanus ita a naturà comparatus est ut discurrat, moveatur, sit perfectibilis, transeat de potentiâ in actum et rerum notitiam accipiat non statim sed pedetentim et gradatim.

Deinde : *a veritate demonstrata aut indemonstrabili*. — Duplicis enim sunt generis veritates ex quibus movetur intellectus. Aliæ, cùm sint demonstratæ, resolvuntur iterum aliquo ratiocinio; aliæ autem resolvi non possunt, quia sunt primæ, evidentes per se, clariores omni demonstratione.

141. **Medius terminus**. — Dico tandem : *propter identitatem medii termini*. Nam intellectus non transit ab unâ veritate in aliam, seu ab uno judicio in aliud (siquidem omnis veritas exprimitur aliquo judicio) nisi propter identitatem extremorum cum aliquo medio termino. Ex gr. intellectus transit ab hac veritate : *Anima est spiritualis*, in hanc aliam : *Anima est immortalis*, propter hanc veritatem mediam : *Spirituale est immortale*. Revera ratiocinium non est mera successio neque mera connexio idearum, sed est veritatum seu judiciorum nexus. Connectuntur autem duo judicia propter medium terminum.

142. **Deductio immediata : utrum detur aliquando.** — Ex dictis patet deductionem immediatam, id est sine medio

(1) S. Th., Cg., lib. I, c. 57, n. 6.

termino, nunquam inveniri, sed semper inter duo judicia quorum unum vere fluit ab alio interesse aliud judicium expressum aut subauditum. Ex. gr. inter hæc duo judicia : *Omnis homo est mortalis — Ergo aliquis homo, Petrus, est mortalis*, subauditur hujusmodi judicium : *Totum continet partes*, vel : *Species continet individua*, vel : *Quidquid valet de omnibus valet etiam de singulis* (v. Dictum de omni, Dictum de nullo n. 144).

143. **Principium identitatis est ratiocinii fundamentum.** — Cùm ratiocinium exurgat ex duobus terminis aliquo medio termino junctis, fundatur in principio identitatis, quod sic exprimi potest : *Quæ sunt identica uni tertio sunt identica inter se*, seu : *Ea quæ conveniunt uni tertio*, inter se quoque *conveniant necesse est.* Sed animadverte duo extrema non convenire inter se nisi eodem modo seu eâdem ratione uni tertio conveniant : secus enim medius terminus esset duplex et ratiocinium evaderet sophisma.

144. **Syllogismi aliæ leges generales.** — Ex principio identitatis statim fluunt aliæ leges quibus reguntur omnia ratiocinia proindeque omnes syllogismi : 2° *Duo quorum unum non est identicum uni tertio non sunt identica inter se* — 3° *Quidquid affirmatur distributive de omnibus affirmatur de singulis.* Ratio est : quia sub quodam respectu totum est identicum cum partibus. Hoc axioma vocatur *Dictum de omni* — 4° *Quidquid negatur distributive de omnibus negatur etiam de singulis.* Hoc axioma vocatur *Dictum de nullo.*

Has ultimas leges complemus his duabus quæ inductionem regunt : *Quidquid affirmatur de uno in materiâ necessariâ* (id est essentialiter) *affirmatur de omnibus — Et quidquid negatur de uno in materiâ necessariâ negatur de omnibus.* Nam essentia non mutatur, est eadem pro omnibus individuis ejusdem speciei. Hoc est fundamentum inductionis. Alio modo exprimitur dicendo : *Leges naturæ sunt constantes.*

145. **Syllogismus ; ejus species.** — Ratiocinii expressio dicitur in genere *syllogismus*, a duabus vocibus græcis, quæ significant quamdam adunationem propositionum. Et revera

syllogismus est « oratio in quâ una propositio ex aliâ infertur ».

a) Ratione effectûs seu conclusionis, syllogismus est *demonstrativus*, vel *probabilis*, vel *sophisticus*. Conclusio primi est certa; secundi, dubia; tertii, falsa.

b) Ratione processûs seu methodi, syllogismus est *deductivus*, vel *inductivus*. Deductio fit ab universali ad particulare, a lege ad facta. E converso, inductio ascendit a particulari ad universale, a factis ad leges.

c) Ratione unitatis, syllogismus est *simplex*, vel *compositus*. Hic resolvitur in plures, aut saltem (secundùm aliam definitionem) una ex suis præmissis est composita.

d) Ratione formæ seu sensûs, syllogismus est *explicitus* vel *implicitus*, prout omnes partes ejus seu propositiones sunt expressæ necne.

146. **Syllogismi elementa**. — Syllogismus proprie dictus et perfectus (nempe syllogismus deductivus, simplex, explicitus, demonstrativus) quem nunc spectamus, tribus propositionibus constat. Harum tertia, scilicet *conclusio*, ex duabus aliis eruitur, quæ dicuntur *præmissæ*. Ex istis prima dicitur *major;* secunda, *minor*. Nexus præmissarum cum conclusione dicitur *consequentia*. Unaquæque propositio duobus terminis constat; unde sex termini inveniuntur materialiter in syllogismo, sed tres tantùm formaliter, cùm unusquisque bis assumatur. Termini sunt : *magnus*, *parvus* et *medius*. Magnus et parvus dicuntur *extrema*. In propositione *majori*, magnus terminus comparatur cum medio; in *minori*, medius terminus comparatur cum parvo; extrema junguntur in conclusione. Magnus terminus continet medium; medius continet parvum. Exemplum : *Omne animal est sensibile; atqui homo est animal; ergo homo est sensibilis*. Tres termini sunt : *sensibile* (magnus terminus), *animal* (terminus medius) et *homo* (parvus terminus).

147. **Syllogismi regulæ**. — Octo regulæ traduntur his versibus; quarum quatuor primæ *terminos*, quatuor aliæ *propositiones* syllogismi spectant :

1. Terminus esto triplex : major, mediusque, minorque.

2. Latius hos quam præmissæ conclusio non vult.
3. Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
4. Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
5. Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur.
6. Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.
7. Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.
8. Pejorem sequitur semper conclusio partem.

Explicantur istæ regulæ :

1° Nisi prima regula observetur, non erit identitas inter duo extrema. Jamvero non observatur, si medius terminus secundùm diversos sensus assumitur in majore et in minore, quia fit revera duplex.

2° Conclusio enim non est legitima nisi in præmissis contineatur.

3° In conclusione enim, duo extrema junguntur.

4° Nam medius terminus unum extremorum continere debet.

5° Etenim duæ negationes ullam convenientiam vel disconvenientiam manifestare nequeunt.

6° Nam conclusio sit in præmissis oportet.

7° Etenim vel ambæ præmissæ particulares de quibus agitur erunt affirmativæ, vel negativæ, vel una affirmativa et altera negativa. Si primò, medius terminus non erit unquam assumptus generaliter, si quidem in propositionibus affirmativis, prædicatum assumitur particulariter; unde syllogismus peccabit contra quartam regulam. Si secundò, syllogismus peccabit contra quintam regulam. Si tertiò, medius terminus erit attributum propositionis particularis negativæ, quod solum assumitur generaliter. Unde non erit locus in præmissis in quo termini conclusionis possint assumi generaliter ; ideoque termini conclusionis erunt ambo particulares, vi secundæ regulæ. Sed ista conclusio non poterit esse affirmativa neque negativa : non affirmativa, quia adest præmissa negativa (vide octavam regulam); neque negativa, quia in propositionibus negativis prædicatum assumitur generaliter.

8° Id est conclusio est negativa, si adest præmissa negativa; particularis, si adest præmissa particularis. Primum patet ; nam, si ex duobus unum est identicum cum tertio, alterum autem non est identicum, hæc duo non erunt identica inter

se. Secundum patet; nam, si una præmissa est particularis, unum extremorum non erit identicum cum medio nisi particulariter ; ideoque conclusio non nisi particulariter extremorum ideutitatem affirmabit.

148. **Syllogismi figuræ et modi.** — Figuræ sunt quasi *genera*, modi autem quasi *species* syllogismi. Syllogismus enim est compositus proxime propositionibus, remote autem terminis. Porro figuræ proveniunt ex variâ dispositione terminorum in præmissis, modi autem ex variâ dispositione propositionum, spectatis quantitate et qualitate earum.

Secundùm Aristotelem, 3 sunt figuræ et 16 modi pro unaquaque figurâ ; inde 48 species syllogismorum. Sunt tres figuræ, quia tribus modis termini disponi possunt : 1° vel medius terminus est subjectum in majore et prædicatum in minore ; 2° vel est prædicatum in majore et in minore ; 3° vel tandem est subjectum in duabus præmissis. Quod exprimitur versu sequenti, ubi *sub* et *præ* idem significant ac *subjectum* et *prædicatum*.

Sub — præ : *prima ;* sed *altera* bis præ ; *tertia* bis sub.

Exemplum primæ figuræ : *Omne ens rationabile est liberum* ; *atqui homo est rationabilis ; ergo homo est liber*. Hæc figura est perfectissima ; nam apertissime medius terminus continetur in magno et continet parvum.

149. **Figurarum leges** deducuntur ex legibus syllogismi. Lex primæ figuræ hæc est : Minor præmissa sit affirmativa, et major sit generalis — Secundæ : Una præmissa sit negativa et major sit generalis — Tertiæ : Minor sit affirmativa et conclusio sit particularis.

Etenim, in primâ figurâ, si minor est negativa, magnus terminus, utpote attributum in majore, quæ necessariò est affirmativa, prædicabibur *particulariter ;* sed negabitur cum totâ suâ extensione seu *distributive* in conclusione, necessariò negativâ ; quod est contra secundam regulam. Deinde, si major est particularis, medius terminus assumitur particulariter in duabus præmissis ; quod est contra quartam regulam.

In secundâ figurâ, si ambæ præmissæ sunt affiirmativæ, medius terminus, cùm sit attributum in utrâque, prædica-

bitur particulariter in utrâque ; quod est contra quartam regulam. Deinde, si major est particularis, magnus terminus, cùm sit subjectum, assumitur particulariter ; sed aliunde assumitur distributive in conclusione, necesariò negativâ.

In tertiâ figurâ, si minor est negativa, magnus terminus prædicatur particulariter in majore, necessariò affirmativâ, et distributive in conclusione, necessariò negativâ ; quod est contra secundam regulam. Denique, si conclusio est universalis, parvus terminus assumitur distributive, scilicet cum totâ suâ extensione, cùm sit subjectum ; sed assumitur particulariter in minore, cùm sit ibi attributum propositionis affirmativæ.

150. **Daturne quarta figura?** — Videtur quòd quarta figura sit possibilis, ut putavit Galenus. Nam medius terminus potest esse prædicatum in majore et subjectum in minore. Exemplum : *Homo est ens rationabile ; atqui omne ens rationabile est liberum* ; *ergo aliquod ens liberum est homo.*

Critica. — At revera hæc quarta figura non differt a primâ nisi quia invertuntur præmissæ et convertitur conclusio. Unde dicitur a scholasticis *prima figura indirecta.*

151. **Modi syllogismi.** — Proveniunt, ut diximus, ex dispositione præmissarum, spectatis quantitate et qualitate earum. Spectatâ quantitate, præmissæ sunt universales vel particulares ; spectatâ qualitate, sunt affirmativæ vel negativæ. Disponuntur autem variis modis. Vel ambæ sunt affirmativæ, — vel ambæ negativæ, — vel major est affirmativa et minor negativa, — vel minor est affirmativa et major negativa. Hinc quatuor modi spectatâ solâ qualitate. Sed unusquisque eorum est quadruplex, spectatâ quantitate præmissarum. Nam vel præmissæ sunt ambæ universales, — vel ambæ particulares, — vel major est universalis et minor particularis, — vel minor est universalis et major particularis. Hinc 16 modi pro unaquaque figurâ, 48 pro tribus figuris, 64 pro quatuor figuris, si quarta admittitur.

At non sunt nisi 14 modi efficaces, vel 19 (si admittuntur 64), qui non peccant contra ullam regulam, scilicet :

4 pro primâ figurâ ; 4 pro secundâ ; 6 pro tertiâ ; 5 pro quartâ. Insuper, ad primam figuram, quæ est perfectissima, ceteræ possunt reduci invertendo præmissas et convertendo conclusionem. Hæc omnia exprimuntur his versibus :

> Barbara, Celarent, Darii, Ferio. — Baralipton,
> Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
> — Cesare, Camestres, Festino, Baroco. — Darapti,
> Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Hæc novemdecim vocabula repræsentant novemdecim modos efficaces ; scilicet : quatuor prima repræsentant quatuor modos primæ figuræ ; quinque sequentia, quinque modos primæ figuræ indirectæ seu quartæ; quatuor sequentia, quatuor modos secundæ figuræ ; sex ultima, sex modos tertiæ figuræ. Tres primæ litteræ vocales uniuscujusque vocabuli naturam et ordinem propositionum hujus modi significant : AAA, EAE, etc. Insuper, omnes modi incipientes unâ ex his litteris : *b*, *c*, *d*, *f*, reducuntur ad modos primæ figuræ incipientes iisdem litteris. Attamen, duo modi *baroco* et *bocardo* non reducuntur sed verificari possunt, ostendendo per syllogismum primæ figuræ contradictoriam conclusionis esse falsam : hæc demonstratio dicitur *per absurdum*. Tandem litteræ, *s*, *p*, *m*, *c* indicant modum quo fieri debeat reductio : *s* indicat *simplicem* conversionem ; *p*, conversionem *per accidens ; m*, *mutationem* in ordine præmissarum ; *c*, reductionem per *contradictionem*.

Igitur quicumque syllogismi reduci possunt ad unum ex quatuor primæ figuræ. Qui omnino sufficiunt. Nam cujuscumque ratiocinii conclusio est vel universalis affirmativa (A), vel universalis negativa (E), vel particularis affirmativa (I), vel particularis negativa (O). Porro tales sunt conclusiones quatuor modorum primæ figuræ.

152. **Objectiones contra logicam aristotelicam.** — Hucusque theoriam syllogismi aristotelicam tradidimus, quam confutare aut corrigere quidam philosophi angli frustra conati sunt. Alii enim in locum syllogismi deductivi, quem existimant inutilem, sufficere conantur meram inductionem. Sed, ut ostenditur infra, inductio syllogismum non tollit, sed

potiùs requirit. Alii verò theoriam aristotelicam complere aut corrigere contendunt. Volunt enim propositiones esse universales vel particulares non solùm ratione subjecti, sed etiam ratione prædicati. Hinc *quantificatio prædicati*, ut aiunt, quâ omnis propositio evaderet mera æquatio et facillime converteretur.

153. **Critica**. — At prædicatum naturaliter gaudet quadam indeterminatione, quam tollere modò est inutile et modò impossibile. Insuper, si tollitur prædicati indeterminatio *quantificatione*, jam termini fiunt æquales; unde vis ratiocinii, sive deductivi, sive inductivi, jam ampliùs non apparebit.

154. **Syllogismi compositi**, etc. — Syllogismi compositi vel impliciti semper resolvi possunt in syllogismos perfectos seu categoricos. Plures distinguuntur : *conditionalis*, *conjunctivus*, *disjunctivus*, *enthymema*, *epicherema*, *sorites*, *polysyllogismus*, *dilemma*.

Syllogismus conditionalis ille est cujus præmissa major est conditionalis. Ex. gr. : *Si Petrus respirat*, *vivit ; atqui respirat ; ergo vivit — vel aliter : atqui non vivit ; ergo non respirat*. Hinc duplici modo concludere potest iste syllogismus, affirmando vel negando, prout affirmatur antecedens aut negatur consequens. Sed nihil sequitur, si negatur antecedens, vel si affirmatur consequens. Exponi potest sub formâ categoricâ : *Quodcumque respirat vivit* ; *atqui Petrus respirat ; ergo vivit.*

Syllogismus conjunctivus seu copulativus est ille cujus major est propositio negativa et copulativa ita ut ex affirmatione unius membri deducatur negatio alterius. Ex. gr. : *Nemo potest servire Deo et Mammonæ; atqui Judas servit Mammonæ ; ergo Judas non servit Deo — vel : atqui Paulus servit Deo; ergo non servit Mammonæ.* Hinc duplici modo concludit iste syllogismus, propter oppositionem membrorum. At non concludit ex negatione unius membri affirmationem alterius, nisi membra sint contradictoria vel contraria in materiâ necessariâ.

Syllogismus disjunctivus est ille cujus major est propositio

disjuncta, mediante particulâ *vel*, *aut*. Ex. gr. : *Jesus est Deus aut fuit impostor ; atqui Jesus non fuit impostor ; ergo Jesus est Deus*. Quadruplici modo concludit iste syllogismus, prout affirmatur aut negatur primum aut secundum membrum.

155. **Enthymema** est syllogismus implicitus cujus una præmissa subauditur. Ex. gr. : *Virtus beatificat ; ergo appetenda*. Aliud : *Deus est bonus ; ergo amandus*.

156. **Epicherema** est syllogismus cujus una saltem præmissa est causalis. Ex. gr. : *Religio christiana est bona, quia homines efficit meliores ; atqui protegenda est religio bona ; ergo*. In hoc syllogismo liquet majorem esse conclusionem alterius syllogismi, cujus medius terminus solus exprimitur.

157. **Sorites** (quoad nomen græcum *acervus*) est series seu catena propositionum ita dispositarum ut prædicatum primæ fiat subjectum secundæ ; prædicatum secundæ fiat subjectum tertiæ et sic deinceps, donec subjectum primæ conjungatur prædicato ultimæ in conclusione. Ex. gr. : *Deus est causa prima totius universi ; atqui causa ejusmodi existit per seipsam ; sed id quod existit per seipsum habet omnes perfectiones, est infinitum, æternum*, etc. *Ergo Deus est infinitus, æternus*, etc. Ibi sunt tot syllogismi quot sunt propositiones, primâ et ultimâ demptis, id est, tot sunt syllogismi quot sunt medii termini.

158. **Sorites non est ratiocinii typus**. — Secundùm quosdam philosophos, sorites esset ratiocinii typus. At falsò. Sorites enim resolvitur in syllogismos. Ratiocinari non est transire ab unâ ideâ in secundam, a secundâ in tertiam, etc., sed est transire ab unâ ideâ in aliam, mediante tertiâ.

159. **Polysyllogimus** est acervus syllogismorum ita ordinatorum ut conclusio primi sit præmissa major secundi, conclusio secundi præmissa major tertii, etc.

160. **Dilemma** (quoad nomen græcum *duplex propositio*), est quasi duplex syllogismus, in quo eadem conclusio eruitur ex duabus propositionibus contradictoriis, quæ tanquam minores assumuntur. Ideo dicitur argumentum *utrinque*

feriens. Exemplum. Tertullianus Trajano scribebat : *Aut nocentes sunt christiani aut innocentes; si nocentes, cur inquiri prohibes? Si innocentes, cur delatis pœnam irrogas?* Conclusio subaudita erat : *Ergo injuste agis.* Non valet dilemma nisi membra opponantur contradictorie aut alio modo medium excludant.

Dilemna differt a syllogismo disjunctivo. In isto major est propositio disjunctiva, cujus unum membrum oportet eligere ad concludendum.

CAPUT VIII

DE INDUCTIONE

161. **Inductio et deductio.** — Inductio est argumentatio quæ progreditur a particularibus ad universale, a partibus ad totum, a factis et phænomenis observatis aut expertis ad leges, ab effectibus ad causam, a signis ad rem significatam, a contingente ad necessarium, etc. « Hæc, ait Tullius, ex pluribus perveniens quò vult appellatur inductio, quæ græce *epagôgè* nominatur. » Opponitur ergo deductioni, quamvis ei conjungi debeat : inductione præsertim scientia augetur; deductione, perficitur.

162. **Inductio est verum ratiocinum** ideoque vestitur omnibus conditionibus essentialibus ratiocinii. Igitur non est mera analogia, quamvis in analogiâ fundetur; non est mera abstractio aut generalisatio : sed est discursus seu processus intellectûs transeuntis a cognito ad incognitum, ab uno judicio ad aliud propter medium terminum.

163. **Inductio certitudinem quærit**, cùm sit vere ratiocinium, quamvis sæpe, propter difficultatem materiæ, nonnisi opinionem pariat.

164. **Inductionis et deductionis relationes.** — Inductio et deductio simul conveniunt et differunt : conveniunt quidem; nam utraque est argumentatio fundata in principio identitatis et constans tribus terminis tribusque propositio-

nibus explicitis aut implicitis; — differunt; quia deductio est descensus ab universali ad particulare, etc., dum inductio est ascensus. In deductione major terminus continet medium, et medius minorem, dum, in inductione, minor terminus tradit medium, et medius majorem. Unde conclusio inductionis fit principium deductionis.

165. **Syllogismus deductivus et inductivus**. — Vere igitur inductio similis est syllogismo deductivo cujus propositionum ordo inverteretur. Sit ex. : *Omnis homo est mortalis; atqui nos* (Petrus, Paulus, etc.) *sumus homines; ergo sumus mortales.* Invertendo propositionum ordinem, habebimus inductionem sequentem : *Nos* (Petrus, Paulus) *sumus mortales; atqui sumus homines* (id est, ut vitetur æquivocatio, eamdem naturam habemus quam ceteri homines); *ergo omnis homo est mortalis.*

Ex his liquet syllogismum deductivum fundari in *extensione* idearum; inductivum autem, in *comprehensione.* Ambo legitime concludunt, cùm, sub diverso respectu, particulare in universali et universale in particulari contineantur. Deductio nititur proxime hoc principio : *Dictum de omni,* scilicet: *Quod convenit omnibus distributive convenit singulis.* E contrario, inductio nititur hoc principio : *Quod dicitur de uno specifice aut generice* (seu essentialiter) *dicitur de omnibus;* alio verbo : *Ab uno disce omnes.* Fundatur ergo inductio in apprehensione alicujus essentiæ vel legis essentialis, ut dicitur infra (n. 170).

166. **Observatio, experimentum.** — Cùm inductio proficiscatur a particularibus, uti debet multis observationibus et experimentis. Observare idem est ac spectare, tanquam testis. Experiri est aliquid amplius, scilicet tentare, agere. Scientia astronomica utitur præsertim observationibus; scientia physica verò, experimentis. Observatio dicitur interna vel externa, prout ejus objectum est externum vel internum.

167. **Non datur inductio sine aliquâ deductione.** — Nam observationes et experimenta, quibus nititur inductio, non demonstrant naturam aut leges rerum nisi per quasdam deductiones. Pariter deductio non datur, saltem generatim,

quin supponat aliquam inductionem. Hi duo processus intellectûs naturaliter consociantur.

168. **Inductionem non fuisse inventam** manifestum est igitur ex dictis; sed eâ usi sunt antiqui philosophi : Socrates, Aristoteles, etc., præsertim in scientiis moralibus. Plures, cum Bacone, contendunt Aristotelem cognovisse solummodo inductionem imperfectam ; at falsò. Inductione tamen non perfecte usi sunt sapientes, in scientiis physicis, nisi novissimis sæculis.

169. **Inductionum species**. — Alia est inductio quæ fit enumeratione *completâ* partium, et alia quæ fit enumeratione *incompletâ*. Illa non videtur esse realiter inductio, nam transit solummodo ab omnibus individuis ad speciem, ab omnibus speciebus ad genus. Inductio autem per enumerationem incompletam est *perfecta* vel *imperfecta*, prout concludit certe vel probabiliter. At præcise quæritur quomodo conclusio possit esse certa, quamvis enumeratio sit incompleta.

170. **Inductionis fondamentum.** — Inductio fit certa, mediante aliquo principio generali, quod diversis modis enunciari potest : *Essentia seu natura rerum non mutatur.* — *Leges naturæ sunt constantes* — *Omnis effectus causam proportionatam habet.* Ex. gr. si certi sumus omnes homines esse mortales, hoc est quia videmus mortalitatem fluere ex ipsâ naturâ humanâ in Petro, in Paulo, etc. ; si pronunciamus hanc esse legem corporum ponderabilium ut deorsum ferantur, hoc est quia natura est sibi constans; si asserimus causam eclipsis lunæ esse positionem terræ inter lunam et solem, hoc est quia non potest esse hujus effectûs alia causa sufficiens.

171. **Inductionis regulæ generales**. — Post legem fundamentalem inductionis traduntur plures regulæ : Observationes aut experimenta quibus nititur inductio sint sufficientia; nulla hypothesis accipiatur nisi probabilis, nec ulla unquam affirmetur nisi quæcumque alia repugnet (v. n. 369) ; et aliæ ejusmodi.

172. **Opiniones de distinctione inductionis et syllo-**

gismi. — Quidam putaverunt inductionem non esse aliud nisi enthymema cujus subauditur propositio major hujusmodi : « Quidquid singulis convenit aut non convenit, id toti quo singula continentur, etiam convenit vel non convenit. » — Sed hæc major non differt a principio identitatis, neque explicat inductionem proprie dictam, scilicet quæ fit per enumerationem incompletam. Præterea inductio reduci non potest ad syllogismum, nisi distinguantur syllogismus deductivus et syllogismus inductivus.

Alii putaverunt inductionem revocari posse ad syllogismum tertiæ figuræ. — At præter ea quæ dicta sunt, conclusio syllogismi tertiæ figuræ est particularis, dum, e contrario, conclusio syllogismi inductivi, est generalis.

Tandem alii existimant inductionem non reduci ad syllogismum nisi *materialiter ;* putant igitur inductionem exponi posse sub specie syllogismi, non autem reduci posse ad syllogismum proprie dictum seu deductivum.

173. **Utrum inductio nullam vim probandi habeat sine syllogismo?** — Quidam affirmant inductionem non habere vim ullam sine syllogismo, quia, inquiunt, omnis inductio fundatur in principio generali hujusmodi : *Leges naturæ sunt constantes.* — Verum est; sed principium istud aut aliud ejusmodi estne deductum an verò inductum? Multa sunt principia quæ per inductionem demonstrata sunt; ideoque multæ sunt præmissæ majores syllogismorum deductivorum quæ in inductione fundantur. Sane principium omnino fundamentale inductionis (sit illud : *essentia est immutabilis*) non est inductum ; sed est evidens immediate potiùs quàm deductum. Unde, sive inductio, sive deductio, vi propriâ gaudent, id est evidentiâ, quamvis una cum alterâ generatim implicetur.

174. **Corollarium contra Stuart Mill**, etc. — Ex his liquet quanti momenti sint tum inductio tum deductio. Nulla earum habenda est tanquam sola forma ratiocinandi. Erraverunt ergo illi omnes qui nimis extollentes inductionem et logicam materialem, deductionem et syllogismum rejecerunt. Ita Stuart Mill, qui contendit syllogismum esse petitionem

principii, quia, inquit, conclusio affirmatur jam in præmissâ majore.

175. **Spencer** etiam gravissime errat dicendo syllogismum esse inutilem, arbitrarium, et quodcumque ratiocinium esse inferentiam ex particulari ad particulare.

CAPUT IX

DE STATIBUS INTELLECTUS RESPECTU VERITATIS ET SPECIATIM DE ERRORE ET DE SOPHISMATIBUS

Priusquam tractemus de errore et sophismatibus, quædam dicenda sunt de statibus intellectûs respectu veritatis : et primò quidem de *scientiâ* et *fide*, deinde de *certitudine*, *ignorantiâ*, *errore*, *opinione* et *dubio*.

176. **Scientia et fides**. — *Scire* est veritatem cognoscere vi proprii intellectûs ; *credere* est cuidam doctrinæ vel sententiæ adhærere propter testimonium, sive divinum, sive humanum. Hinc fides *divina* et fides *humana*. Hæc est sæpissime mera opinio.

177. **Certitudo ejusque gradus**. — Certitudo est status intellectûs judicantis absque formidine errandi. Est *objectiva* vel *subjectiva*, prout provenit ex evidentiâ objecti necne (vide infra dicenda de evidentiâ, cap. XIII). Certitudo varia est sicut ipsum judicium certum. Igitur est *mediata* vel *immediata* prout est de principiis primis, immediate evidentibus, aut de conclusionibus. Distinguitur præsertim in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*. Certitudo metaphysica fundatur in principiis seu legibus absolutis ; ex. gr. : *Totum est majus suâ parte*. Certitudo physica fundatur in legibus physicis ; ex. gr. : *Sol cras orietur*. Certitudo moralis fundatur in legibus moralibus ; ex gr. : *Amicus noster non erit proditor*. Quidam vocant certitudinem moralem eam cujus objectum est veritas moralis. Sed hic modus loquendi æquivocatione laborat.

Ex his liquet certitudinem, quamvis sit indivisibilis in se,

utpote excludens omnem formidinem errandi, quosdam gradus admittere, spectatis principiis seu motivis in quibus fundatur, quæ sunt plura vel pauciora, graviora vel leviora.

178. **Ignorantia** est status mentis cognitione carentis. Est mera *nescientia* (ex. gr. ignorantia pueri ante usum rationis) vel *privatio* alicujus veritatis debitæ. Hæc potest esse culpabilis (ex. gr. ignorantia juris in judice).

179 **Error, opinio, dubium**. — Error positive opponitur veritati, siquidem est judicium falsum. Omnis error fundatur in aliquâ ignorantiâ, sed ab ignorantiâ valde differt. Etenim ignorans nescit omnino nec judicat ; errans autem judicat nec omnino nescit. Attamen non intelligit præcise id in quo errat, siquidem, ut ait Augustinus, « omnis qui fallitur, id in quo fallitur non intelligit ».

Inter ignorantiam et certitudinem stat *opinio*, quæ est judicium cum formidine errandi. Opinio est vera vel falsa in se ; sed opinio vera non ideo tradit ipsam veritatem menti recte opinantis (vide caput XI).

Prope opinionem est *dubium*, quod est status mentis ancipitis seu hæsitantis inter duo judicia contradictoria, quorum neutrum affirmat. Dubium est *negativum* vel *positivum*, prout motiva judicandi adsunt necne.

180. **Sophisma ; ejus species**. — Sophisma est syllogismus procedens a principiis falsis et apparenter veris : est igitur syllogismus mendax ; ejus conclusio non potest esse vera, nisi per accidens, quia veritas non fluit ex præmissis. Sophisma differt a *paralogismo*, qui est syllogismus apparens : paralogismus peccat propter formam, sophisma autem propter materiam, nam in falso nititur.

Multis modis distinguuntur sophismata : ratione objecti, principii, finis, etc. Sunt enim sophismata in materiâ religionis, vel philosophiæ, vel politicæ, etc. Sunt etiam sophismata ambitionis, superbiæ, etc. At omnes divisiones hujusmodi sunt sophismati accidentales.

181. **Sophismata in voce**. — Spectatâ eorum naturâ, alia sophismata sunt *in voce*, seu in dictione, quæ fundantur in

apparenti identitate vocis; et alia sophismata *in re*, seu extra dictionem, quæ fundantur in apparenti identitate rerum.

Inter sophismata in voce numerantur : *a*) Æquivocatio, *b*) Amphibologia, *c*) Accentus, *d*) Compositio et divisio, *e*) Sensûs metaphorici abusus.

a) *Æquivocatio* est quando idem vocabulum secundùm diversos sensus accipitur. Ex. gr. dicebat Baïus : « Quod non est ex *fide* peccatum est. Atqui nulla opera infidelium sunt ex *fide*. Ergo omnia opera infidelium sunt peccata. » Vox *fides* est æquivoca : modò enim significat primam virtutem theologicam et modò bonam fidem seu rectam conscientiam. Sane quidquid non est ex bonâ fide seu rectâ conscientiâ, peccatum est. Sed non requiritur ut omne opus honestum sit ex virtute fidei.

Æquivocationi similis est *homonymia*. Ex. gr. : Jesus est filius *Judæ* (unius ex duodecim filiis Jacob); atqui *Judas* (Iscariotes) Jesum prodidit; ergo Jesus a patre suo proditus est.

b) *Amphibologia* datur ex propositione seu sententiâ æquivocâ. Ex. gr. responsum oraculi ad Pyrrhum interrogantem de bello quod gerere intendebat adversùs Romanos : « Aio te, Æacida, Romanos vincere posse. »

c) *Sophisma accentûs* est quando æquivocatio provenit ex accentu seu modo pronunciandi. Ex. gr., propter diversum accentum, *Sol occidit* significat solem præcipitem in occasum vel solem necare.

d) *Fallacia compositionis et divisionis* inde est quòd propositiones quædam sunt veræ vel falsæ prout sensu diviso vel sensu composito accipiuntur. Ex. gr. hæc propositio : « Homo laborat et requiescit » vera est sensu diviso, falsa autem sensu composito. Item in Evangelio : « Cæci vident, surdi audiunt. »

e) Tandem *abusus sensûs metaphorici* fit error, quando jam figura seu imaginatio accipitur loco ideæ. Ita falluntur qui divinitati corpus et membra proprie tribuunt, aut æternitatem tanquam longissimum tempus definiunt.

182. **Sophismata in re** octo possunt numerari : *a*) *Fallacia accidentis*, quando attributum accidentale accipitur ut essentiale ideoque universale. Ex. gr. : *Judas est malus ; ergo omnis homo est malus.*

b) *Fallacia a dicto secundùm quid ad dictum simpliciter*, *et vice versâ.* Ex. primi casûs : *Æthiops est niger; ergo dentes ejus sunt nigri.* Ex. secundi casûs : *Petrus est bonus ; ergo est omnino impeccabilis.*

c) *Fallacia ab ignorantiâ elenchi*, quando nempe unus disputantium alterum non audit aut non intelligit, ac proinde extra controversiam redarguit.

d) *Petitio principii* et *circulus vitiosus.* In petitione principii supponitur id quod probandum est. Circulus vitiosus seu demonstratio in orbem, circularis, habetur quando una propositio demonstratur per aliam, quæ immediate aut mediate demonstratur per primam.

e) *Fallacia consequentis*, quando assumitur consequens pro antecedente. Ex. gr. : *Si Petrus loquitur, vivit ; porro vivit ; ergo loquitur.*

f) *Fallacia non causæ ut causæ*, quando aliquod antecedens vel principium accipitur ut vera causa. Ex. gr. : *Vinum inebriat; ergo est malum.* Hoc sophisma dicitur etiam : *Post hoc ; ergo propter hoc.*

g) *Fallacia interrogationis captiosæ*, quæ jam falsum continet. Ex. gr. : *Quidquid non perdidisti habes ; atqui non perdidisti cornua ; ergo habes cornua.*

h) *Fallacia enumerationis incompletæ*, quæ occurrit præsertim in dilemmatibus, quando ratiocinatio procedit per disjunctionem, oppositionem, enumerationem.

183. **Sophismata inductionis**, **deductionis**, etc., a modernis distinguuntur. Inductio præsertim, cùm procedat per analogiam et a partibus ad totum, ex factis ad legem, multis sophismatibus est obnoxia. Vitabuntur omnes cavillationes et confutabuntur sophistæ, si omnes sensus verborum et propositionum accuratius distinguuntur ut removeatur quidquid falsum est et legitime ex principiis evidentibus non eruitur.

184. **Causæ sophismatum et erroris**. — Omnis error provenit ex aliquâ cognitione imperfectâ : « Omnis enim qui fallitur, id in quo fallitur non intelligit. » Itaque intellectus, quatenus est facultas primorum principiorum, falli non potest. At intellectus, quatenus est facultas ratiocinandi, seu ratio, est fallibilis, præsertim cùm ejus actus plus minusve dependeant a voluntate, sensibus et passionibus. Hinc errores et præjudicia multa.

185. **Methodus moralis**. — Ergo necesse est ut sapiens non moveatur nisi ardenti amore veritatis et honesti. Hic amor supremus jam est *methodus moralis*, in primis necessaria, quâ pervenit homo ad veram sapientiam. Unde dicit Scriptura : *Qui facit veritatem venit ad lucem.*

186. **Variæ ordinationes sophismatum et errorum**. — Aristoteles, Baco, Malebranchius aliique vario modo sophismata et errores distinxerunt atque ordinaverunt.

Aristoteles, quem fere secuti sumus, distinxit sex sophismata *in dictione* et septem *in re*. Sex sophismata in dictione sunt : figura dictionis, homonymia, æquivocatio, amphibologia, accentus, sensus compositus et sensus divisus. Figura dictionis, de quâ non diximus, est crassum sophisma proveniens ex quadam similitudine in desinentiâ vocum. Ex. gr. : *Amari est pati*; *ergo etiam operari est pati.*

Baco, metaphorice loquendo, distinguit quatuor species sophismatum seu idolorum : *a) idola tribûs*, id est, errores et præjudicia quæ ex ipsâ naturâ humanâ oriuntur ; — *b) idola specûs*, id est, orta ex ipsâ indole et habitibus uniuscujusque hominis ; — *c) idola fori*, id est, orta ex ipso sermone ; — *d) idola theatri* seu præjudicia scholæ.

Malebranchius omnes errores, cum sophismatibus, ad quinque capita revocat : *a) errores sensuum* ; — *b) errores imaginationis* ; — *c) errores intellectûs* ; — *d) errores inclinationum* ; — *e) errores passionum.*

Auctores *Logicæ* vulgò dictæ *de Port Royal*, distinguunt : *a) sophismata cupiditatis, amoris proprii et passionis ; b) sophismata ex ipsis objectis orta.* At omnes istæ divisiones sunt accidentales sophismati, ut jam diximus.

CAPUT X

DE DEMONSTRATIONE

187. **Argumentatio demonstrativa, probabilis.** — Omnis argumentatio progrediens ex certis principiis ad certam conclusionem est demonstratio; quæ sola proprie scientiam parit. At multæ argumentationes, præsertim inductiones, non sunt nisi probabiles, quando nempe progrediuntur ex probabilibus principiis ad probabiles conclusiones.

Insuper, propter differentiam ingeniorum vel affectionum animi, eadem argumentatio potest esse demonstrativa uni quæ est solummodo probabilis alteri; non ideo tamen mutatur ipsa natura argumentationis. Igitur absolute seu ex se argumentatio est demonstrativa vel probabilis, quamvis relative argumentatio demonstrativa sæpe habeatur ut mere probabilis, et argumentatio probabilis videatur esse demonstrativa.

188. **Quid ad scientiam confert argumentatio probabilis.** — Argumentatio probabilis non parit certitudinem sed tantùm opinionem. Hæc autem non est proprie objectum scientiæ : *scientia* enim *est de certis*. At verò argumentatio probabilis demonstrativam præparat ; deinde jam aliquam certitudinem, saltem indirecte confert, scilicet de probabilitate majori vel minori variarum opinionum et sententiarum. Unde habentur dubia vere scientifica. Imò ipsa ignorantia sic evadere potest indirecte objectum scientiæ : « Profiteor me nihil scire » aiebat Socrates.

189. **Argumentationis probabilis species. Rationes convenientiæ.** — Argumentatio probabilis alia est ex *ratione* vincibili seu non necessariâ, et alia *ex auctoritate* non certâ. Ad argumentationem ex ratione reducuntur *rationes* quæ dicuntur *convenientiæ*, quibus sæpissime utuntur theologi ad explicanda fidei mysteria. Rationibus hujusmodi explicant Incarnationem Domini Nostri Jesu Christi sanctissimamque Trinitatem. Explicant, inquam, non autem demonstrant; secus enim objectum theologiæ sacræ idem esset ac objectum philosophiæ.

190. **Rationes auctoritatis ; earum usus in philosophiâ.** — Rationes auctoritatis aliæ sunt invincibiles seu necessariæ, sicut auctoritas Dei, auctoritas Ecclesiæ quoad fidem et mores ; aliæ autem sunt majoris minorisve momenti, sicut auctoritates philosophorum aut scriptorum. Generatim in philosophiâ nulla auctoritas humana certitudinem conferre potest ; quia ratio humana est fallibilis ; et ideo philosophia non in auctoritate sed in evidentiâ fundatur. Attamen sapientium auctoritas non est parvi facienda eosque consulere perutile est, imò necessarium, ut ait S. Th. :

Necesse est accipere opiniones antiquorum quicumque sint. Et hoc quidem ad duo erit utile. Primò, quia illud quod ab his benè dictum est accipiemus in adjutorium nostrum. Secundò, quia illud quod malè enunciatum est cavebimus (1).

191. **Historiæ philosophiæ utilitas**. — Hinc apparet historiæ philosophiæ utilitas, imò et necessitas, cùm varias doctrinas antiquorum cognoscere oporteat verasque a falsis dijudicare. Attamen ipsam philosophiam confundere non licet cum historiâ criticâ variarum sententiarum quæ diversis temporibus in scholis invaluerunt. Sed philosophia est ipsa doctrina quam a nobis intelligendam, augendam atque perficiendam antiqui tradiderunt.

192. **Demonstratio. Cur varietur**. — Argumentationis finis ultimus est demonstratio, cujus prima principia sunt propositiones per se notæ.

Sed propositiones hujusmodi non sunt semper notæ quoad omnes homines. Ex. gr. : hæc propositio : *Deus est unus*, est per se quidem nota et plurimis hominibus evidens, sed est ignota polytheistis, quibus oportet eam demonstrare, Hinc jam videtur necessitas demonstrationem variandi, pro diversis temporibus variisque hominibus. Hæc demonstrationum varietas non ipsi veritati imputanda est, sed ipsi menti humanæ, quæ est plus minusve ignorantiæ obnoxia atque præjudiciis et erroribus præoccupata.

(1) In lib. I *de Animâ*, lect. II.

193. **Demonstrationum species.** — Multiplex est demonstratio :

a) Alia est, ut jam vidimus, *ex ratione*, et alia *ex auctoritate*. Sæpe eadem veritas tum ratione, tum auctoritate demonstratur : ita omnia dogmata theologico-philosophica.

b) Alia est *absoluta* et alia *relativa*, seu *ad hominem*. Hæc differt ab *argumento ad hominem*, quod sæpe fundatur in merâ opinione aut etiam in errore illius qui confutandus est.

c) Alia est *directa* et alia *indirecta*. Hæc demonstrat non nisi removendo omnia quæ conclusioni opponuntur : ejusmodi est demonstratio *per absurdum*.

d) Alia est *pura*, alia *empirica* vel potius *experimentalis*, et alia *mixta*. Prima nititur principiis puræ rationis, propositionibus analyticis ; secunda, principiis experientiæ, propositionibus syntheticis ; tertia, partim principiis analyticis et partim syntheticis.

e) Alia dicitur *a priori*, et alia *a posteriori*. Prima procedit a causis ad effectus, ab universalibus ad particularia ; eadem est ac demonstratio *pura* (de quâ paulo supra). Secunda procedit ab effectibus ad causam, a factis ad legem ; non differt a demonstratione experimentali.

b) Eadem fere divisio occurrit quando distinguimus demonstrationem *propter quid* et demonstrationem *quia*. Prima fit per essentiam rei seu causas ejus necessarias ; alia fit per effectus vel per alia principia. Sic demonstramus existentiam Dei *a posteriori* et *quia*, non autem *a priori* et *propter quid*. Liquet demonstrationem *propter quid* esse perfectissimam, cùm demonstret non solùm rem existere sed etiam cur et quomodo sit.

194. **Quæstiones quæ circa aliquid moveri possunt.** — Secundùm Aristotelem, variæ quæstiones quæ circa aliquam rem moveri possunt, ad quatuor reducuntur : *An sit res ? — Quid sit ? — Qualis sit ? — Cur et unde sit ?* Prima quæstio est de existentiâ ; secunda de essentiâ ; tertia, de proprietatibus et qualitatibus ; quarta, de fine et principio.

195. **Investigationis media, loca demonstrationis.** — At non sufficit quæstiones movere, oportet præsertim solvere.

Porro quæstiones jam propositæ sunt media inveniendi demonstrationem. Pauca adjiciam. Omnia demonstrationis loca ad causas aliaque principia reduci possunt, siquidem scientia est cognitio per causas. Causæ autem aliæ sunt *ordinis physici* (causa efficiens, finalis, materialis, formalis, etc.), aliæ *ordinis logici* (genus, species, differentia, etc.), aliæ *ordinis metaphysici* (substantia vel etiam persona, qualitates, relationes, tempus, locus, etc.), aliæ *ordinis moralis* (intentio, libertas, etc.). Altius inveniuntur transcendentalia : ens, unum, verum, bonum, pulchrum, ordo, etc. Uno verbo, tot sunt loca demonstrationis quot sunt ideæ generalissimæ.

196. **Argumentationis utilitas et regulæ**. — In scholis invaluit usus disputandi non solùm ad veritatem demonstrandam, sed etiam ad excolendum ingenium. Revera, disputatio scholastica, si recte instituatur, mentem acuit et roborat, solertioremque efficit ad dissolvenda quæcumque sophismata.

Regulæ autem generales hujus disputationis sunt sequentes :

1º *Defendens*, postquam veritatem propugnandam demonstravit, audire debet attente, absque præjudicio, objectionem ab impugnante enunciatam. Deinde eam renunciare debet fidelissime cum animo eam solvendi. Si argumenti conclusio non fluit ex præmissis, negabit consequens et consequentiam. At si argumentum non peccat quoad formam, unamquamque propositionem argumenti iterum enunciabit ut eam neget aut concedat aut distinguat prout ipsi videbitur.

2º *Impugnans* ita proponere debet objectionem ut conclusio prima sit contradictoria thesis impugnatæ ; et ita prosequi debet ut conclusio uniuscujusque argumenti sit contradictoria propositionis negatæ. Caveat ab usu majoris dubiæ ne quæstionis campum egrediatur ; abstineat etiam a vocabulis et propositionibus æquivocis nec variet vocabula ubi eadem idea exprimitur. Tandem eamdem difficultatem omnibus modis proponere et prosequi debebit donec soluta fuerit.

In disputationibus solemnioribus formulæ ejusmodi sunt in usu :

Impugnans : « Si prius jusserit illustrissimus ac reveren-

dissimus D. D. episcopus (vel archiepiscopus, etc.) hujus disputationis præses, et benigne annuerint sapientissimi magistri faveritque ornatissima adstantium corona, argumentabor, carissime (vel doctissime) condiscipule (vel respondens, etc.), contra propositionem sic positam : *Anima est immortalis* (vel alia thesis). Ego vero contradico : *Anima non est immortalis.* Ergo falsa thesis. » — DEFENDENS : « Contra thesim sic positam : *Anima est immortalis*, ita argumentatur carissimus condiscipulus (vel doctissimus magister, etc.) : *Anima non est immortalis. Ergo falsa thesis*. Nego antecedens et probo thesim. » Defendens exponit et demonstrat thesim ; deinde concludit : — « Ergo stat thesis. » Iterum impugnans : « Probo antecedens », atque statim primum syllogismum enunciat.

CRITICA SEU CRITERIOLOGIA

CAPUT XI

DE CRITICA ET PRIMO DE VERITATE ET CERTITUDINE SCEPTICISMI EXAMEN GENERALE

197. **Critica ; ejus objectum ; divisio.** — Logicæ secunda pars, quæ vocatur *critica*, *logica materialis*, versatur circa ipsam veritatem necnon circa criteria et methodum quæ adhibenda sunt ut veritas inveniatur.

Criteria autem sunt subjectiva vel objectiva. Criteria subjectiva dicuntur facultates cognoscendi : memoria, ratio, sensus, etc. ; criteria objectiva sunt auctoritas et evidentia. Ad criteria etiam revocari possunt *universalia*, *prima principia* et *scientiæ*, quæ respondent *ideis*, *propositionibus* et *ratiociniis*, de quibus actum est in dialecticâ, cujus critica est complementum. Ultimo loco tractabimus de methodo.

Igitur primò dicendum est de veritate : ubinam sit ? Estne possibile eam obtinere ?

Thesis. — *Veritas et error sunt proprie in judicio, non autem in merâ apprehensione aut ideâ ; — neque in sensibus, nisi quatenus sensus judicium intellectûs imitantur. — Veritas non possidetur nisi per judicium objective certum, excludens non modò dubium, sed etiam quamcumque probabilitatem errandi. — Ceterùm, certitudo, quamvis sit essentialiter indivisibilis, admittit tamen gradus accidentales atque etiam species : unde distinguuntur certitudines metaphysicæ, mathematicæ, physicæ, morales, quibus præest absolute certitudo fidei. — Quoad certitudinem naturalem de quâ nunc agitur, possibile est eam obtinere ; qui hoc negaret, cum*

scepticis, vim faceret ipsi naturæ et multimode sibi ipsi contradiceret.

198. **Veritas et falsitas sunt in judicio**, id est, tribuuntur proprie intellectui componenti vel dividenti (seu affirmanti vel neganti), non autem intellectui apprehendenti. Quod apparet statim ex ipsis signis idearum et judiciorum, scilicet ex terminis et propositionibus. Veritas enim et falsitas non proprie inveniuntur in terminis ipsis, sed in propositionibus. Ex gr. illi termini : *Deus*, *anima*, *virtus*, *Jupiter* non sunt veri neque falsi ex se ipsis ; sed veræ sunt propositiones : *Deus est justus ; virtus est laudabilis;* falsæ autem istæ : *anima est mortalis ; Jupiter existit.*

199. **Ideæ falsæ.** — Hinc jam videmus non esse proprie *ideas falsas*. Attamen, si veniunt sub nomine idearum opiniones, judicia, fides, jam ideæ sunt veræ aut falsæ (v. n. 70).

200. **Cognitio perficitur in judicio**. — Secundò videmus veritatem et falsitatem esse in judicio, non autem in ideis, nisi inchoative, quia cognitio incipit quidem in ideis, sed non perficitur nisi in judicio. Veritas autem sequitur cognitionem; unde perficitur solummodo in judicio.

Tertiò idem demonstratur ex ipsâ naturâ veritatis, quæ est conformitas quædam seu æquatio intellectûs et rei vel objecti. Hanc ergo conformitatem cognoscere, est cognoscere veritatem. Sed conformitatem non videmus nisi cum judicamus. Ad rem S. Th. :

Per conformitatem intellectûs et rei veritas definitur. Unde conformitatem istam cognoscere est cognoscere veritatem... Veritas igitur potest esse in sensu vel in intellectu cognoscente quod quid est, ut in quadam re verâ, non autem ut cognitum in cognoscente ; quod importat nomen veri. Perfectio enim intellectûs est verum ut cognitum (1).

201. **Quomodo veritas et error sunt in sensibus**. — Rem sic explicat S. Th. :

Cognitio nostra, quæ a rebus initium sumit, hoc ordine progreditur : ut primò incipiet in sensu, deinde perficiatur in intellectu, ut sic sensus inveniatur quodammodo medius

(1) Iª, q. 16, a 2.

inter intellectum et res. Est enim rebus comparatus quasi intellectus, et intellectui comparatus quasi res quædam. Et ideo in sensu dicitur esse veritas vel falsitas dupliciter. Uno modo secundùm ordinem sensûs ad intellectum ; et sic dicitur esse sensus falsus vel verus, sicut res ; in quantum videlicet facit veram existimationem in intellectu vel falsam. Alio modo secundùm ordinem sensûs ad res ; et sic dicitur esse veritas vel falsitas in sensu, sicut et in intellectu; in quantum judicat scilicet esse quod est, vel non esse quod non est Si ergo loquamur de sensu secundùm primum modum, sic in sensu quodammodo est falsitas et quodammodo non est falsitas. Sensus enim et est res quædam in se et est indicativus alterius rei. Si ergo comparetur ad intellectum prout est res quædam, sic nullo modo est falsitas in sensu, intellectui comparato; quia secundùm hoc dispositionem suam intellectui demonstrat. Unde Augustinus dicit, in auctoritate inductâ, quòd non possunt omnino enunciare nisi affectionem suam. Si autem comparetur ad intellectum secundùm quòd est repræsentativus alterius rei, cùm quandoque repræsentet ei aliter rem quam sit, secundùm hoc sensus falsus dicitur, in quantum natus est facere falsam existimationem in intellectu, quamvis non necessariò faciat, sicut et de rebus dictum est ; quia intellectus sicut judicat de rebus, ita et de his quæ a sensibus offeruntur. Sic ergo sensus, intellectui comparatus, semper facit veram existimationem in intellectu de dispositione propriâ, sed non de dispositione rerum. Si autem consideretur sensus secundùm quòd comparatur ad res, tunc in sensu est veritas vel falsitas per modum quo est in intellectu. In intellectu primò et principaliter invenitur falsitas et veritas in judicio componentis et dividentis, sed in formatione quidditatum nonnisi per ordinem ad judicium, quod ex formatione prædictâ consequitur. Unde et in sensu proprie veritas et falsitas dicitur secundùm quòd judicat de sensibilibus; sed secundùm hoc quòd sensibile apprehendit, non est ibi veritas et falsitas proprie, sed solùm secundùm ordinem ad judicium (1).

202. **Objectiones.** — 1a Veritas est universalis; unde omne ens est verum. Ergo idea est vera, sicut et judicium.

Resp. — Veritas metaphysica est universalis et consequitur ens ; sed veritas logica ex quâ oritur scientia invenitur inchoative in ideâ, perfecte autem in judicio tantùm.

2a Cùm idea clara sit criterium supremum veritatis secundùm Cartesium, sane est eminenter vera.

(1) *Quæst. Disp. de Veritate* art. 11.

Resp. — Idea clara potest esse criterium supremum veritatis, quamvis ipsa non sit formaliter aliqua veritas : ita punctum est principium lineæ, quamvis ipsum non sit linea; ita unitas est principium numeri, quamvis ipsa non sit numerus. Ceterùm, idea clara cartesiana haberi potest ut ipsa evidentia objecti, aut etiam ut ipsum principium evidentiæ : « Quidquid evidens est verum est ».

3ª Saltem in Deo, veritas perfecta non consistit in judicio sed in purâ intelligentiâ.

Resp. — Concedo ; sed agimus de homine, in quo cognitio, cum veritate, oritur ab ideis, crescit autem et perficitur judiciis et ratiociniis.

4ª Inveniuntur quandoque ideæ et verba plena erroribus ; ita verba : *semi-Deus* (divinitas enim non dividitur), *simius-homo ;* ita ideæ *circuli quadrati*, *numeri infiniti*, etc. Ergo falsitas esse potest in ipsis terminis et ideis.

Resp. — Termini hujusmodi non sunt falsi nisi *per accidens*,id est, propter judicia quæ antecedunt vel consequuntur; unde his terminis uti recte possumus ad confutandos errores. Animadvertamus etiam ideas contradictorias esse revera duplices, scilicet unamquamque earum exhibere duas ideas insociabiles, nonnisi accidentaliter junctas (sicut homo et simius picti in eâdem tabulâ).

5ª Attamen vocabulum definiri potest atque suam definitionem significat ; quæ vera vel falsa est.

Resp. — Vocabulum significat definitionem quatenus apprehensam, non autem quatenus affirmatam.

203. **Veritas non possidetur nisi per judicium objective certum.** — Id est, veritas perfecte non est nisi in certitudine objectivâ. Etenim veritas, ut ostensum est, non est in dubio, siquidem dubium non est adhuc judicium ; neque est in opinione, nam qui opinatur secundùm veritatem, invenit quidem verum, sed non videt, ideoque non possidet. Ergo veritas non est nisi in certitudine. Hæc autem debet esse objectiva, id est, ex objecto evidenti orta ; secus enim vel esset persuasio erronea, vel saltem non differret, quoad veritatis possessionem, ab opinione verâ.

204. **Quomodo certitudo admittit gradus et species.** — Jam vidimus certitudinem esse essentialiter indivisibilem (n. 177) ideoque non esse unquam maximam probabilitatem, quamvis sæpe conclusio probabilissima et conclusio certa similes esse videantur. Sane conditiones certitudinis (præsertim si de certitudine morali agitur), possunt esse plus minusve probabiles ; sed ipsa certitudo, utpote fundata in principio absoluto, quamcumque probabilitatem contrariam excludit.

Nunc autem si certitudinem spectamus quatenus est cognitio plus minusve clara, seu adhæsio mentis propter varia motiva diversaque principia, jam videmus eam admittere varios gradus accidentales, imò et varias species. Etenim evidentia ex quâ oritur certitudo potest esse immediata vel mediata ; deinde alia sunt motiva rationis et alia motiva auctoritatis ; alia etiam sunt principia metaphysica et alia mathematica, alia physica, alia moralia. Multæ sunt ergo certitudines aliæ aliis majores. Omnibus præest absolute certitudo fidei divinæ, cùm in ipsâ Dei Veritate habeat fundamentum.

Totam hanc doctrinam sic explicat Suarezius :

Licèt certitudo per privationem explicetur, quam significat infallibilitas, nihilominus non consistit formaliter in privatione sed in positivâ perfectione, quæ potest esse major et minor juxta excellentiam actûs et causarum ejus : sicut substantia immaterialis magis vel minus perfecta quoad spiritualitatem esse potest, licèt privatio materiæ, quæ nomine immaterialis substantiæ significatur, in omnibus æqualis esse videatur...

(Deinde, de certitudine fidei). Ratio autem proprie sumitur ex altioribus causis, quibus nititur certitudo fidei ; fundatur enim im primâ Veritate, quam fallere vel falli impossibilius est quàm naturalem scientiam hominis errare. Item pendet certitudo fidei ex lumine infuso et divino, quod longe excellentius est quàm lumen naturale intellectûs. Hujusmodi ergo lumen etiam confert excellentiorem certitudinem... Denique, quatenus fides pendet ex voluntate, ut jam dicam, nititur in speciali motione Spiritûs Sancti, quæ efficax est ad præstandam excellentiorem certitudinem. Unde etiam fit ut certitudo fidei non admittat deliberatam dubitationem in intellectu, etiamsi mille argumenta occurrant, quibus homo satisfacere

nesciat, nisi ad fidem confugiendo, quod est etiam apertum signum majoris certitudinis (1).

205. **Objectiones**. — 1° Certitudo non potest minui. Ergo non potest augeri, siquidem augmentum respondet minutioni.

Resp. — Certitudo non potest minui nec augeri quatenus expellit formidinem errandi et fallibilitatem, sed minui vel crescere potest accidentaliter quatenus nititur motivis vel principiis diversæ speciei vel nobilitatis.

2° Saltem certitudo fidei cedit certitudini naturali. Nam certitudo naturalis est ejusmodi ut etiam invitos cogat ad assentiendum.

Resp. — Certitudo naturalis cogit non propter majorem firmitatem, sed propter evidentiam, quæ intellectum rapit. Homo facilius exuit gratiam quam naturam, et rationem quam sensus, quamvis gratia sit fortior naturâ et ratio imperet sensibus.

3° Saltem certitudines physicæ et morales sunt solummodo probabilitates. Nam non excludunt quamcumque formidinem errandi. Ex. gr. : cras orietur sol, nisi sit miraculum aut exitus mundi; hic filius patrem diliget, nisi fiat ingratus.

Resp. — Principia seu leges quibus nituntur certitudines physicæ et morales non gignunt ex se certitudinem *absolutam* sed *hypotheticam*. Si ergo scimus aliunde hypothesim seu exceptionem non esse possibilem, certitudo evadet absoluta. Sed etiam certitudo mere hypothetica, quamvis practice probabilitati majori vel minori æquivaleat, differt a probabilitate ratione principii.

206. **De scepticismo ejusque variis formis**. — Nunc quærendum est de possibilitate veritatem inveniendi. Occurrit scepticismus, error omnium temporum et multiformis. Modò enim negat veritatem rerum sensibilium, et modò veritatem rerum intelligibilium. Nam tum idealismus tum materialismus sunt quædam formæ scepticismi ; cujus proprium est

(1) *Tract. de fide. Disp.* 6, Sect. 3, § 8 et 14.

certitudinem ullam non agnoscere nisi subjectivam et relativam aut alio modo diminutam.

207. **Scepticismus et dogmatismus comparantur.** — Scepticismo opponitur dogmatismus. Ambo, si spectantur tanquam systemata, sunt contradictoria. At verò, si per scepticismum intelligitur nimia dubitatio, et per dogmatismum affirmatio nimis frequens et temeraria, sapientia seu vera philosophia declinat ab utroque et stat in quodam medio. Revera dogmatismus temerarius seipsum destruit et generat mysticismum.

208. **Mysticimus.** — Hic certitudinem non sperat obtinere viribus rationis, sed tantûm lumine divino. Hinc varia systemata variæque superstitiones. Igitur mysticismus est quædam forma scepticismi. Nunc autem tractandum est solummodo de scepticismo in genere et de præcipuis ejus formis.

209. **Scepticismus universalis, particularis; absolutus, hypotheticus.** — Ratione objecti, scepticismus est *universalis* vel *particularis*, prout circa omnes veritates vel circa quasdam tantùm versatur. Hinc scepticismus historicus, religiosus... ; idealismus et materialismus, etc., prout rejicitur unum vel aliud criterium : testimonium humanum vel divinum, criterium rationis vel sensuum, etc.

In seipso spectatus, scepticismus est *absolutus* vel *hypotheticus*. Ille est dubium reale ; hic verò, dubium fictum et methodicum.

210. **Scepticismus sophistarum : Pyrrhonis**, etc. — Scepticismus distingui potest secundùm diversa tempora variasque scholas. Hinc scepticismus veterum sophistarum (Protagoras, Gorgias, Pyrrho), scepticismus neo-academicorum (Arcesilas, Carneades, etc.), scepticismus modernorum.

211. **Montaigne, Bayle, Hume, Kantius** inter scepticos modernos numerantur. Verumtamen Montaigne potiùs indolem quàm mentem scepticam in suis scriptis ostendit Aliter dicendum est de ceteris. Bayle tum scepticismum religiosum tum scepticismum philosophicum professus est. Hume de principio causalitatis atque etiam de corporum existentiâ

dubitavit. Kantius ei concessit rationem speculativam non esse capacem inveniendi veritatem. Scepticismo adhæserunt Renan aliique multi. Sic generatim redarguuntur.

212. **Scepticismus vim infert ipsi naturæ.** — Nam « omnes naturâ scire desiderant », ut aiebat Aristoteles; ita homo a naturâ comparatus est ut vehementer concupiscat cognoscere omnibus modis et præsertim per causas. Atqui desiderium hujusmodi frustrari non potest universaliter et absolute nisi vis inferatur ipsi naturæ. Hoc autem est impossibile.

Revera omnes homines et ipsi sceptici multa cognoscunt de quibus nullo modo realiter dubitare possunt. Hæc autem certitudo non est minùs legitima quàm necessaria.

213. **Scepticismi pessimi effectus.** — Error scepticismi apparet etiam ex suis pessimis effectibus; nonnisi enim fide et certitudine mens elevatur et roboratur sive ad debellandos hostes, sive ad omnes virtutes artesque colendas, tempore pacis.

214. **Scepticorum contradictiones.** — Præterea sceptici in multas contradictiones incidere videntur : dubitant enim de criterio rationis et de criterio sensuum, sed non dubitant de criterio conscientiæ; dicunt hominem non esse capacem inveniendi veritatem, sed præscribunt, deficiente certitudine, leges et naturam esse observandas; dicunt omnia esse incerta, sed affirmant saltem sui dubii existentiam, etc. Hæc autem non concordant.

Quòd si contendunt nullam esse certitudinem, ne subjectivam quidem, eos prosequi licebit argumentis hujusmodi quibus utebatur Lactantius : « Si nihil, aiebat, sciri potest, necesse est id ipsum sciri quòd nihil sciatur. Si autem scitur posse nihil sciri, falsum est ergo quòd dicitur nihil posse sciri. Sic inducitur dogma sibi repugnans seque dissolvens. » Et Augustinus : « Omnis qui se dubitantem intelligit verum intelligit, et de hâc re quam intelligit certus est; de vero igitur certus est. »

215. **Scepticismus non directe confutatur.** — Attamen, ut ex dictis etiam patet, scepticismus universalis et absolutus

non potest confutari nisi indirecte, scilicet per absurdum; nam, negando quodcumque demonstrationis principium, scepticus extra campum disputationis stat. Unde S. Th. : « Illi qui nihil concedunt interimunt disputationem et omnem argumentativam rationem. » Et alibi : « Si adversarius nihil concedit, non potest cum eo disputare, potest tamen solvere rationes ipsius. »

216. **Scepticismi pejor absurditas**. — Absurdum est, in primis, quærere, ut fecit Kantius, utrùm cognitio veritatis sit homini possibilis. Dubitatio realis de hac possibilitate quamcumque demonstrationem interimit.

217. **Objectiones.** — Prima petitur ex dissensione philosophorum, qui omnes errores professi sunt. Unde Tullius aiebat : « Nescio quomodo nihil tam absurde dici potest quod non dicatur ab aliquo philosopho. »

Resp. — Plurimi et optimi philosophi in multis consenserunt præclarasque veritates professi sunt; imò non est philosophus qui non docuerit saltem aliquas veritates immixtas erroribus. Unde Lactantius : « Totam igitur veritatem et omne divinæ religionis arcanum philosophi attigerunt. Docemus nullam sectam fuisse tam deviam nec philosophum quemquam tam inanem qui non viderit aliquid ex vero. »

2° Omnis cognitio est relativa : est nempe relatio subjecti ad objectum. Ergo omnis veritas est relativa, ideoque non est veritas absoluta.

Resp. — Omnis cognitio est relativa quatenus mens refertur ad objectum ut mensuratum ad mensuram; secus falsum est. Igitur est verum absolutum, quamvis veritas sit relatio; nec veritas est mutabilis, quamvis ejus cognitio sit mutabilis.

3° Quiquid certum est demonstrari potest; atqui prima principia non possunt demonstrari; ergo omnia sunt dubia.

Resp. — Prima principia non demonstrantur proprie, cùm sint omni demonstratione clariora; et ideo sunt certissima omnesque alias veritates demonstrant.

4° Quidquid sit, scepticismus refutari nequit nisi petitione principii, nempe assumendo aliquod principium quod non concedit.

Resp. — Scepticismus universalis refutari nequit, quia egreditur conditiones necessarias ad usum rationis; etiam dormiens aut stipes non refutatur.

5° Prudens est dubitare.

Resp. — Imprudens est dubitare nimis.

CAPUT XII

DE CRITERIIS SUBJECTIVIS SEU DE FACULTATIBUS COGNOSCENDI

218. **Hujus capitis objectum.** — Postquam tractavimus de veritate, agendum est de mediis ad eam inveniendam, et primò quidem de potentiis seu facultatibus cognoscendi, non in seipsis (quod ad psychologiam spectat), sed quatenus eis utimur in investigatione veritatis.

219. **Facultates cognoscendi.** — Jamvero omnes facultates cognoscendi reducuntur ad sensum et intellectum. Sensibus particularia et contingentia apprehendimus; intellectu verò, universalia et necessaria. Sensus autem alii sunt externi (visus, auditus, etc.) et alii interni (sensus communis, æstimativa, memoria sensibilis, imaginatio). Omnes sensus sunt facultates organicæ, id est, quæ per organa exercentur, ideoque non sunt hominibus propriæ. At non ita est pro intellectu, qui est facultas inorganica, seu spiritualis. Varia nomina accipit, pro variis actibus : modò vocatur *intellectus* simpliciter, quando apprehendit prima principia, immediate evidentia; modò *ratio*, quando ratiocinatur; modo *memoria*, quando circa præterita versatur; modo *conscientia*, quando in seipsum vel in subjectum redit. Conscientia autem est psychologica vel moralis.

Nunc quæritur utrùm omnes illæ facultates sint veraces et quomodo. — Resp. :

THESIS. — *Sensus externi sunt infallibiles circa objectum suum, servatis conditionibus ab intellectu requisitis. — At, quoad ipsam existentiam corporum in genere sunt infallibiles omnino : nisi enim corporalia existerent, ipsæ sensationes*

non essent. — Conscientia autem, sive sensibilis, sive intellectualis, est infallibilis circa proprium objectum. — Item intellectus, quatenus distinguitur a ratione. — Quæ, simul cum memoriâ et præsertim imaginatione, est fallibilis ; sed nunquam error oritur ex ipsis facultatibus, quibus accidit.

220. **Sensus externi** non fallunt, servatis conditionibus ab intellectu requisitis. Nam primò natura nihil facit frustra seu non potest frustrari absolute. Unde per sensus homo cognoscere potest veritatem circa sensibilia, saltem quandoque, scilicet positis omnibus conditionibus requisitis. Sed quis judicare poterit de istis conditionibus nisi intellectus ?

Deinde, ut jam vidimus, sensus non fallunt quatenus apprehendunt (falsitas enim non invenitur in merâ apprehensione), sed fallere possunt quatenus judicium intellectûs imitantur. Hunc autem errorem intellectus præcavere potest.

221. **Testimonii sensuum critica**. — Et primò quidem scit intellectus testimonium sensuum esse fallibilem si adsit impedimentum *in organo* vel *in medio*. Tunc enim, quamvis sensatio remaneat vera in seipsâ, ut mera apprehensio, inducit tamen in errorem, nisi intellectus prudenter judicet de conditionibus quæ requiruntur.

222. **Conditiones requisitæ**. — Conditiones autem quæ requiruntur ut testimonium sensuum valeat sunt numerosiores aut pauciores prout sensus referunt plus minusve directe et perfecte objectum.

Hìc animadvertamus objectum sensuum seu sensibile esse triplex : *proprium*, *commune* et *per accidens*: Sensibile proprium est objectum unius sensûs; ex. gr. lumen pro oculo, sonus pro auribus, etc. Sensibile commune est objectum plurium sensuum ; sic extensio vel forma corporum, quæ simul videtur et palpatur. Sensibile per accidens non attingitur nisi indirecte propter qualitates ei adjunctas : sic ipsa substantia rerum quæ videntur, audiuntur, etc.

Jamvero si objectum sensûs est sensibile proprium, pauciores requiruntur conditiones ut sensus sit infallibilis : sufficit enim ut impedimentum non sit in organo neque in medio. Ex. gr. oculus sanus lumine solis perfecte videt omnes colores;

non ita videret lumine artificiali aut si vitro colorato uteretur.

223. **Difficultas de colore.** — Sed jam ex hoc oritur difficultas de objectivitate coloris necnon et aliarum qualitatum sensibilium. Nam, si loco illius solis alter nostram terram illuminaret, omnes colores prorsus plus minusve mutarentur. — Respondeo colorem esse quidem minimam qualitatem, quamvis visum maxime rapiat; fateor etiam colorem esse dependentem a quibusdam relationibus; dico tamen colorem esse aliquid objectivum simul cum relationibus unde resultat. Visus ergo non fallit, dummodo ejus testimonium intellectus bene interpretetur.

224. **Conditiones requisitæ pro qualitatibus communibus.** — Nunc si objectum sensûs est sensibile commune (nempe extensio corporum, distantia, forma, numerus), jam aliæ conditiones requiruntur : ex. gr. usus plurium sensuum, repetita observatio. Accidit etiam ut sensus quædam corporalia satis percipere nunquam possint (sic distantia solis ejusque forma); sed ad intellectum pertinet de istis judicare aut saltem prudenter dubitare.

225. **Conditiones pro substantiis requisitæ.** — Nunc transeuntes ad sensibile *per accidens*, scilicet ad substantias quæ per accidentia sua seu qualitates suas sensibiles percipiuntur, multas causas erroris invenimus. Nam sæpissime substantiæ diversæ easdem qualitates aut valde similes referunt. Igitur observationes et experimenta variare et multiplicare oportet, donec auferatur omne prudens dubium.

226. **Objectiones.** — 1° Contra veracitatem sensuum externorum respectu proprii objecti (scilicet luminis, coloris, odoris, saporis, etc.) dicunt has qualitates, quas vocant *secundas*, esse in sentiente non autem in objecto; sensatio enim harum qualitatum est subjectiva — Sciendum est qualitates distingui a philosophis modernis in *primas* (quantitas, extensio, etc.) et *secundas* (qualitates sensibiles) : primæ constituerent corpora; secundæ non existerent nisi in sensu ipso.

Resp. — Sane sensatio, utpote actus sentientis, non est in objecto sed in subjecto sentiente. At vis determinandi sensationem non est in subjecto sensibili sed in objecto, quod dicitur etiam sensibile, quia sentiri potest. Et revera sensatio hoc objectum refert quod subjectum determinat ad sentiendum, ut infra explicabitur (de psychologiâ n. 822). Igitur qualitates secundæ sunt reales et objectivæ æque ac primæ.

2° Non possumus quidem imaginari corpus sine extensione, sed bene sine qualitatibus secundis. Ergo istæ a mente nostrâ corporibus adjiciuntur.

Resp. — Oportet corporibus tribuere non solùm id sine quo ea imaginari non possumus, sed etiam quodcumque in eis apprehendimus. — Deinde, qui nimis probat nihil probat. Quoniam possumus concipere essentiam corporum sine extensione, oportebitne extensionem negare ut confugiamus ad idealismum ? Et revera, sicut cartesiani qualitates secundas, ita idealistæ qualitates primas corporum negaverunt. Hos et illos pariter confutamus.

227. **De sensibus quatenus referunt ipsam existentiam corporum. De idealismo.** — Nunc agimus non de qualitatibus sensibilibus, sed de ipsâ corporum existentiâ. Hanc nobis referendo, sensus sunt omnino infallibiles.

Contradicunt idealistæ, dicentes repræsentationes corporum oriri ex ipsâ mente humanâ (ita antiqui idealistæ, Fichte, etc.), vel Deum esse solam causam hujus repræsentationis (Berkeley). Huic errori favet Malebranchius, dicens corpora non esse causas nostrarum repræsentationum sensibilium ; item Cartesius, existimans repræsentationes corporum esse possibiles sine existentiâ ullius corporis, nosque certos esse de existentiâ mundi propter veracitatem Dei.

At, quamvis multæ repræsentationes sint subjectivæ et falsæ, nihilominus certum est repræsentationes quascumque sensiles arguere mundi corporei existentiam.

228. **Persuasio naturalis et indeclinabilis.** — Prima ratio petitur ex ipsâ naturâ, quæ omnibus hominibus, non exceptis idealistis, persuadet corpora existere. Sed natura errare non potest.

229. **Organorum dispositio.** — Secunda ratio petitur ex dispositione organorum sensuum externorum, quæ ordinantur evidenter ad ea percipienda quæ sunt nobis exteriora. Nam, si hæc organa ordinata fuissent ad percipiendas sensationes seu affectiones mere subjectivas, vel influxum a Deo, non ita aperirentur versùs exteriora, sed potiùs in intimo corpore absconderentur, sicut organa sensuum internorum (ex. gr. cerebrum).

230. **Repræsentationes supponunt existentfam corporum.** — Tertiò arguimus ex repræsentatione ipsâ corporum, cui nulla causa assignari potest præter corporum existentiam :

1° Non animi innata conformatio. Nam animus est simplex, corporum autem repræsentationes sunt compositæ, extensæ ; sed simplex non potest constituere compositum et extensum. Nec respondere licet animum esse corpori unitum. Nam, secundùm idealistas absolutos, corpus ipsum est mera apparentia corporis, sed revera est aliquid spirituale et quasi habitudo mentis. Nos autem dicimus hujus apparentiæ corporalis seu repræsentationis nullo modo inveniri causam sufficientem in solâ mente.

Insuper animadvertamus conceptiones mentis esse abstractas, universales, repræsentationes autem sensibiles esse particulares et concretas.

2° Non voluntas subjecti cogitantis. Nam voluntas non quærit id quod non cognoscitur : *ignoti nulla cupido.* Igitur voluntas non est causa repræsentationum, saltem primarum, quæ nullo modo cognoscuntur, sed potiùs eas consequitur. Deinde, si repræsentationes sensiles essent effectus voluntatis, jam conscientia testaretur ; sed conscientia renuntiat potiùs repræsentationes esse independentes a voluntate, imò esse ei quandoque maxime contrarias.

3° Non influxus divinus aut alicujus spiritùs creati. Nam, non solùm Deus homines induceret in errorem (quod suæ veritati repugnat), sed etiam est absolute impossibile aliquam apparentiam seu repræsentationem sensibilem et extensam excitari a spiritu in seipso aut in alio spiritu. Repræsentatio

sensibilis et extensa necessariò requirit subjectum extensum seu corpus. Sed, admissâ existentiâ alicujus corporis sentientis, non est ratio negandi existentiam totius mundi.

Ceterùm, liquet repræsentationes nostras sensibiles esse subjectas legibus physicis, necessariis, ideoque excitari ab ipsis corporibus, non autem a nostrâ mente aut ab aliquo spiritu.

231. **Idealismi absurditates.** — Denique thesis demonstratur per absurdum. Nam, si corpora non sunt, jam totus mundus evanescit : sol, terra, genus humanum; diligendo patriam, amicos et familiam suam, homo non diligit nisi seipsum. Nec licet respondere solam extensionem corporum negari ab idealistis ; nam, si negant extensionem corporalem, negare debent quidquid in eâ continetur et per eam cognoscitur.

232. **Corollarium contra Cartesium, Malebranchium.** — Ex his liquet rejiciendam esse sententiam eorum qui realitatem corporum demonstrant per auctoritatem divinam (Cartesius), vel etiam per revelationem (Malebranchius). Nam existentia Dei non est veritas prima quoad nos ; revelatio autem supponit corporum existentiam.

233. **Perceptio externa est immediata.** — Ex dictis liquet etiam perceptionem externam esse immediatam, contradicentibus Cartesio, Malebranchio, Lockio, Kantio plerisque modernis, qui non satis distinguunt sensationem externam ab internâ et subjectivâ. Illa verò est objectiva, non sentitur ipsa nisi primò percipiatur objectum : ex. g. non sentimus nos videre solem, nisi priùs solem percipiamus. Igitur relatio objecti percepti cum subjecto percipiente est immediata (vide *psych.* n. 813).

234. **Omnes perceptiones externæ sunt objectivæ.** — Patet adhuc omnes perceptiones sensuum externorum, non autem solas perceptiones tactûs, esse objectivas, ut voluit Condillac. Sane tactus est quasi sensus fundamentalis ; sensus nobiliores et subtiliores (visus, tactus) ad modum tactûs exercentur, neque recipiunt influxum objecti nisi median-

tibus quibusdam motibus aeris vel alterius fluidi ; inde causæ errandi multæ. Sed ad intellectum pertinet eas removere.

235. **Objectiones.** — 1° Existentia corporum eorumque qualitates non referuntur nisi sensibus, qui sunt fallaces nec docere possunt intellectum.

Resp. — Sensus non fallunt ex seipsis, neque proprie docent intellectum ; sed quasi testimonium perhibent de quo judicat intellectus.

2° Quædam sensationes sunt ejusmodi ut necessarie inducant in errorem : ita sensationes somniantis, amentis, alucinantis. Et forsan nostra cognitio mundi sensibilis est alucinatio naturalis et perdurans.

Resp. — Nulla sensatio inducit necessarie in errorem, si intellectus est sui compos possitque prudenter dijudicare. Unde amentes, somniantes necessarie quidem errant, non autem vigilantes et prudentes, neque etiam alucinantes.

3° Sensatio. sicut ipse sensus, est aliquid subjectivum ; unde dici non potest objectiva.

Resp. — Sane sensatio est subjectiva quatenus res quædam, seu actus subjecti sentientis ; sed est objectiva quatenus exprimit objectum immediate et formaliter ; in ordine ergo cognitionis refertur ad objectum potiùs quàm ad subjectum (vide psychologiam).

4° Non percipimus nisi id quod nobis præsens est, scilicet nostras proprias modificationes. Utrùm autem sint objectis conformes nescimus donec confugiamus in fidem Dei, qui nos fallere nequit.

Resp. — Per conscientiam utique non percipimus nisi nostras proprias modificationes ; sed per sensus externos percipimus res externas, quæ nobis præsentes fiunt non quidem per suam essentiam, sed per similitudinem seu formam.

5° Forsan aliquis genius malignus nos perpetim decipit.

Resp. — Gratuitum est hoc dubium. Deinde ad nos pertinet fraudem detegere et verum a falso dijudicare. Sane, si genius malignus occurrit, a fortiori adest Deus verus et bonus. Tandem animadvertamus a nemine excitari posse repræsentationem sensilem et extensam nisi in subjecto corporali et sensibili.

6o Spiritus est qui sentit in nobis. Sed corpora agere non possunt in spiritum. Unde spiritus noster sentit sub influxu divino.

Resp. — Non proprie spiritus sentit in nobis; sed anima est quæ sentit, non quatenus spiritualis, sed quatenus sensibilis, id est corpori substantialiter unita; ideoque res corporales agere possunt in animam et indirecte in spiritum. Sed falsum est omnino formam spiritualem separatam a materiâ posse imaginari vel sentire aliquid, sicut volunt cartesiani.

236. **In propriis limitibus conscientia est infallibilis.** — Tam de conscientiâ sensibili quàm de conscientiâ intellectuali hìc agitur : per illam, quæ melius vocatur *sensus communis*, sentimus alias sensationes earumque differentias; per hanc autem intelligimus seu scimus nos sentire et cogitare; et hæc est conscientia proprie dicta, hominibus propria, quà intellectus redit in seipsum et in varias affectiones subjecti, non quidem in omnes, quia multæ latent.

Nunc autem dicimus utramque conscientiam esse infallibilem intra proprias limites, id est, circa objectum proprium. Nam conscientia sensibilis versatur immediate circa objectum suum et est mera apprehensio. Pariter conscientia intellectualis immediate percipit objectum suum, quod est affectio actualis seu præsens subjecti; non percipit ratiocinando, inducendo vel deducendo, sed ad modum quo intellectus percipit prima principia, scilicet propter evidentiam immediatam. Nam agimus de merâ conscientiâ psychologicâ, non autem de conscientiâ morali, quæ judicat de moralitate actuum humanorum non solùm merâ intuitione principiorum, sed etiam ratiocinando, ideoque falsa esse potest. Conscientia autem de quâ nunc agimus est immediata et infallibilis, sive sit directa, sive reflexa, sive sit actualis sive sit habitualis.

237. **Absurdum est dubitare de conscientiâ.** — Testimonium conscientiæ ita est certum et necessarium ut impossibile sit et absurdum de eo dubitare aut sine eo aliquid affirmare. Etenim ante omnia oportet admittere propriam existentiam seque cogitare hoc vel illud; hæc autem scimus

per conscientiam. Etiam qui dubitare vellet de suâ conscientiâ, certus esset de hoc dubio per suam conscientiam. Igitur testimonio conscientiæ scepticismus perimitur. Probandus est ergo quodam modo Cartesius, quando incipit philosophari dicendo : « Cogito, ergo sum ». Non aliter S. Augustinus scepticismum Academicorum prosequebatur dicens :

Nulla in his verbis Academicorum argumenta formido dicentium : quid si falleris ? Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest ; ac per hoc sum, si fallor ; quia ergo sum si fallor, quomodo esse me fallor quando certum est me esse si fallor ? Quia igitur essem qui fallerer, etiamsi fallerer, procul dubio in eo quòd me novi esse, non fallor... Academicus dicere potest : fortasse dormis et nescis... Sed, sive dormiat, sive vigilet, vivit... nos vivere scimus (1).

238. **Objectiones**. — 1° Multæ sunt affectiones subjecti quæ conscientiæ latent. Ergo temerarium est credere conscientiæ.

Resp. — Conscientia ignorat quidem multa, sed errat nunquam.

2° Conscientiâ falluntur amentes, somniantes, aliique etiam qui putant multa videre aut sentire quæ revera non vident nec sentiunt.

Resp. — Decipiuntur imaginatione, non autem conscientiâ, quæ nobis renuntiat solummodo affectiones subjecti.

3° Sæpe dubitamus utrùm quasdam affectiones experti sumus, imò fallimur.

Resp. — Fallimur aut dubitamus propter memoriam, non autem propter conscientiam, quæ nobis renuntiat solummodo affectiones subjecti præsentes.

4° Sæpe accidit ut ille cui brachium vel crus amputatum est dolorem sentiat in membro amisso. Fallitur ergo sensu interno seu conscientiâ.

Resp. — Non fallitur ipsâ conscientiâ sed imaginatione, quæ tribuit membro amisso dolorem quæ sentitur in parte vicinâ.

(1) *De civitate Dei*, ch. XI, cp. 26.

5° Quidam amentes aut in somno hypnotico putant se gerere aliam personam vel etiam plures personas successivas. Ergo falluntur conscientiâ.

Resp. — Falluntur potiùs memoriâ, ad quam pertinet statum præsentem cum statibus præteritis conjungere.

6° Sæpe homo dubitat de propriis affectibus ; ex. gr. : utrùm agat ex timore an amore, ex amore Dei an ex amore sui. Non solùm dubitat, sed etiam et sæpissime errat. Ergo fallitur conscientia.

Resp. — Dubitat homo atque errat de naturâ suorum affectuum, non autem de eorum præsentiâ. Ad dijudicandam autem naturam affectuum, præsertim in ordine morali, opus est bonâ fide et scientiâ.

239. **Conscientiæ criterium.** — Ex dictis liquet criterium conscientiæ ceteris contineri, id est, esse conditionem cujusvis scientiæ et certitudinis, sed non esse criterium generale et sufficiens veritatis. Nam Dei et mundi existentia et natura cognoscuntur ratione, sensibus adjutâ, nullo modo conscientiâ. Ceterùm, plurimùm valet testimonium conscientiæ in scientiis logicis, psychologicis et moralibus.

240. **To ego reale et conscientia**. — Animadvertamus etiam ope conscientiæ cognosci non tantùm *to ego phænomenicum* seu apparens, sed etiam *to ego reale*, nec realiter distingui conscientiam *empiricam* et conscientiam *puram*, quidquid dixerit Kantius. Falsum est quoque, *to ego reale* proprie demonstrari per *to ego phænomenicum* seu apparens: propria existentia apprehenditur, sed non demonstratur. Unde non est proprie demonstratio in hoc dicto Cartesii : « Cogito ; ergo sum. »

241. **Homo seipsum cognoscit per actus suos.** — Tandem videmus hominem seipsum cognoscere per actus suos, non autem directe per essentiam suam.

Conscientia enim versatur directe et formaliter circa actus subjecti, indirecte autem circa ipsum subjectum, quod est cognoscibile per actus et a quo actus sunt inseparabiles (1).

(1) Cf. S. Th, I[a] q. 87 a. 1. et psychologiam (n° 961).

242. **Intellectus est infallibilis** — Nunc de criterio intellectûs quatenus intellectus est distinctus a ratione, dicimus : intellectum esse infallibilem. Nam intellectus versatur circa judicia immediate evidentia : unde statim attingit objectum suum ideoque error obrepere non potest. Hæc autem judicia alia sunt analytica et alia synthetica (recole dicta de utrisque). Sed intellectus errare non potest circa judicia analytica, siquidem in istis judiciis prædicatum est de essentiâ subjecti. Neque errare potest circa judicia synthetica, siquidem efformantur propter analysim alicujus facti experti : ex. gr. : ego cogito , ego sum ; ego patior, etc. Unde vel intellectus nihil apprehendit, vel non errat. Ad rem et uberiùs S. Th. :

Dicit Augustinus... quòd « omnis qui fallitur, id in quo fallitur non intelligit ». Et Philosophus dicit... quòd « intellectus semper est verus »...

Dicendum quòd Philosophus (De animâ, l. III, text. 26) comparat quantùm ad hoc intellectum sensui. Sensus enim circa proprium objectum non decipitur, sicut visus circa colorem, nisi fortè per accidens ex impedimento circa organum contingente ; sicut cùm gustus febricitantium dulcia judicat amara, propter hoc quòd lingua malis humoribus est repleta. Circa sensibilia verò communia decipitur sensus, sicut judicando de magnitudine vel figurâ ; ut cùm judicat solem esse pedalem, qui tamen est major terrâ. Et multò magis decipitur circa sensibilia per accidens, ut cùm judicat fel esse mel propter coloris similitudinem (1). Et hujus ratio est in evidenti : quia ad proprium objectum unaquæque potentia per se ordinatur secundùm quòd ipsa ; quæ autem sunt hujusmodi semper eodem modo se habent. Unde, manente potentiâ, non deficit ejus judicium circa proprium objectum (2). Objectum autem proprium intellectûs est quidditas rei : unde circa quidditatem rei, per se loquendo, intellectus non fallitur ; sed circa ea quæ circumstant rei essentiam vel quidditatem intellectus potest falli, dum unum ordinat ad aliud, vel componendo, vel dividendo, vel etiam ratiocinando. Et propter hoc etiam circa illas propositiones errare non potest quæ statim cognoscuntur, cognitâ terminorum quidditate ; sicut accidit circa prima principia, ex quibus etiam accidit infallibilitas veritatis secundùm certitudinem scientiæ circa conclusiones. Per accidens tamen contingit

(1) Cf. supra (n. 222 et seq.)
(2) Cf. paulo infra (n. 245).

intellectum decipi circa *quod quid est* in rebus compositis ; non ex parte organi, quia intellectus non est virtus utens organo, sed ex parte compositionis intervenientis circa definitionem, dum vel definitio unius rei est falsa de aliâ, sicut definitio circuli de triangulo ; vel dum aliqua definitio est in se falsa, implicans compositionem impossibilium : ut si accipiatur hoc ut definitio alicujus rei, animal rationale alatum (1). Unde in rebus simplicibus, in quarum definitionibus compositio intervenire non potest, non possumus decipi ; sed deficimus in totaliter non attingendo (2)

243. **Objectiones**. — 1° Etiam principia prima et evidentissima, quæ sunt objectum proprium intellectûs, a quibusdam (Hegel, sceptici) negata sunt. Ergo fallibilis est intellectus.

Resp. — Negantur verbo aut scripto non autem intellectu. Unde S. Th. :

Nihil est adeo verum quin voce negari possit. Nam et hoc principium notissimum, quod non contingat idem esse et non esse, quidam ore negaverunt. Quædam autem adeo vera sunt, quòd eorum opposita intellectu capi non possunt; et ideo in interiori ratione eis obviari non potest, sed solùm in exteriori, quæ est per vocem (3).

2° Infallibilitas intellectûs demonstrari non potest sine petitione principii.

Resp. — Utique; nam est veritas prima. Explicari tamen potest.

3a Deus solus est infallibilis.

Resp. — Deus solus est absolute infallibilis et quoad omnia; sed creatura esse potest infallibilis quoad plures veritates, eas nempe quas vere possidet.

244. **Ratio, cum memoria,** etc., **est fallibilis**. — Ratio et memoria sunt fallibiles, quia non versantur semper immediate circa objectum suum. Decipiuntur præsertim imaginatione. Attamen si recte exercentur et removentur omnes causæ erroris, veritatem certissimam invenire et retinere possunt.

(1) Cf. ea quæ dicta sunt de ideis veris et de ideis falsis (n° 70).
(2) Ia q. 85. a 6.
(3) *In I Poster* 1, 19.

245. **Error nunquam oritur ex facultatibus ipsis.** — Igitur, quicumque sint errores, nunquam oriuntur ex ipsis facultatibus seu potentiis. Nam, ut ait supra, loco citato, S. Th. : « Ad proprium objectum unaquæque potentia per se ordinatur secundùm quòd ipsa ; quæ autem sunt hujusmodi semper eodem modo se habent. Unde, manente potentiâ, non deficit ejus judicium circa proprium objectum ». Ergo potentiæ non falluntur per se, sed per accidens.

246. **Objectio.** — Videtur quòd ratio humana sit fallibilis ex se, cùm semper erraverit. Unde scripsit Bayle : « Notre raison n'est propre qu'à brouiller tout, à faire douter de tout »; et Lacordaire : « Le raisonnement, quelque puissant qu'il soit pour établir, est mille fois plus actif encore pour diviser. »

Resp. — Ratio humana semper erravit plus minusve, sed semper etiam multas veritates demonstravit et vindicavit ; et hoc quidem *per se*, erravit autem *per accidens*. Demonstravit enim verum, nunquam autem falsum.

CAPUT XIII

DE CRITERIIS OBJECTIVIS SEU MOTIVIS CERTITUDINIS ET SPECIATIM DE EVIDENTIA

247. **Criteria objectiva.** — Alia sunt intrinseca, id est, ex ipsâ naturâ rerum (sic evidentia, prima principia) ; et alia extrinseca (variæ auctoritates). Deinde, inter omnia, adest quoddam supremum, quo scilicet distinguimus ultimò verum a falsis. Ab eo cetera dependent absolute, quamvis unumquodque eorum possit præesse sub quodam respectu. Ita in scientiis physicis, testimonium sensuum est præcipuum motivum certitudinis ; in psychologiâ, testimonium conscientiæ ; in metaphysicâ, ratio pura ; in theologiâ, auctoritas divina ; in historiâ, auctoritas humana.

248. **Criterii supremi necessitas.** — Omnia criteria fundari in quodam criterio communi oportet : secus enim, scientia non esset una. Unde :

THESIS. — *Criterium supremum veritatis seu ultimum motivum certitudinis est evidentia objecti. Nullum aliorum, quamvis sint plus minusve utilia et necessaria, huic anteponendum est : neque sensus, — neque conscientia, — neque fides veracitatis potentiarum, — neque instinctus cæcus naturalis, — neque affectio quæ dicitur « sentiment », — neque revelatio divina, — neque consensus communis generis humani, — neque idea clara et distincta, nisi pro evidentiâ objecti habeatur, — neque rationes æternæ rerum in intellectu divino spectatæ, — neque prima principia demonstrationum, etc.*

249. **Evidentia objecti.** — Ut vox ipsa innuit, evidentia est clara visio : est nempe « fulgor veritatis mentis assensum rapiens ». Propter analogiam intelligibilium cum sensibilibus, loquimur de cognitione spirituali sicut de cognitione sensibili. Cognitio autem sensibilis quæ manifestat maxime cognitionem spiritualem est visio ; nam, ut ait S. Th. « inter ipsos sensus, visus est magis cognoscitivus, quia est minus materialis » (1). « Nomen lucis, ut observat idem S. Doctor, primò quidem est institutum ad significandum id quod facit manifestationem in sensu visûs ; postmodum autem extensum est ad significandum omne illud quod facit manifestationem secundùm quamcumque cognitionem » (2).

250. **Evidentia et certitudo : objectiva vel subjectiva.** — Igitur evidentia est veri manifestatio, seu, ut alii dicunt, « necessaria veritatis intelligibilitas », vel etiam « ipsa entitas objecti, quatenus se contuendam porrigit ». Unde jam liquet evidentiam esse objectivam naturâ suâ, fieri autem subjectivam participatione. Quod testatur ipse sermo vulgaris ; non dicunt enim : « Ego sum evidens », sed : « Objectum est evidens ». Transit evidentia in subjectum, sicut lumen in oculos. At non ita de certitudine. Dicimus enim pariter : « Hoc est certum », et : « Ego sum certus. »

Igitur evidentia et certitudo sunt objectivæ vel subjectivæ ; sed non pari ratione. Evidentia est primò objectiva

(1) 1[a], q. 78, a. 2 ; et q. 84, a. 2.
(2) 1[a], q. 67, a. 1.

et causa certitudinis. Hæc autem non est objectiva nisi ex objecto seu evidentiâ oriatur. Unde certitudo potest esse falsa, saltem si est mere subjectiva, mere adhæsio mentis sine formidine errandi. Evidentia autem falsa esse non potest: « Omnis enim qui fallitur id in quo fallitur non intelligit », id est, non videt.

251. **Definitio cartesiana. Critica.** — Ex dictis videmus reprobandam esse, saltem sub quodam respectu, definitionem evidentiæ a Cartesio traditam : « L'évidence, inquit, est la perception claire et distincte de la convenance ou de la répugnance des idées entre elles. » — At verò ideæ sunt intra subjectum; evidentia autem est non solùm idearum, sed etiam rerum quæ ideis exprimuntur; imò est evidentia rerum priusquam sit evidentia idearum, cùm idea sit essentialiter objectiva atque manifestet id quod exprimit ante quàm manifestet seipsam. Periculosa est definitio cartesiana; nam, si evidentia est solùm idearum, jam non erit certitudo absoluta et infallibilis nisi de veritate logicâ : verum ergo erit id quod unicuique tale videbitur (vide etiam infra, nº 268).

252. **Evidentia intrinseca, extrinseca ; mediata, immediata.** — Distinguitur quoque evidentia in *intrinsecam* et *extrinsecam*, *mediatam* et *immediatam*. Evidentia intrinseca seu proprie dicta est evidentia ipsius objecti ; extrinseca, est evidentia auctoritatis seu motivorum credibilitatis. Evidentia mediata adest propter medium terminum, id est, propter demonstrationem ; immediata adest sine ratiocinio : ejusmodi est evidentia primorum principiorum.

253. **Criterium supremum est objectivum.** — Nunc thesim aggredientes, dicimus primò criterium supremum esse aliquid objectivum. Nam, teste conscientiâ, veritatem agnoscimus et participamus, id est, ab objecto recipimus. Sæpe veritas fugit illos qui eam quærunt ; sæpe occurrit fugientibus mentemque cogit. Fortior est mente nostrâ, quam mensurat ; ipsa autem a nobis non mensuratur. Criterium ergo veritatis formale et supremum, scilicet quo veritas fit nostra, est independens a nobis sicut et ipsa veritas, ideoque est objectivum.

254. **Conditiones requisitæ ad criterium supremum.** — Dicimus secundò criterium supremum esse evidentiam. Nam sola evidentia præbet omnes conditiones requisitas ad criterium supremum. Criterium enim ejusmodi oportet esse universale, ceteris omnibus criteriis necessarium et ultimum fundamentum cujuscumque veritatis seu certitudinis. Atqui sola evidentia his omnibus notis insignitur : est universalis, cùm se extendat ad omnes veritates ; deinde est aliis criteriis necessaria, cùm nullum testimonium alicujus facultatis cognoscentis vel auctoritatis valeat nisi quatenus evidens ; denique est ultima ratio cujuscumque certitudinis.

255. **Objectiones.** — 1ª Plures tamen scholastici contradicunt (Sanseverino, etc.). Etenim, aiunt, si inveniretur criterium unicum et commune superadditum potentiis cognoscendi, jam istæ non essent capaces ex seipsis percipiendi veritatem. Hoc autem falsum est.

Resp. — Non ita distinguitur vis evidentiæ a viribus quæ sunt propriæ potentiis cognoscendi. Unaquæque potentia ab objecto suo movetur ; hanc autem vim objectivam vocamus communiter evidentiam.

2ª Adsunt veritates nobis certissimæ, non autem evidentes.

Resp. — Quæcumque cognitio perfecta in suo genere, est evidens aliquo modo, immediate, vel mediate, directe vel indirecte.

256. **Criterium sensuum.** — Contra sensistas declaramus sensus non esse criterium supremum veritatis. Sensismus antiquorum renovatus est a positivistis modernis, qui dicunt non esse scientiam essentiarum et causarum, sed solummodo phænomenorum eorumque legum. Utrosque confutamus ostendendo : 1° principium sensismi esse falsum ; 2° sensistas sibimet contradicere.

257. **Principium sensismi est falsum.** — Etenim totus sensismus supponit velut principium fundamentale intellectum non differre a sensibus aut ab ipsâ sensatione plus minusve subtili et perfectâ, ideoque scientiam resolvi in sensationes vel imagines. Sed hoc principium est absurdum.

Primùm, quia, teste conscientiâ, aliud est videre oculis vel

etiam imaginatione, et aliud est videre mente seu intelligere ; quemadmodum aliud est *sentire* et aliud *consentire*.

Deinde, quia omnino differunt objectum sensûs et objectum intellectûs, cùm illud sit concretum, sensibile, particulare et contingens, hoc autem abstractum, suprasensibile et necessarium.

Insuper non minùs opponuntur proprietates sensuum et proprietates intellectûs, cùm objectum non proportionatum possit lædere sensum, intellectum autem minime. Apposite S. Th. :

« Excellentia sensibilium corrumpit sensum, quod in intellectu non contingit. Nam intellectus intelligens maxima intelligibilium, magis potest postmodum intelligere minora. Si verò in intelligendo fatigetur, hoc est per accidens », scilicet « in quantum intellectus indiget operatione virium sensitivarum, per quas ei phantasmata præparentur (1).

258. **Sensistæ sibimet contradicunt**. — Etenim non tantùm utuntur criterio sensuum, sed etiam criterio intellectûs principiisque absolutis seu metaphysicis, qualia sunt principium contradictionis et principium causalitatis, sine quibus nihil inducere vel deducere possunt. Inviti ergo aut nescii metaphysicam ingrediuntur quam abnuerunt.

259. **Criterium conscientiæ**. — Alii (Fichte) non extra conscientiam quæsierunt criterium supremum. At in vanum. Nam quamvis conscientia sit criterium perutile et necessarium, versatur solummodo circa affectiones subjecti, sensationes vel intellectus et volitiones. Conscientia ergo non est criterium supremum, nisi natura cujus est conscientia sit principium omnium rerum et omnium intelligibilium, id est, nisi sit divina. Unde qui statuerunt in conscientiâ criterium supremum, facillime in pantheismum lapsi sunt.

260. **Fides veracitatis potentiarum**. — Nec fides cæca veracitatis potentiarum cognoscendi potest esse criterium supremum veritatis, ut putavit Jouffroy, qui scepticismo nimis indulgebat. Fides enim est assensus rei non visæ; imò, si fides est cæca, est assensus sine auctoritate sufficienti. Sed

(1) 1a q. 75, a. 3.

quod importat carentiam cognitionis, imò et certitudinis, id non potest assignari tanquam criterium supremum, id est, principium totius cognitionis, totius scientiæ et intelligibilitatis.

261. **Instinctus cæcus**. — Neque instinctus cæcus, ut patet jam ex dictis de fide cæcâ, habendus est tanquam criterium supremum veritatis, cùm principium totius cognitionis nostræ nequeat esse obscurum. Erravit igitur Reidius, dux *Scholæ scoticæ*, seu *philosophiæ sensûs communis*, docens totam philosophiam fundari in quibusdam judiciis, sive rationalibus, sive empiricis, quibus assentiret quivis homo propter instinctum invincibilem.

A fortiori erravit Kantius, qui concessit scepticismo esse quædam principia *synthetica a priori*, id est, menti humanæ necessaria, non tamen evidentia et objectiva.

262. **Animi affectus**. — Neque animi affectus qui dicitur « sentiment », habendus est tanquam criterium supremum veritatis, cùm animi affectus sit valde mutabilis atque maxime dependeat a subjecti dispositione. Sane affectus animi sæpissime ratio temperare debet; unde nequeunt esse ipsius rationis criterium et norma. Ergo erravit Jacobi, dux *Scholæ Sentimentalismi*.

263. **Divina revelatio**. — Neque divina revelatio habenda est tanquam criterium supremum veritatis, cùm auctoritati revelantis non credatur nisi quia rationi videtur verax et infallibilis. Unde « rationis usus fidem præcedit ». Insuper revelatio non potest ex seipsâ generare scientiam. Erraverunt ergo Huetius atque omnes fideistæ et traditionalistæ.

264. **Objectio**. — Sine revelatione, genus humanum plerisque veritatibus philosophicis et moralibus fuisset destitutum.

Resp. — Sed non ideo his veritatibus philosophicis hodie adhæremus propter revelationem. Multa enim fuerunt credita quæ postea evaserunt scita. Ceterùm, fides nunquam prudenter adhibetur nisi propter aliquam evidentiam auctoritatis.

265. **Consensus generis humani.** — Neque consensus generis humani habendus est tanquam criterium supremum, cùm quædam alia criteria supponat, neque sit universale et infallibile. Erravit igitur Lamennais, illud ceteris anteponendo.

266. **Ratio seu sensus communis.** — Pariter sensus communis non est criterium supremum, quamvis sit infallibis quando versatur circa veritates propinquiores omnibus hominibus. Insuper ratio vulgaris, sive sensus communis, subsequitur rationem particularem, ad quam proinde pertinet primò judicium.

267. **P. Venturæ opinio.** — Rejicienda est ergo aut saltem mitiganda opinio P. Venturæ, qui videtur negasse rationem particularem esse capacem inveniendi veritatem mediatam nisi adjuvaretur ratione communi vel auctoritate sapientium. Verumtamem auctoritas humana, sive vulgi, sive sapientium, est utilissima, imò quandoque necessaria.

268. **Idea clara et distincta, a Cartesio proposita.** — Neque idea clara et distincta habenda est tanquam criterium supremum nisi supponatur pro evidentiâ objectivâ. Duplici enim modo accipi potest idea clara et distincta, objective vel subjective : objective, quatenus est effectus objecti evidentis, scilicet menti præsentis et necessarie trahentis assensum ; subjective, quatenus mera evidentia logica.

269. **Ratio æterna rerum.** — Neque rationes æternæ rerum in divinâ mente perspectæ possunt esse criterium supremum veritatis. Erravit enim Malebranchius asserendo nobis intelligi in Deo omnia quæ intelligimus. Insuper, etiamsi homo intelligeret his rationibus divinis omnes veritates quas intelligit, hoc esset propter earum evidentiam.

270. **Prima principia.** — Neque prima principia demonstrationum possunt esse criterium supremum veritatis, cùm istud criterium oporteat esse unicum, universale et primum in ordine cognitionis. Sed principia demonstrationum sunt plura nec reduci possunt ad unum. Deinde nullum eorum ad omnes veritates se extendit. Denique fundantur in cognitione

prævià, saltem in cognitione entis et non entis seu nihili. Verumtamem prima principia demonstrationum sunt criteria secundaria maximi quidem momenti, cùm omnes conclusiones scientificæ resolvantur in sua principia, id est, dignoscantur tanquam veræ in suis principiis. Ipsa verò principia tenemus evidentiâ.

271. **Opinio Vici.** — Pauca adjicienda sunt de opininibus Vici et Rosminii. Vico excogitavit contra scepticos quoddam criterium supremum : quod reposuit in *veritate factâ*. Hoc pacto, ideo veritas esset necessarie admittenda, quia homo sibi eam construeret sive faceret. — Sed rejicienda est hæc opinio aut saltem recte intelligenda est. Sane veritatem adipiscimur per quamdam assimilationem seu conformitatem mentis cum objecto, nec plene veritatem possidemus nisi singulæ veritates a mente nostrâ ordinentur et quasi construantur. Sed veritates non ex hoc cognoscuntur quòd a nobis ordinantur : ordinatio igitur supponit præviam cognitionem et prævium criterium.

272. **Opinio Rosminii.** — Rosminius criterium supremum quæsivit in ipsâ ideâ *entis*, quæ nobis esset innata lumenque omnium cognitionum nostrarum. — Sed nulla idea est nobis innata. Ceterùm, hæc idea entis illuminans mentem haberi potest, saltem aliquo modo, ut ipsa evidentia.

273. **Objectiones.** — 1° Evidentia objecti non differt a veritate objecti ; sed veritas objecti nequit dici criterium veritatis.

Resp. — Veritas objecti dici potest criterium veritatis, quatenus veritatem ab objecto accipimus. Veritas enim rerum mensura est veritatis mentis humanæ.

2° Evidentia potest esse falsa. Unde requiritur aliud criterium quo evidentia falsa a verâ dignoscatur.

Resp. — Evidentia objecti nequit esse falsa ; nec requiritur novum criterium ad illam dignoscendam, quia, sicut sol, dignoscitur per seipsam.

CAPUT XIV

DE CRITERIIS EXTRINSECIS, SIVE DE AUCTORITATE

274. **Auctoritas ; ejus species. Traditio.** — Auctoritas (a voce *auctor*), formaliter sumpta, est jus imponendi aliquid faciendum vel credendum. Hìc autem agitur de auctoritate quatenus est jus imponendi aliquid credendum, seu jus ad gignendam fidem ; quod jus ex duobus exurgit, scilicet ex *scientiâ* et *veracitate* loquentis.

Ratione principii, auctoritas est *divina* vel *humana*. Ratione objecti, est *doctrinalis* vel *historica*. Illa, quæ versatur circa doctrinam, est doctorum et sapientium seu magistrorum : unde vocatur proprie *magisterium ;* hæc autem, quæ versatur circa facta, est historicorum et aliorum testium. Testes alii sunt coævi et alii recentes ; alii oculati et alii auriti, etc. Narratio facti continua per seriem testium non interruptam dicitur *traditio.*

275. **Historia : monumenta, documenta**, etc. — Narratio quæ scriptis continetur vocatur *historia.* Hæc autem fundatur speciatim in monumentis et documentis, id est, in signis sive extructis sive scriptis. Quanti momenti sit historia, præsertim ecclesiastica, nemo non videt, cùm fides Ecclesiæ a fide divinâ non separetur. Nunc de his criteriis extrinsecis eorumque usu sequentia statuuntur :

Thesis. — *Inter criteria extrinseca veritatis numeranda sunt : 1° revelatio seu auctoritas divina, absolute necessaria quoad veritates quæ rationis captum superant, perutilis autem quoad plures alias ; 2° auctoritas humana, sive historica, sive doctrinalis, et speciatim ratio communis seu sensus communis. — Et quamvis auctoritas, quæcumque sit, nunquam scientiam per seipsam conferat, tamen eam assidue consulere oportet.*

276. **Auctoritas divina, criterium veritatis.** — Auctoritas divina, cùm exurgat ex scientiâ infinitâ et ex veracitate absolutâ Dei, est firmissimum criterium veritatis.

Unde certitudo ex divinâ revelatione, etiam abstrahendo ab ordine supernaturali, dici potest metaphysica, dum certitudo ex auctoritate humanâ, non est per se nisi moralis.

Dixi *per se*; nam *per accidens* certitudo moralis quandoque fundatur in legibus metaphysicis. Ejusmodi sunt multæ certitudines historicæ : ex. gr. de existentiâ Alexandri, Cæsaris, etc. Nam, nisi vere extiterint Alexander, Cæsar, aliique, non videtur esse ratio sufficiens consensionis omnium historicorum, neque mutationum rerum humanarum per plura secula.

277. **Revelationis necessitas quoad veritates supernaturales**. — Homo, cùm exire nequeat limites suæ naturæ, cognoscere non poterit unquam veritates quæ rationis captum superant nisi Deus eas revelet. Sane illæ veritates supernaturales (quales sunt articuli fidei de SS. Trinitate et Incarnatione) cum ceteris veritatibus conveniunt, sed non ideo demonstrantur quia explicantur. Imò, si proprie demonstrarentur ex principiis rationis, jam non essent supernaturales.

278. **Existentia ordinis supernaturalis**. — At existitne ordo supernaturalis? Indubium est etiam philosophice, quamvis ratio supernaturale non demonstret nisi indirecte et negative. Demonstratio autem petitur ex eo quòd intellectus humanus sit finitus; unde sunt veritates quæ rationis captum superant.

279. **Revelationis utilitas**. — Absolute necessaria quoad veritates supernaturales, revelatio est perutilis, imo moraliter necessaria quoad veritates ordinis naturalis. Apposite S. Th. :

Necessarium est homini, inquit, accipere per modum fidei non solùm ea quæ sunt supra rationem, sed etiam ea quæ per rationem cognosci possunt; et hoc propter tria. Primò quidem ut *citiùs* homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat. Scientia enim ad quam pertinet probare Deum esse, et alia hujusmodi de Deo, ultimò hominibus addiscenda proponitur, præsuppositis multis aliis scientiis; et sic non nisi post multum tempus vitæ suæ homo ad Dei cognitionem perveniret. Secundò, ut cognitio Dei sit *communior*. Multi enim in studio

scientiæ proficere non possunt vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes et necessitates temporales vitæ, vel etiam propter torporem addiscendi; qui omnino Dei cognitione fraudarentur, nisi proponerentur eis divina per modum fidei. Tertiò propter *certitudinem*. Ratio enim humana in rebus divinis est multùm deficiens. Cujus signum est, quia philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes in multis erraverunt, et sibi ipsis contraria senserunt. Ut ergo esset indubitata et certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quòd divina eis per modum fidei traderentur, quasi a Deo dicta, qui mentiri non potest (1).

(Et alibi) : Salubriter divina providit clementia ut ea etiam quæ ratio investigare potest, fide tenenda præciperet; ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes esse et absque dubitatione et errore. Hinc est quod dicitur : *Jam non ambuletis sicut et gentes ambulant, in vanitate sensûs sui, tenebris obscuratum habentes intellectum* (*Ephes.*, IV, 17-18); et : *Ponam universos filios tuos doctos a Domino* (Is., LIV, 13) (2).

280. **Revelatio respectu scientiæ humanæ**. — Hìc quæri potest : Utrùm revelatio sit utilissima in scientiis humanis, seu, aliis verbis : Suntne in sacris libris veritates quæ vulgò dicuntur *scientificæ*? — Respondeo : Quamvis sacræ Scripturæ doctrina non paucas forsitan veritates scientificas involvat, tamen non expedit ibi eas quærere, saltem generatim, cùm intentio Auctoris sacri non fuit docere scientias humanas sed divinas, quæ conferunt ad salutem.

281. **Auctoritas humana, criterium veritatis**. — Auctoritas humana est criterium veritatis *legitimum* et *necessarium* : legitimum, cùm sæpissime scientia et veracitas testis humani sint indubiæ; necessarium, quia multæ sunt veritates tam singulis hominibus quàm ipsi societati necessariæ, quæ non nisi testimonio humano cognoscuntur. Igitur fides habetur jure tanquam vinculum societatis non solùm religiosæ, sed etiam civilis et domesticæ. Unde dicit Augustinus, de utilitate credendi : « Multa possunt afferri quibus ostendatur nihil omnino humanæ societatis incolume rema-

(1) 2ª 2æ, q. 2. a. 4.
(2) Cg. lib. I, c. 4. Confer etiam de convenientiâ revelationis et religionis supernaturalis nº 1254.

nere, si nihil credere statuerimus quod non possumus tenere perceptum. »

282. **Scepticismus historicus.** — Ex his liquet legitimam et necessariam esse fidem historicam, cui opponitur scepticismus historicus. Hic autem non est minùs periculosus quam scepticismus doctrinalis, in quem naturaliter inducit.

283. **Semi-scepticismus ; ejus critica.** — Scepticismo historico affinis est semi-scepticismus seu dubitatio nimia aut particularis in re historicâ, quem diversis modis plures professi sunt :

a) Alii (Locke, Genovesi, etc.) autumant ex testimonio humano majorem minoremve probabilitatem gigni, nunquam verò certitudinem — At non satis distinguunt certitudinem moralem a merâ probabilitate.

b) Alii (abbé de Prades, cardinal de la Luzerne) putant certitudinem non gigni ex testimonio unius sed solùm ex testimonio plurium testium circa facta illustria — At videntur confundere certitudinem historicam cum certitudine juridicâ.

c) Alii (Rousseau, Strauss, rationalistæ generatim) totis viribus impugnant valorem testimoniorum circa miracula — At hic scepticismus particularis est illegitimus sicut et ipsa negatio possibilitatis miraculi.

d) Alii tandem (Strauss, Renan) dicunt historiam antiquam esse fabulosam seu mythicam — At non satis distinguunt mythos poetarum a narratione historicorum et traditionibus populorum.

284. **Criticæ historicæ necessitas.** — Remanet igitur certitudo historica, quæ tamen sæpissime, pro variis suis objectis, a criticâ prudentissimâ dependet. Hæc autem critica historica non est aliud nisi logica specialis quæ versatur circa monumenta, documenta aliaque testimonia recte intelligenda atque dijudicanda (vide de methodo historicâ cp. XIX).

285. **Sapientium auctoritas.** — Auctoritas doctrinalis humana seu auctoritas sapientium, præsertim si singillatim spectantur, non est criterium firmissimum veritatis ; quia omnis homo est fallibilis. Unde scribit S. Th. : « Locus ab

auctoritate quæ fundatur super ratione humanâ est infirmissimus. »

Sed hìc quæri potest : Cur ergo ipse S. Th. tanti faciat auctoritatem Aristotelis et cur ipsi nos tanti faciamus auctoritatem S. Thomæ ? — Resp. : Adhæremus generatim sententiis S. Thomæ, sicut et ipse adhærebat doctrinæ aristotelicæ, non præcise propter auctoritatem, sed propter rationes quæ proponuntur. In disciplinis philosophicis, auctoritas humana non est per se criterium veritatis, sed tantùm veritatis confirmatio.

286. **Ratio universorum.** — Supra auctoritatem doctrinalem unius vel alterius sapientis est auctoritas omnium hominum seu ratio communis ; quæ est criterium firmissimum veritatis dummodo versetur circa objectum proprium, scilicet circa veritates unicuique satis obvias et necessarias : ex. gr. : existentia divinitatis, prima principia morum, immortalitas animæ. Hæc enim consensio hominum oritur vel ab ipsâ naturâ vel ab ipsâ evidentiâ objecti.

287. **Auctoritas et scientia.** — Hìc bene animadvertamus relationes auctoritatis humanæ et scientiæ (recole jam dicta de relatione fidei cum ratione seu philosophiâ, nº 17). Sane aliud est *credere*, et aliud *scire :* credimus propter auctoritatem et scimus propter evidentiam objecti. Fides tamen humana sæpe scientiam præparat vel supplet. Et quamvis auctoritas sapientium non semper fidem mereatur, tamen sapientes consulere expedit atque ad eorum sententias attendere.

288. **Cartesii, etc. critica.** — Hinc damnanda est methodus Cartesii, qui philosophari voluit quasi nullus sapiens ante ipsum extitisset. Erraverunt etiam Victor Cousin ejusque asseclæ rationalistæ, qui non satis ad auctoritatem Ecclesiæ attenderunt.

289. **Philosophia perennis et christiana.** — Philosophia ergo, quamvis fundetur non nisi in principiis rationis et evidentiâ objecti, a sententiis probatissimis antiquorum, præsertim scholasticorum non discordat, neque a fortiori a doctrinâ Ecclesiæ.

CAPUT XV

DE UNIVERSALIBUS

Nunc ad complenda ea quæ dicta sunt in Dialecticâ de *ideis*, *judiciis* et *ratiociniis*, tractabimus de *universalibus*, de *primis principiis* et de *scientiis*.

290. **Tractatus de universalibus pertinet ad logicam.** — De universalibus alii auctores tractant in metaphysicâ et alii forsan meliùs in logicâ. Sane universalia sunt realia propter suum fundamentum, ut infra dicetur, sed formaliter sumpta sunt entia rationis seu logica. Unde S. Th. in opusc. *de Universalibus* scribit : « Aliæ scientiæ (præter logicam) non considerant universale sub primâ ratione universalis, cùm non considerent illud quod facit formaliter universale. »

291. **Universale definitur et dividitur.** — Universale est : unum aptum inesse pluribus, seu : unum pluribus commune. Distinguitur præsertim in *logicum* seu formale, reflexum, actuale, et in *metaphysicum*, seu materiale, directum, potentiale. Illud est universale quatenus tale et dicitur *secunda intentio mentis* : ejusmodi sunt genera et species, quæ dicuntur entia rationis. Hoc autem est universale quatenus reale, seu quidditas apprehensa in individuis; dicitur *prima intentio mentis*.

292. **Quæstio proposita.** — Nunc autem quæritur : Utrum et quomodo existat universale ? Quomodo existere potest, cùm nihil sit præter individua ? Existitne *ante res*, ut volebant platonici, an verò *post res*, solummodo propter operationem mentis, ut volebant stoici, an tandem *in rebus*, unde abstraheretur ab intellectu agente, ut existimavit Aristoteles ?

293. **Præcipua systemata.** — Quæstioni propositæ respondent diversis modis scholæ philosophorum. Apud Græcos, sensistæ negaverunt existentiam universalium ; platonici verò affirmaverunt. Sed neque neganda neque affirmanda est sim-

pliciter hæc existentia. Tempore medii ævi, contendere videmus nominalismum cum realismo, inter quos cedit conceptualismus. At nullum eorum systematum verum est nisi recte intelligatur.

294. **Nominalismus, realismus, conceptualismus.** — Secundùm nominalismum, universalia sunt *nomina;* secundùm realismum, universalia sunt *res*. Porrò utraque affirmatio est æquivoca, id est, vera vel falsa prout accipitur ; scilicet vera est sententia realium prout excludit nominalismum purum, et vera est sententia nominalium prout excludit realismum exaggeratum. Hinc intelligimus cur S. Thomas, Suarez aliique optimi philosophi videantur favere nominalismo. Audiatur Suarezius :

Meritò reprehendendi sunt (nominales) quoad aliquos loquendi modos, nam in re fortasse non dissident a verâ sententiâ : nam eorum rationes huc solùm tendunt ut probent universalitatem non esse in rebus, sed convenire illis prout sunt objective in intellectu, seu per denominationem ab aliquo opere intellectûs : quod verum est (1).

Idem dicendum de conceptualismo, qui verus vel falsus est prout accipitur. Thesi sequenti hæc omnia explicabuntur :

Thesis : *Admitti non potest nominalismus purus, scilicet sensistarum, nominalium et positivistarum — neque conceptualismus absolutus Abelardi et Kantii — neque etiam realismus exaggeratus platonicorum, ontologistarum, Gullielmi Campellensis, pantheistarum — Sed dicendum est universale reflexum seu logicum non existere nisi in mente, universale vero directum seu metaphysicum existere in rebus — id est, universale esse objectivum quoad id quod exprimit, non autem quoad modum quo exprimit — Eamdem adhuc sententiam profitentur scholastici dicendo universale esse potentialiter seu materialiter in rebus, formaliter autem et actu in mente.*

295. **Nominalismi puri confutatio.** — Hunc nominalismum professi sunt sensistæ, omni tempore, dicentes a nobis

(1) *Disp. Metaph.*, VI, lib. II § 1.

percipi solummodo particulare, individuale, contingens, universale autem esse nihil reale, sed merum nomen aut conceptum singularem quo plura menti nostræ exhiberentur. At falsò; nam, negando universale, pervertunt naturam sermonis et ipsius scientiæ.

296. **Negare universale est pervertere naturam sermonis.** — 1° Sensistæ pervertunt naturam sermonis. Nam eædem sunt proprietates vocum atque idearum quæ per voces significantur, ut sæpe ostensum est in dialecticâ, ubi agebatur de ideis et terminis. Atqui voces sunt vere universales seu communes : exhibent enim aliquid commune pluribus individuis; imò totus sermo, si excipiantur nomina propria, constituitur nominibus seu vocibus universalibus. Ergo ipsæ ideæ seu conceptus sunt vere universales, ideoque universale existit saltem in mente.

297. **Negare universale est scientiam destruere.** — 2° Sensistæ scientiam destruunt. Nam scientia est de universalibus, scilicet generibus, speciebus, principiis et legibus ; et non nisi his mediantibus versatur circa particularia et contingentia. Etenim ad scientiam acquirendam non sufficit percipere singularia et sensibilia, præsertim cùm ista sint infinita, et infinita non possint sciri ; sed requiritur cognitio principiorum et legum ideoque universalium.

Insuper 3° negatio universalium inducit in gravissimos errores, speciatim in materialismum. Nam differentia essentialis intellectùs et sensûs petitur ex eo quòd sensus est particularium, ratio vero seu intellectus universalium. Si utriusque facultatis est idem objectum, jam erit revera una et eadem facultas.

Tandem 4°, negando universale, nominales sibimet contradicunt. Nam negatio non est possibilis nisi habeatur saltem in mente id quod negatur. Ergo nominales, etiam negando universale, illud concipiunt — Nunc conceptualismum aggrediamur.

298. **Abelardi conceptualismus.** — Abelardus, Roscelini nominalis et deinde Gulielmi realistæ discipulus, hunc acerrime impugnavit et quemdam conceptualismum professus

est, sed forsan exaggeratum et falsum. Negavit enim universale esse in rebus ; imò videtur non distinxisse ideam universalem ab ideâ collectivâ, quæ revera est idea particularis.

299. **Kantii conceptualismus**. — Kantius agnovit quidem ideas universales, sed non ideo admisit earum objectivatem seu realitatem, dicens eas esse formas *a priori* mentis nostræ.

300. **Confutatio**. — Confutatur conceptualismus his rationibus :

1° Ex naturâ ipsorum conceptuum seu idearum. Multi enim conceptus exhibent universalitatem : hujusmodi sunt ex. gr. conceptus substantiæ, qualitatis et cujuscumque attributi in genere. Atqui conceptus exhibere non possunt aliquid quod non sit aliquo modo in rebus. Nam conceptus sunt signa formalia rerum ; unde nihil est in ipsis quod non sit aliquo modo in rebus, quemadmodum nihil est in effigie, statuâ vel picturâ, quatenus signum est, quod non sit aliquo modo in re significatâ formaliter. Ergo universalitas est aliquo modo in rebus et non solùm in mente.

2° Ex eo quòd conceptualismus destruit scientiam. Nam, si universalia nullo modo sunt in rebus, cùm scientia sit de universalibus primò et directe, jam non erit amplius scientia de rebus, seu scientia realis, sed remanebit solummodo scientia logica seu idearum.

3° Ex eo quòd conceptualismus inducit in absurdum. Nam si universalia depromerentur a subjecto, non autem ab objecto, jam impossibile esset aut arbitrarium genera, species et differentias rebus et individuis assignare; sed, cùm nihil esset commune rebus et individuis, possemus ea colligere indiscriminatim, bruta ex. gr. cum hominibus vel plantis.

4° Ex eo quòd conceptualismus sibimet non consentit. Concedit enim conceptus exhibere plura individua propter similitudinem eorum. Atqui illa similitudo est jam aliquid universale, præsertim cùm sit perfectissima, qualis ex. gr. inter hominem et hominem quoad humanitem, animal et animal quoad animalitatem. Non posset enim apprehendi similitudo illa, nisi revera esset aliquid commune in individuis.

5° Tandem ex eo quòd conceptualismus contradicit sensui

communi et modo loquendi qui ab omnibus usurpatur tanquam verus. Nam prædicamus universale de singulis individuis non metaphorice, nec analogice, sed simpliciter seu univoce : ex. gr. affirmamus eodem modo, secundùm eamdem rationem, de singulis hominibus humanitatem, de singulis animalibus animalitatem.

301. **Realismus exaggeratus**. — Conceptualismo opponitur realismus, qui nimis affirmat realitatem universalium et variis modis fuit propositus a Platone, ontologistis, Gulielmo Campellensi etc. Secundùm Platonem, teste Aristotele, universalia existerent *ante res* quasi exemplaria seu typi rerum. Quam opinionem sic memorat S. Th. :

Quidam posuerunt universalia esse et subsistere præter singularia et præter intellectum ; et isti fuerunt platonici, quorum caput fuit Plato. Hic, siquidem videns magnam et continuam transmutationem et corruptionem fieri in rebus ipsis, inductus fuit ponere universalia stare per se, et incorruptibilia esse, quæ vocabat ideas, quas quidem dixerunt esse causas exemplares et effectivas istorum singularium (1).

(Et alibi) : Plato, ut posset salvare certam cognitionem veritatis a nobis per intellectum haberi, posuit præter ista corporalia aliud genus entium a materiâ et motu separatum, quod nominabat species sive ideas ; per quarum participationem unumquodque istorum singularium et sensibilium dicitur vel homo, vel equus, vel aliquid hujusmodi. Sic ergo dicebat scientias et definitiones, et quidquid ad actum intellectùs pertinet, non referri ad ista corpora sensibilia, sed ad illa immaterialia et separata, ut sic anima non intelligat ista corporalia, sed intelligat horum corporalium species separatas (2).

Sed realismus, saltem sic propositus, confutatur rationibus quæ sequuntur :

302. **Platonis confutatio**. — 1° Opinio quam dicunt esse Platonis, destruit scientiam rerum sensibilium quæ nos circumstant et sunt manifestissimæ. Nam formæ seu ideæ platonicæ, utpote extra singularia existentes, maxime differunt a rebus sensibilibus. Porro, scientia esset de istis formis seu ideis solummodo ; unde homo versaretur quidem in hoc

(1) *De Universalibus*.
(2) 1ª. q. 84, a. 1. — Cf. etiam ibid. a 4.

mundo sensibili sed cognosceret alium, nempe intelligibilem. Hoc autem videtur derisibile. Ad rem S. Th. :

Hoc (positum Platonis) dupliciter apparet falsum : primò quidem, quia cùm illæ species sint immateriales et immobiles, excluderetur a scientiis cognitio motûs et materiæ, quod est proprium scientiæ naturalis, et demonstratio per causas moventes et materiales. Secundò, quia derisibile videtur ut, dum eorum quæ nobis manifesta sunt notitiam quærimus, alia entia in medium afferamus, quæ non possunt esse eorum substantiæ, cùm ab eis differant secundùm esse; et sic, illis substantiis separatis cognitis, non propter hoc de istis sensibilibus judicare possemus (1).

2° Eadem opinio varias contradictiones implicat, siquidem formæ seu ideæ platonicæ essent simul *subsistentes* et *universales* — essent simul *essentiæ rerum* et aliquid *extra res* — essent aliquando *accidentales* (sic idea caloris, quantitatis) et tamen subsistentes seu *substantiales*.

303. **Ontologistarum confutatio**. — Ontologistæ, doctrinæ platonicæ plus minusve adhærentes, dicunt universalia esse ideas in divinâ mente existentes; ibi eas mens nostra intueretur. At falsò; universalia seu objecta formalia scientiæ humanæ non sunt ideæ divinæ.

Etenim 1° homo naturaliter Deum videre non potest, cùm nulla sit proportio inter intellectum finitum et divinitatem; sed videret Deum, si ideas divinas intueretur, quia ideæ divinæ unum et idem sunt realiter cum ipso Deo : sunt ipsa essentia divina quatenus exemplar rerum et participabilis ad extra.

2° Hujus intuitionis idearum divinarum seu Veritatis divinæ nemo est conscius.

3° Si universalia idem essent ac ideæ divinæ, jam ideæ divinæ prædicarentur, simul cum universalibus, de singulis individuis per viam identitatis. Hoc autem est absurdum et inducens in pantheismum. Ontologistæ denegant quidem hanc conclusionem, dicentes ideas divinas esse repræsentativas rerum non autem constitutivas. At rursùs : vel ideæ divinæ sunt universalia ista quæ prædicantur de singulis individuis,

(1) Ibid, a. 1.

vel tantùm repræsentant ista universalia. Si primò, valet argumentum nostrum ; si secundò, jam universalia existunt realiter extra ideas divinas, id est, extra exemplaria sua, ita ut ideæ divinæ sint quidem universalia in *repræsentando* seu exemplariter, quod non diffitemur, sed non sint universalia in essendo seu effective. Sed hìc agitur de universalibus in essendo et quæritur ubi sint et quid sint. Unde ontologistæ, asserendo universalia esse ideas divinas, aut loquuntur extra quætionem aut loquuntur periculose.

304. **Gulielmus Campellensis**. — Gulielmus Campellensis aliique reales medii ævi dicuntur docuisse universalia *actu esse* in rebus individuis, ante operationem mentis nostræ, id est, naturas in seipsis esse formaliter universales a parte rei; unde res ejusdem generis vel speciei eamdem naturam seu substantiam haberent non modò logicam sed etiam realem.

Sed confutantur rationibus hujusmodi quibus Abelardus aliique nominales realismum prosequebantur, scilicet : Repugnat in rebus singularibus seu individuis inveniri essentiam universalem quæ sit actualis, formalis. Jam enim res singulares seu individuæ essent incommunicabiles, utpote individuæ, et communicabiles, utpote habentes naturam universalem ; — unumquodque individuum esset sua species : ex. gr. Socrates esset species humana eique tribueretur jure quidquid prædicatur de specie humanâ in singulis hominibus, cùm unusquisque homo et natura humana essent unum et idem ; unde vitium et virtus, sapientia et stultitia et ceteræ qualitates maximè oppositæ prædicarentur de eodem subjecto reali.

Hoc etiam adde : jam propagatio generis humani seu potiùs speciei humanæ, non esset proprie propagatio individuorum, sed accidentium ; mors quorumdam hominum, etiam omnium, uno excepto, esset mera cessatio accidentium ; nam, si unus homo vere moreretur, jam species humana ampliùs non subsisteret.

305. **Pantheismus realismum consequitur**. — Jam aperte videmus pantheismum naturaliter oriri ex realismo. Nam si unusquisque homo esset ipsa species humana seu

humanitas, jam omnes homines essent una et eadem natura; item omnes substantiæ essent una et eadem substantia, omnia entia essent unum et idem ens, sub diversis modis aut accidentibus. Et revera nonnulli realium, tempore medii ævi (Joannes Scotus Erigena, David a Dinando, etc.), in pantheismum inciderunt.

306. **Panentheismus.** — Huic errori affinis est panentheismus, a Paulo Janet propositus, juxta quem omnia essent in Deo, ita ut infinitum esset de essentiâ finiti, seu inveniretur in naturâ finiti. Sed, quamvis Deus sit intime præsens omnibus entibus, non ideo est de eorum essentiâ (vide dicenda in theodiceâ contra Pantheismum; vide etiam n° 239).

307. **Hegel.** — Hegel aperte pantheismum professus est: docuit enim ideam seu universale esse ipsam essentiam rerum, non satis distinguens logicam a metaphysicâ et ideas a rebus ipsis. Sane idea substantiæ est una formaliter, sed non ideo licet affirmare unitatem realem omnium substantiarum. Hic error confutatur tum argumentis quæ contra realismum tum illis quæ contra pantheismum afferuntur. Unde meritò damnatus est a concilio Vaticano, his verbis: « Si quis dixerit Deum esse ens universum seu indefinitum quod, sese determinando, constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam, anathema sit. »

308. **Conclusio.** — Concludamus ergo: universale reflexum seu logicum non existere nisi in mente, universale verò directum seu metaphysicum existere in rebus.

1° Hoc liquet ex ipsâ confutatione vel criticâ nominalismi, conceptualismi et realismi: affirmat enim conclusio nostra quidquid verum in istis invenitur.

2° Veritas hujus conclusionis liquet etiam ex ipsâ explicatione verborum. Etenim universale reflexum est universale quatenus tale, id est, quatenus in mente invenitur atque eo mens utitur ad cognoscendas res ejusdem speciei. Jamvero universale hujusmodi non potest esse extra mentem, cùm sit idea et aliquid unum exhibens multa. At, è contrario, universale directum est id quod mens apprehendit tanquam commune rebus, antequam in ipsam ideam redeat. Sed id

quod ita apprehenditur sit aliquid objectivum ac proinde reale oportet, nisi fraudetur homo ab omni cognitione reali.

309. **Quomodo universale est objectivum**. — Ulteriùs inquirentes, eamdem objectivitatem determinamus his verbis: Universale est objectivum quoad id quod exprimit, non autem quoad modum quo exprimit. Etenim, universale, cùm sit idea, aliquid exprimit; et hoc est objectivum. At, ex aliâ parte, exprimit modo abstracto, siquidem est formaliter idea universalis et abstracta. Sed abstractio non est nisi in mente, abstractum formaliter sumptum non est nisi in mente; omnia autem foris sunt concreta et individua. Igitur universale non est objectivum quoad modum quo res exprimit, id est, quoad ipsam universalitatem. Hæc duo sic proponit card Gonzalez : « Dantur naturæ universales, quæ respondent vocibus et conceptibus universalibus nostri intellectùs — Universalitas extra mentem non existit, sed consequitur actum intellectùs. » (1)

Aliis verbis, res a nobis cognoscuntur realiter, sed secundùm modum nostræ naturæ, non autem secundùm suum modum : esse rerum quæ cognoscuntur est extra, et hoc est objectivum in cognitione nostrâ ; sed modus eas cognoscendi est intus, et hoc est subjectivum; res existunt concrete et cognoscuntur abstracte. Existit ergo in rebus id quod percipimus, sed non existit ibi ita unum et discriminatim ut cognoscitur. Apposite S. Th. :

Natura autem rei quæ intelligitur est quidem extra animam, sed non habet illum modum essendi extra animam secundùm quem intelligitur. Intelligitur enim natura communis, seclusis principiis individuantibus ; non autem hunc modum essendi habet extra animam (2).

(Et alibi) : Cùm dicitur universale abstractum, duo intelliguntur, scilicet ipsa natura rei et abstractio seu universalitas. Ipsa igitur natura, cui accidit intelligi vel abstrahi, vel intentio universalitatis, non est nisi in singularibus. Sed hoc ipsum quod est intelligi vel abstrahi, vel intentio universalitatis, est in intellectu. Et hoc possumus videre per simile in visu. Visus enim videt colorem pomi sine ejus odore. Si ergo quæ-

(1) *Philosophia elem.* Logica. De universalibus.
(2) 1a q. 76, a. 2, ad 4.

ratur ubi sit color, qui videtur sine odore, manifestum est quòd color qui videtur non est nisi in pomo. Sed quòd sit sine odore perceptus, hoc accidit ei ex parte visùs, in quantum in visu est similitudo coloris et non odoris. Similiter humanitas, quæ intelligitur, non est nisi in hoc vel illo homine; sed quòd humanitas apprehendatur sine individualibus conditionibus, quod est ipsam abstrahi, ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati, secundùm quòd percipitur ab intellectu in quo est similitudo speciei, et non individualium principiorum (1).

(Alibi adhuc) : Eorum quæ significantur nominibus invenitur triplex diversitas. Quædam enim sunt quæ secundùm esse totum completum sunt extra animam ; et hujusmodi sunt entia completa, sicut homo et lapis. Quædam autem sunt quæ nihil habent extra animam, sicut somnia et imaginatio chimæræ. Quædam autem sunt quæ habent fundamentum in re extra animam, sed complementum rationis eorum, quantùm ad id quod est formale, est per operationem animæ, ut patet in universali (2).

310. **Ejusdem doctrinæ alia formula.** — Eamdem doctrinam definiunt scholastici dicentes universale esse *potentialiter* seu *materialiter* in rebus, *formaliter* autem et *actu* in mente. Etenim id quod exprimitur ideâ universali est quasi materia ideæ, id sine quo idea impossibilis esset. Sed forma seu unitas quâ hæc materia fit menti præsens, actus quo fit intelligibilis est aliquid ideale. Non aliud dicunt scholastici quando asserunt universale effici ab intellectu agente, qui abstrahit : intellectus enim non creat universale, cùm præexistant res quæ intelliguntur, sed illud efficit in seipso seu concipit.

311. **Objectiones.** — 1° Quod ut tale neque existit neque existere potest, omni realitate caret. Atqui universale est ejusmodi. Ergo universale non est ullo modo reale.

Resp. — Ex hoc sequitur tantùm universale non esse formaliter et actu in rebus; unde dicitur *ens rationis*.

2° Universalia sunt necessaria et æterna; unde sunt ipse Deus aut ideæ divinæ.

Resp. — Universalia sunt necessaria et æterna quatenus

(1) 1ª q. 85, a. 2, ad 2. — Cf. etiam *de Ente et essentiâ* cp. IV.
(2) *In l. I Sent.* Dist. XIX. Quæst. V, art. 1.

essentiæ logicæ, utpote intelligibiles et possibiles ubique et semper; sed universalia quatenus essentiæ reales non sunt necessaria et æterna absolute (vide dicenda de essentiis in Ontologiâ).

3° Non est aliquid reale et objectivum præter individua; ergo cognitio universalium est subjectiva.

Resp. — Sane sola individua subsistunt; sed individua ejusdem speciei habent naturam communem, quæ per universalia exprimitur.

Frustra dicerent adversarii individua non esse realiter distincta a suâ naturâ, ideoque naturam percipi non posse sine individuis. Nam individua sunt logice distincta a suâ naturâ, et hæc distinctio sufficit.

4° Ad inveniendum id quod est commune pluribus individuis, id est, ad efformandum universale, prærequiritur in mente aliquis typus cui individua comparentur; unde præexistit universale.

Resp. — Ad efformandum universale non est necesse comparare individua inter se neque a fortiori ea comparare cum aliquo typo seu exemplari. Efformatur universale per abstractionem, ut in psychologiâ explicabitur.

CAPUT XVI

DE JUDICIIS SUPREMIS SEU DE PRINCIPIIS PRIMIS COGNITIONIS

312. **Quæstiones solvendæ.** — Absolutâ quæstione de ideis universalibus, agendum est de judiciis supremis, quæ primas ideas consequuntur et sunt principia demonstrationum et scientiarum. Plura solvemus de horum principiorum naturâ, certitudine et reductione ad aliquod principium inter omnes primum.

Thesis. — *Non datur aliquod principium ita primum ut ex illo cetera omnia proprie demonstrentur, — sed revera datur aliquod principium primum quod in ceteris omnibus latet implicitum, hoc est :* Impossibile est aliquid esse et non esse simul et sub eodem respectu — *Inconcussum remanet*

hoc principium ; — item principium causalitatis, — principium rationis sufficientis — et principia inducta, id est, quæ in experientiâ fundantur.

313. **Primum principium**. — Non datur primum principium ex quo cetera omnia proprie demonstrantur.

1° Probatur ex eo quòd omnia judicia ideoque omnia principia sunt analytica vel synthetica, id est, rationis puræ vel experimentalia. Sed neque ex solis judiciis analyticis seu rationis puræ aliquid experimentale concludi potest, neque ex solis judiciis experimentalibus aliquid absolutum. Revera omnes veritates experimentales (ego sum, sol lucet et alia ejusmodi) sunt impares ad demonstrandum aliquid absolutum ; et omnes veritates absolutæ (metaphysicæ vel mathesis) sunt impares ad demonstrandam existentiam mundi.

2° Probatur ex naturâ demonstrationis. Etenim omnis demonstratio sub formâ syllogismi proponi potest. Sed in omni syllogismo sunt duæ præmissæ, quarum neutra ex aliâ demonstratur.

3° Insuper sunt plures veritates clariores omni ratiocinio, omni demonstratione ; ejusmodi sunt : propria existentia, principium contradictionis, possibilitas perveniendi ad veritatem, principium evidentiæ : *Quidquid evidens est verum est*, etc.

4° Ceterùm, quamvis multa axiomata per principium contradictionis explicentur, tamen clarissima sunt et evidentissima ex seipsis. Ex. gr. : *Totum est majus suâ parte ; — Non incipit aliquid sine causâ*, etc.

314. **Conclusio contra transcendentalismum**. — Igitur scientia transcendentalis, a quibusdam philosophis germanis proposita, non est possibilis. Hæc scientia enim tota fundaretur in uno principio absoluto rationis puræ vel in solâ conscientiâ. Sed Deus solus omnia cognoscit in unico principio, scilicet in suâ essentiâ, quæ est simul primum verum et prima realitas.

315. **Quomodo principium contradictionis est primum**. — Verumtamen principium contradictionis dici potest

primum ; Nam 1° est indemonstrabile ; ita est evidens ut ipsi sceptici negare illud non possent quin hoc ipso affirment ; ceteris principiis est necessarium et eo utimur ad illa explicanda.

2° Liquet etiam principium contradictionis esse primum inter omnia quoniam ex primis ideis statim exurgit, scilicet ex ideis *entis* et *non entis*. Apposite S. Th. :

Illud quod primò cadit sub apprehensione est ens, cujus intellectus includitur in omnibus quæcumque quis apprehendit. Ed ideo primum principium indemonstrabile est, quod non est simul affirmare et negare, quod fundatur supra rationem entis et non entis; et super hoc principio omnia alia fundantur, ut dicit Philosophus (1).

316. **Principium de medio excluso**. — Principio contradictionis affin est principium *de medio excluso*, scilicet : *Res quæcumque est aut non est*, vel aliis verbis : *Inter contradictoria non datur medium*.

317. **Principium contradictionis sub formâ logicâ**. — Principium contradictionis proposuimus in thesi sub formâ ontologicâ, quæ est absolute prima ; sed illud proponere licet sub formâ logicâ, hoc modo : *Non est affirmare et negare simul eamdem rem de eâdem re sub eodem respectu* (vide S. Th. loco supra citato).

318. **Forma positiva principii contradictionis. De principio identitatis**. — Exponi etiam potest primum principium sub formâ positivâ, hoc modo : *Omne ens est sua natura*, vel : *Omne ens est habens essentiam* ; forsan melius adhuc : *Ens est ens*, vel : *Qnod est est*, vel : A = A. Quæ sunt variæ formulæ principii identitatis.

Attamen istæ formulæ positivæ primi principii non sunt anteponendæ formulæ negativæ quam tradidimus. Nam primò, si dicimus *Ens est ens*, vel A = A, etc., cùm termini sint identici etiam logice, ex hac propositione nihil sequitur. Si dicimus : *Ens est sua natura*, vel : *Omne ens habet essentiam*, termini quidem non sunt identici, sed non sunt ita

(1) 1ª 2æ, q. 94. a. 2.

primi ut ens et non ens, ex quibus exurgit principium contradictionis.

Ceterùm, principium contradictionis continet implicite principium identitatis, nec diffitemur demonstrationes positivas seu affirmativas in illo non fundari nisi quatenus affirmationem implicat.

319. **Kantii opinio.** — Kantius existimavit hæc duo vocabula : *impossibile* et *simul*, esse superflua in formulâ principii contradictionis : primum, quia in propositione apodicticâ, id est, intrinsece evidenti, convenientia aut disconvenientia prædicati cum subjecto ex naturâ ipsorum terminorum exurgit; secundum, quia connotat tempus, a quo principium absolutum abstrahere debet. Formula autem quæ videtur ei melior hæc est : *Prædicatum quod subjecto repugnat, ipsi subjecto non convenit.*

Resp. — At primò vocabulum *impossibile* non est superfluum cùm afficiat ipsum ens et relationem terminorum Apposite S. Th. :

Dicitur aliquid possibile vel impossibile (non solùm respectu ad aliquam potentiam, sed etiam absolute) ex habitudine terminorum. Possibile quidem absolute, quia prædicatum non repugnat subjecto, ut *Socratem sedere.* Impossibile verò absolute, quia prædicatum repugnat subjecto (1).

Ceterùm, ipse Kantius utitur verbo *repugnare*, quod idem significat ac *esse impossibile.*

Secundò, vocabulum *simul* non est inutile, cùm multa sint vera vel falsa pro diverso tempore vel respectu.

Denique animadvertamus formulam kantianam esse subjectivam, et minùs universalem quàm oportet.

320. **Objectiones.** — 1° Principium contradictionis non videtur esse primum, cùm subaudiat evidentiam, sine quâ mentis assensum trahere non posset.

Resp. — Subaudit evidentiam tanquam notam seu characterem veritatis, non autem tanquam prævium judicium. Unde nullum judicium, ne istud quidem : *Quidquid evidens est verum est*, principio contradictionis præponere licet.

(1) 1a, q. 25, a. 3.

2° Saltem existentia propria, quæ hoc judicio affirmatur : *Ego sum*, est primum principium.

Resp. — Est prima conditio demonstrationis et primum factum a nobis expertum, sed non est primum principium quæsitum, cùm non gaudeat universalitate et necessitate.

321. **Primorum principiorum concordia.** — Hinc videmus primorum principiorum concordiam. Evidentia est primum *criterium ;* existentia subjecti cogitantis est primum *factum ;* principium contradictionis est primum *axioma ;* principia evidentiæ, causalitatis, rationis sufficientis, etc., sunt *veritates primæ*, id est, per se evidentes, non tamen sejunctæ et inter se oppositæ ; quæ omnes aliquo modo fundantur in principio contradictionis.

322. **Sceptici et principium contradictionis**. — Non pauci sceptici, ab Heraclito ad Hegelium, etiam principium contradictionis negaverunt. Secundùm Hegelium, ens purum est nihilum, et quidquid fit est simul ens et non ens. — Sed, quamvis principium contradictionis sit indemonstrabile, cùm omnis demonstratio illud supponat, solvere tamen licet sophismata scepticorum. Ens purum seu universalissimum, quale consideratur in logicâ, non est quidem ens perfectum ; attamen, cùm habeat rationem entis, non est nihilum simpliciter. Sane, ens mere ideale seu possibile est non-ens reale ; ens mere in potentiâ est non-ens actuale ; ens indeterminatum est non-ens individuale ; ens mere abstractum est non-ens concretum : sed non ideo ens est non-ens. Ens excludit formaliter nihilum, quod ei opponitur ; scilicet ens non potest esse non ens simpliciter, simul et sub eodem respectu.

323. **Objectio.** — Nunc facillime solvitur objectio Hegelii dicentis : Ens purum est indeterminatio pura ac proinde nihilum.

Resp. — Ens purum est indeterminatum quoad individuum, speciem et genus, siquidem transcendit omnia genera, sed non est indeterminatum quoad ipsam entitatem.

324. **Scepticismus et principium causalitatis**. — Similiter in vanum sceptici principium causalitatis impugnave-

runt aut pervertere conati sunt. Alii illud negant simul cum ideâ causæ, quam non distinguunt ab ideâ antecedentis vel successionis (sic Humius). Alii putant principium causalitatis esse tantùm legem mentis nostræ seu judicium *syntheticum a priori* (Kantius).

At falsò; nam evidentissimum est principium causalitatis : *Non datur effectus sine causâ*, seu, ad vitandam omnem æquivocationem : *Non incipit aliquid sine causâ*. In hoc principio prædicatum est de naturâ subjecti : *effici* enim includit efficere seu *causare*, *incipere* includit determinationis principium seu *causam*. Sane effectus non includit causam physice, sed includit logice, et hoc sufficit. Aliis verbis repugnat aliquid incipere a seipso : esset enim simul causa et effectus, producens et productum. Explicatur ergo principium causalitatis principio contradictionis.

325. **Opinionis Kantianæ critica**. — Nunc quædam animadvertamus contra opinionem Kantii dicentis principium causalitatis non esse analyticum sed syntheticum a priori. Jam ostendimus (nº 119) non esse medium inter judicia analytica et judicia synthetica; nam vel prædicatum est de naturâ subjecti, vel non.

Deinde non videtur cur intellectus adhæreret necessarie judiciis quæ dicuntur synthetica a priori, nisi essent evidentia.

Tandem omnia judicia quæ a Kantio sic afferuntur ut exempla judiciorum syntheticorum a priori, revera sunt judicia analytica.

326. **Principium rationis sufficientis.** — Ex dictis de principio causalitatis liquet principium rationis sufficientis esse pariter inconcussum. Nam utriusque vis est eadem. Sane, si non datur effectus sine causâ, requiritur causa undique sufficiens, sive ex parte finis, sive ex parte causæ agentis, etc.

327. **Principia inducta, quæ in experientiâ fundantur.** — Postquam naturam et veritatem principiorum analyticorum ostendimus, pauca dicenda sunt de certitudine principiorum syntheticorum, id est, quæ in experientiâ fundantur.

Ejusmodi sunt leges physicæ, vi quarum pronuntiamus quod *futurum erit simile præterito*. Jamvero hoc principium, cum ceteris hujusmodi, alii dicunt non esse certum (Hume); alii non admittunt nisi propter instinctum cæcum (Reid), vel propter solam experientiam (Galluppi).

Sed non ita sentiendum est. Nam istud principium, cum ceteris hujusmodi, fundatur simul in experientiâ et in quodam principio absoluto ; unde est certissimum.

328. **Reidii critica**. — Jam sententiam Reidii confutavimus ubi de criterio veritatis. Scientiæ humanæ et speciatim scientiæ physicæ, utpote clarissimæ, fundari nequeunt in instinctu cæco. Et revera, vir edoctus in istis non cavet ab igne vel a fulgure, exempli gratiâ, propter solum instinctum, sed quia cognovit leges et vires rerum naturalium.

329. **Gallupii critica**. — Gallupii sententia confutatur ex eo quòd experientia de futuro est impossibilis; imò neque omnia præsentia homo experiri potest, neque omnia præterita experiri potuit. Unde experientia, cùm sit tantùm quorumdam singularium, non sufficit ad stabiliendas leges physicas, quæ sunt universales ; sed requiritur insuper principium absolutum, scilicet quo ipsa natura rerum attingatur. Principium ejusmodi est : *Eædem causæ semper producunt eosdem effectus*, vel meliùs : *Essentiæ rerum sunt immutabiles*, etc. (vide de inductione nº 170).

330. **Humii critica**. — Hoc ipso confutatur scepticismus Humii, qui ad solam experientiam attendit. Hæc enim certitudinem fundare non potest nisi cum principiis rationis.

331. **De principio : Futurum erit simile præterito**. — Nunc quæritur de hoc principio : *Futurum erit simile præterito*, utrùm sit experimentale solummodo an verò simul experimentale et analyticum. — Respondeo hoc principium esse experimentale et syntheticum, si spectetur in concreto, ex. gr. quando dicimus : *Sol cras orietur*. Hoc enim scimus propter quamdam inductionem. Sed si spectetur in genere et abstrahendo ab omni experientiâ, jam erit analyticum : scimus enim a priori, ut ita dicam. essentias esse immutabiles,

leges naturæ esse constantes, causas physicas semper agere eodem modo, etc.

332. **Leibnizii opinio.** — Tandem opinionem Leibnizii circa hanc materiam animadvertemus. Existimat omnes cognitiones humanas fundari in duobus principiis : principium nempe contradictionis et principium rationis sufficientis. In primo niterentur omnes conclusiones absolutæ, analyticæ; in secundo, omnia judicia synthetica.

Equidem principium contradictionis est fundamentum cujuscumque conclusionis, sed non ita ut omnes veritates ex eo proprie demonstrentur. Deinde principium rationis sufficientis est fundamentum omnium judiciorum syntheticorum generalium; sed facta quæ experimur (ex. gr. propria existentia, sensatio doloris et alia ejusmodi) ipsâ experientiâ innotescunt.

CAPUT XVII

DE SCIENTIIS EARUMQUE ORDINATIONE

333. **Hujus quæstionis momentum.** — Postquam disseruimus de universalibus et de primis principiis, dicendum est de eorum effectibus, id est, de *scientiis* necnon et de *artibus*, quæ scientias consequuntur. Scientiis et artibus perficiuntur omnes cognitiones humanæ. Agemus de eorum naturâ et ordinatione. Hæc autem diversis modis a variis scholis proponitur, cùm ex ipsâ doctrinâ philosophicâ ordinatio scientiarum aliarumque cognitionum necessariò dependeat.

334. **Scientia; ejus natura.** — Scientia est *cognitio per causas*. Differt ab *intellectu*, qui est facultas sciendi et subjectum scientiæ. Differt deinde ab *opinione*, quæ non est certa : scientia autem est « effectus demonstrationis », ut ait S. Th., et non versatur directe nisi circa certa. Differt tandem a *fide*, quæ est certa quidem, sed propter evidentiam auctoritatis, non autem propter evidentiam objecti.

335. **Rerum contingentium scientia.** — Scientia differt

etiam a *cognitione sensibili*, cujus objectum sunt res sensibiles, particulares, contingentes. Scientia autem, cùm sit intellectûs perfectio, versatur proprie et directe, sicut intellectus ipse, circa universalia, necessaria, mundum intelligibilem. Itaque descriptiones et historia rerum non sunt scientia, sed tantùm ejus præparatio et initium. Sed contingentia fiunt objectum scientiæ quatenus « in eis aliquid necessitatis invenitur », seu quatenus lumine universalium cognoscuntur. Apposite S. Th. :

Contingentia dupliciter possunt considerari : uno modo secundùm quòd contingentia sunt; alio modo secundùm quòd in eis aliquid necessitatis invenitur. Nihil enim est adeo contingens, quin in se aliquid necessarium habeat; sicut hoc ipsum quod est Socratem currere, in se quidem contingens est, sed habitudo cursùs ad motum est necessaria : necessarium est Socratem moveri, si currit. Est autem unumquodque contingens ex parte materiæ; quia contingens est quod potest esse et non esse... Necessitas autem consequitur rationem formæ.... Ratio autem universalis accipitur secundùm abstractionem formæ a materiâ particulari. Dictum est autem supra... quòd per se et directe intellectus est universalium, sensus autem singularium ; quorum etiam indirecte quodam modo est intellectus, ut supra dictum est... Sic igitur contingentia, prout sunt contingentia, cognoscuntur directe quidem a sensu, indirecte autem ab intellectu; rationes autem universales et necessariæ contingentium cognoscuntur per intellectum. Unde, si attendantur rationes universales sensibilium, omnes scientiæ sunt de necessariis; si autem attendantur ipsæ res, sic quædam scientia est de necessariis, quædam verò de contingentibus (1).

336. **Scientiæ actus et habitus**. — Scientia considerari potest quatenus *actus*, vel quatenus *habitus*, vel quatenus *complexio veritatum*. Quatenus actus, scientia est ipse actus rationis habitu perfectæ. Quatenus habitus, scientia est ipsa perfectio rationis, seu virtus intellectualis, quâ scilicet ratio fit aptior ad cognoscendum. Vi hujus habitùs ratio multa cognoscit non solùm *in potentiâ* sed etiam *habitualiter*. Unde actus scientiæ est quidem circa unum, sed habitus scientiæ est circa multa.

(1) 1^a q. 86, a. 3. — Cf. etiam n° 960 in psychologiâ.

337. **Veritates quæ sunt objectum scientiæ.** — Tandem scientia spectari potest quatenus complexio veritatum seu quatenus objectiva. Hoc modo spectata, est quædam ordinatio principiorum et conclusionum ; quæ ordinatio vel est universalis et omnia scibilia comprehendit, vel est particularis. Hinc scientia in genere et variæ species scientiarum.

338. **Scientiæ origo.** — Scientia *invenitur* vel *docetur* : hæ sunt duæ origines scientiæ. At ipsa doctrina magistri non generat scientiam in discipulo, nisi ille seipsum aliquo modo doceat seu veritatem inveniat lumine proprii intellectûs. Unde scribit S. Th. :

Scientia acquiritur in homine et ab interiori principio, ut patet in eo qui per inventionem propriam scientiam acquirit; et a principio exteriori, ut patet in eo qui addiscit. Inest enim unicuique homini quoddam principium scientiæ, scilicet lumen intellectûs agentis, per quod cognoscuntur statim a principio naturaliter quædam universalia principia omnium scientiarum. Cùm autem aliquis hujusmodi universalia principia applicat ad aliqua particularia, quorum memoriam et experimentum per sensum accipit, per inventionem propriam acquirit scientiam eorum quæ nesciebat ; ex notis ad ignota procedens. Unde et quilibet docens, ex his quæ discipulus novit, ducit eum in cognitionem eorum quæ ignorabat, secundùm quòd dicitur (*In Poster*...) quod « omnis doctrina et omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione ».

(Deinde subdit, ad 1m :) Homo docens solummodo exterius ministerium adhibet, sicut medicus sanans ; sed sicut natura interior est principalis causa sanationis, ita et interius lumen intellectûs est principalis causa scientiæ. Utrumque autem horum est a Deo... (1)

339. **Scientiæ objectum.** — Objectum scientiæ est materiale vel formale : *materiale*, si spectatur in se et totum sive concretum; *formale*, si spectatur prout illud scientia attingit. Iterum distinguitur objectum formale in *formale quod* et *formale quo*. Primum est id quod proprie considerat scientia in objecto materiali ; secundum sunt principia quorum lumine objectum consideratur. Ex. gr. : corpora sunt objectum materiale geometriæ ; dimensiones corporum, simul cum rela-

(1) 1a. q. 117 a 1.

tionibus earum, sunt objectum formale *quod*; principia seu axiomata geometrica sunt objectum formale *quo*.

340. **Finis scientiæ. Speculatio et praxis. Ars.** — Ratione finis immediati, qui est ipsa speculatio vel operatio sive applicatio, scientia est *speculativa* vel *practica*. Speculatio est nobilior, quamvis praxis sit sæpe utilior; sed hæc ab illâ oritur nec omnino separari potest. Scientiæ practicæ affinis est ars, quæ est : « recta ratio aliquorum operum faciendorum » (1).

341. **Ars animalium et ars humana.** — Ars ergo, cùm sit *ratio recta*, exurgens nempe ex principiis et regulis intellectis, est *virtus intellectualis*. Unde valde differt ars proprie dicta seu humana ab arte animalium, quæ est solummodo ab instinctu, vel a cognitione sensibili sine intellectu, ac proinde sine electione et progressu. Ars autem humana, quamvis utatur memoriâ sensibili, imaginatione, manibus aliisque organis vel sensibus, est in se aliquid intellectuale et perfectibile.

342. **Ars et scientia; ars et prudentia.** — Jam ex his videmus quomodo ars differt 1° a scientiâ, etiam practicâ, 2° a prudentiâ.

1° Differt a scientiâ, quæ tota est in cognitione, dum ars est ad agendum; deinde scientia est de vero, ars autem de bono, vel de utili, vel de pulchro. Utraque tamen est virtus intellectualis.

2° Ars differt a prudentiâ, quæ est virtus tam moralis quam intellectualis. Prudentia enim rectam voluntatem supponit, ideoque eâ nemo abuti potest. Ad rem S. Th. :

Ad prudentiam quæ est recta ratio agibilium requiritur quòd homo sit bene dispositus circa fines; quod quidem est per appetitum rectum. Et ideo ad prudentiam requiritur moralis virtus, per quam fit appetitus rectus Bonum autem artificialium non est bonum appetitùs humani, sed bonum ipsorum operum artificialium; et ideo ars non præsupponit appetitum rectum. Et inde est quòd magis laudatur artifex qui volens peccat, quàm qui peccat nolens : magis autem con-

(1) 1a 2æ, q. 57, a. 3.

tra prudentiam est quòd aliquis peccat volens quàm nolens, quia rectitudo voluntatis est de ratione prudentiæ, non autem de ratione artis. Sic igitur patet quòd prudentia est virtus distincta ab arte (1).

343. **Artes liberales, artes mechanicæ.** — Ratione operis circa quod versantur, aliæ artes sunt *liberales* et aliæ *mechanicæ.* Artes liberales versantur circa opus rationis et complectuntur aliquo modo omnes scientias, quia in omni scientiâ invenitur aliquid per modum cujusdam operis. Hoc pacto, logica, grammatica, medicina dicuntur artes, ut observat S. Th. :

Etiam in ipsis speculabilibus, est aliquid per modum cujusdam operis, putà constructio syllogismi aut orationis congruæ, aut opus numerandi vel mensurandi. Et ideo quicumque ad hujusmodi opera rationis habitus speculativi ordinantur, dicuntur per quamdam similitudinem artes, scilicet liberales, ad differentiam illarum artium quæ ordinantur ad opera per corpus exercita, quæ sunt quodam modo serviles, in quantum corpus serviliter subditur animæ (2).

Inter artes liberales, quæ versantur circa verum vel bonum, et artes mechanicas, quæ versantur circa utile, sunt artes pulchræ (architectura, sculptura, etc.), quæ versantur circa pulchrum.

344. **Ordinationis scientiarum principia**. — Nunc de ordinatione universali scientiarum sequentia statuimus :

Thesis. — *In omni ordinatione scientiarum attendere oportet ad hæc principia : 1° Scientiæ sunt inseparabiles ab artibus ; scientiæ practicæ, a scientiis speculativis ; artes mechanicæ, ab artibus liberalibus, ita ut omnis ordinatio completa quascumque cognitiones humanas complecti debeat — 2° Scientiæ specificantur per objectum suum formale, et intimiùs per principia sua, quæ sunt plus minusve abstracta 3° Ratione horum principiorum, scientiæ dividuntur generaliter in philosophicas, mathematicas et physicas seu naturales. Philosophicæ subdividuntur in logicas, metaphysicas et morales — Porro nulla earum scientiarum principalium est*

(1) 1a 2æ, q. 57, a. 4.
(2) Ibid. a. 3, ad 3.

alterius subalterna ; sed unaquæque principiis propriis nititur — Omnibus præest theologia sacra — Omnes radicantur in historiâ.

345. **Scientiæ sunt inseparabiles ab artibus**, etc. — 1° Hoc patet a priori, scilicet ex ipsâ naturâ earum. Scientia enim versatur circa verum, ars autem circa bonum utile vel pulchrum ; scientia quærit causas, ars verò effectus ; per scientiam cognoscimus, per artem operamur. Atqui bonum utile et pulchrum fundantur in vero, operatio dependet a cognitione causarum. Ergo. Similiter praxis dependet a speculatione, artes mechanicæ ab artibus liberalibus.

2° Hoc patet a posteriori, percurrendo varia genera scientiarum seu cognitionum. Ex. gr. theologia comprehendit scientiam speculativam (de Deo ejusque attributis) et scientiam practicam (moralem et regimen animarum) ; item philosophia (ontologiam et ethicam), mathesis (mathesim puram, mathesim applicatam), physica proprie dicta et chimia, etc., etc.

346. **Scientiæ specificantur per objectum**. — Hoc statuimus contra Baconem et alios qui principium distinctionis scientiarum a facultatibus cognoscitivis petierunt (scilicet a ratione, imaginatione et memoriâ). At in vanum.

Nam scientiæ, sicut ceteri habitus, facultates omnes et ipsæ ideæ, ex quibus exsurgit cognitio, important essentialiter ordinem ad objectum suum, a quo separari non possunt ; imò, sine quo concipi nequeunt. Unde « scientiæ secantur quemadmodum et res » (1). Sed objectum seu res specificans scientiam est objectum *formale*, non autem materiale. Nam objectum non specificat scientiam nisi formaliter acceptum, id est, quatenus sub scientiâ cadit. Cadit autem sub scientiâ propter principia plus minusve abstracta, quibus illuminatur seu cognoscitur. Ergo tandem scientiæ distinguuntur secundùm gradus abstractionis.

347. **Scientiarum divisio fundamentalis**. — Jamvero tres sunt præcipui gradus abstractionis. Primò abstrahimus

(1) 1^a, q. 58, a. 6, ad 3.

a materiâ individuali solummodo, retinendo materiam sensibilem (ex. gr. abstrahimus ab hoc et illo lapide, sed retinemus lapidem in genere, id est, aliquid sensibile); et tunc habemus scientias physicas, quæ versantur circa ens sensibiliter mutabile, ens *quale*. Secundò abstrahimus a materiâ sensibili, retinendo materiam intelligibilem, id est, quantitatem (ex. gr. abstrahimus ab hoc et illo lapide, et etiam a qualitatibus sensibilibus lapidis, sed retinemus dimensiones, figuram, numerum); et sic habemus mathesim, quæ versatur circa ens *quantum*. Tertiò abstrahimus a materiâ etiam intelligibili, retinendo solummodo naturas, essentias, substantias, universalia; et sic habemus philosophiam.

Sed philosophia, ut vidimus (cap. I), dividitur in tres partes : metaphysicam, logicam et moralem, quæ etiam respondent quibusdam gradibus abstractionis. Nam, in logicâ et morali, abstrahimus a rebus, considerando reflexe ordinem idealem seu entium rationis, vel ordinem moralem seu ordinem intentionis et volitionum. Igitur habemus quinque scientias præcipuas quibus ceteræ comprehenduntur.

348. **Non datur ulla scientia concreta.** — Hinc videmus non dari proprie ullam scientiam concretam, ut putant positivistæ; sed omnem scientiam esse plus minusve abstractam. Omnis enim scientia versatur immediate circa universalia : genera species, etc. (Vide supra de scientiâ rerum contingentium n° 335).

349. **Quinque scientiæ fundamentales.** — Hinc etiam videmus ex his quinque scientiis nullam esse quæ proprie alteri subalternetur. Una scientia enim potest esse sub alterâ vel *propter principium*, vel *propter objectum :* propter principium, quando nempe principia unius scientiæ sunt conclusiones alterius scientiæ (ita jurisprudentia respectu scientiæ moralis); propter objectum, quando objectum unius scientiæ est species objecti alterius scientiæ (ita cosmologia et psychologia respectu ontologiæ). Porro singulæ scientiæ primariæ de quibus agimus habent objectum diversum a ceteris et principia propria, quæ non sunt conclusiones alterius scientiæ. Ergo.

Sed si agitur de subordinatione latiùs dictâ, scientia moralis præest sub quodam respectu, cùm tractet de fine ultimo et de morum ordine, qui est optimus ; logica præest sub alio respectu, cùm sit instrumentum quo ceteræ scientiæ utantur ; metaphysica præest quatenus tractat de ente reali et præsertim de Ente supremo ; mathesis et scientiæ physicæ præsunt propter quamdam utilitatem.

350. **Theologia præest omnibus scientiis.** — Hactenus de scientiis humanis ; sed superior est theologia sacra tum propter principium suum, tum propter objectum proprium. Fundatur enim in revelatione seu Verbo divino et versatur circa veritates supernaturales et omnia quæ conferunt ad salutem et vitam æternam. Ad rem S. Th. :

Cùm ista scientia (nempe theologia), quantùm ad aliquid sit speculativa et quantùm ad aliquid sit practica, omnes alias transcendit tam speculativas quàm practicas. Speculativarum enim scientiarum una alterâ dignior dicitur tum propter certitudinem, tum propter dignitatem materiæ. Et quantùm ad utrumque hæc scientia alias speculativas scientias excedit. Secundùm certitudinem quidem, quia aliæ scientiæ certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ, quæ potest errare ; hæc autem certitudinem habet ex lumine divinæ scientiæ, quæ decipi non potest. Secundùm dignitatem verò materiæ, quia ista scientia est principaliter de his quæ suâ altitudine rationem transcendunt ; aliæ verò scientiæ considerant ea tantùm quæ rationi subduntur. Practicarum verò scientiarum illa dignior est quæ ad altiorem finem ordinatur, sicut civilis militari. Nam bonum exercitûs ad bonum civitatis ordinatur. Finis autem hujus doctrinæ, in quantum est practica, est beatitudo æterna, ad quam, sicut ad ultimum finem, ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est secundùm omnem modum eam digniorem esse aliis (1).

351. **Omnis scientia radicatur in historiâ**. — De historiâ nihil adhuc diximus, quia historia non est proprie et directe scientia, sed potiùs scientiarum mater. Scientiæ enim versantur circa universalia et necessaria ; historia autem est de particularibus et contingentibus. Sed quemadmodum cognitio intellectualis oritur ex sensibilibus, ita scientiæ omnes

(1) 1^a, q. 1, a. 5.

oriuntur quodam modo ex factis historicis. Ex. gr. theologia sacra oritur ex facto revelationis et traditione ; philosophia oritur, saltem indirecte, ex doctrinâ antiquorum ; scientiæ physicæ oriuntur ex historiâ naturæ, etc.

352. **De præcipuis ordinationibus scientiarum.** — Nunc pauca adjicienda sunt de præcipuis ordinationibus scientiarum.

1° Philosophus Scripturæ omnes cognitiones revocat ad *sapientiam*, eamque magnificat.

2° Aristoteles eamdem divisionem generalem scientiarum humanarum tradidit quam deinde scholastici perfecerunt.

3° S. Bonaventura quamdam synthesim omnium cognitionum proposuit in suo opusculo : *De reductione artium ad theologiam*. Distinguit quatuor lumina seu principia cognitionum ; inde quatuor genera cognitionum : 1° artes mechanicæ ; 2° artes pulchræ ; 3° philosophia ; 4° theologia (1).

4° Baco et Encyclopedistæ sæculi decimi octavi dividunt scientias, ratione facultatum, in *historiam* (quæ respondet memoriæ), *poesim* (quæ respondet imaginationi) et *philosophiam* (quæ respondet rationi). — Sed, divisio essentialis scientiarum non petenda est a subjecto et facultatibus, sed ab objecto (2).

5° Aug. Comte distinguit scientias in *abstractas* et *concretas*. Scientiæ abstractæ sunt : mathesis, astronomia, physica, chimia, physiologia, sociologia, cui accedit moralis — At omittuntur theologia et metaphysica, imò negantur (3).

6° Ampère distinguit scientias in cosmologicas et noologicas ; deindè has et illas subdividit in duas species quarum unaquæque bipartitur, et sic deinceps, donec deveniatur in 128 scientias tertii ordinis. — At hæc divisio fit primùm ratione objecti materialis, non autem ratione objecti formalis (4).

7° Spencer dividit scientias in *abstractas* (logica et mathesis), *abstractas-concretas* et *concretas*. — Sed omnis scientia

(1) V. *Histoire de la Philosophie*. S. Bonaventure.
(2) *Ibid.* Bacon.
(3) *Ibid.* Comte.
(4) *Ibid.* Ampère.

est abstracta, nec omittere licet theologiam sacram et metaphysicam (1).

353. **Cujusdam ordinationis adumbratio**. — Nunc forsan licebit proponere summatim nostram ordinationem omnium cognitionum. Ratione objecti formalis, eas dividimus primùm in quinque ramos seu genera suprema, prout objectum est 1° *verum* aut pulchrum intelligibile (hinc scientia cum artibus liberalibus), 2° *pulchrum sensibile* (hinc artes pulchræ), 3° *bonum* (hinc cultura), 4° *utile* (hinc industria, cum pluribus artibus mechanicis), 5° *opportunum* (hinc commercium).

Hìc solummodo de primo genere pauca dicemus. Ratione principiorum quibus innituntur, aliæ scientiæ sunt *theologicæ* et aliæ *humanæ*. Illæ comprehendunt theologiam dogmaticam, theologiam moralem, mysticam, jus canonicum, liturgiam, etc. Scientiæ autem humanæ dividuntur, ut vidimus, ratione gradûs abstractionis, in *logicas*, *metaphysicas*, *morales*, *mathematicas*, *physicas*. Ad logicam præsertim referuntur grammatica, rhetorica, etc.; ad moralem, jurisprudentia, politica, historia etiam quoad maximam partem, etc.; ad mathesim, arithmetica, geometria, mechanica, etc.; ad physicam, physica propriè dicta, chimia, historia naturalium ; quæ comprehendit zoologiam, botanicam, mineralogiam, geologiam, geographiam, astronomiam etiam, quatenus est descriptio cœli, etc.

CAPUT XVIII

DE METHODO

354. **Methodus ; quanti sit momenti**. — Complendus est logicæ tractatus consideratione de methodo. Hæc enim omnes fructus totius logicæ recolligit : aperit viam breviorem aut tutiorem ad *veritatem*, utitur pro opportunitate omnibus *criteriis*, arguit ex *principiis* et factis, modò indu-

(1) *Ibid.* Spencer.

cendo, modò deducendo, tandem maximè confert ad *scientias* acquirendas et docendas. Hinc apparet ejus natura, simul cum necessitate. Definiri enim potest : « modus procedendi in cognitione veritatis », vel : « ordo quem mens nostra in comparandâ sibi scientiâ sectatur », etc.

355. **Methodi species : methodus auctoritatis, eclectica**, etc. — Ratione principii, alia methodus est *auctoritatis*, alia est independens seu *rationalis*. Auctoritate utendum est præsertim in theologiâ sacrâ et in scientiis historicis; ratione autem, in philosophiâ. De utrâque methodo videtur esse particeps methodus *eclectica*, quæ diversis modis accipitur.

Methodus autem rationalis seu independens est *ontologica* vel *psychologica*. Hæc autem est vel *empirica*, vel *idealistica*, vel simul *experimentalis et rationalis*. Methodo ontologicâ abutuntur ontologi, qui putant nos nihil intelligere nisi in Deo. Methodo psychologicâ utuntur generatim omnes philosophi. Sed alii utuntur solo criterio sensuum (hi sunt empirici); alii, solo criterio intellectûs (et hi sunt idealistæ); alii, tum criterio sensuum, tum criterio intellectûs.

Methodus experimentalis dicitur etiam *a posteriori;* et methodus rationalis, *a priori*.

356. **Analysis et synthesis.** — Ratione processûs, methodus est *analytica* vel *synthetica*. Analysis procedit a toto concreto seu reali ad partes, ab effectibus ad causas, a particularibus aut minùs universalibus ad universaliora. E contrario, synthesis procedit a partibus ad totum, a causis ad effectus, a simplicibus et universalibus ad composita et particularia. Inductio igitur sequitur analysim; deductio verò synthesim; analysi scientiæ incipiunt, sed synthesi perficiuntur.

357. **Methodus generalis, particularis**. — Ratione objecti vel etiam ratione subjecti, methodus est *generalis* vel *particularis*. Methodus generalis ratione objecti convenit omnibus scientiis ; particularis ratione objecti convenit quibusdam scientiis tantùm ; methodus generalis ratione subjecti convenit omnibus hominibus ; particularis ratione subjecti convenit quibusdam hominibus tantùm.

358. **Methodi regulæ generales.** — Hìc tradendæ sunt solummodo regulæ generales ; quæ ad unam revocantur, scilicet : *A notis ad ignota progressus fiat.* Nam ignotum non potest esse principium cognoscendi, siquidem effectus est similis causæ. Unde etiam procedere oportet a notioribus ad minùs nota, a sensibilibus ad intelligibilia, ex effectibus expertis ad causam ignotam, ex causâ cognitâ ad effectus invisibiles aut longinquos, aut futuros; nunquam licebit demonstrare *obscurum per obscurius.* Expedit plerumque procedere a facilioribus ad difficiliora; sed ea quæ sunt faciliora uni possunt esse difficiliora alteri, atque etiam evenit ut faciliora ex difficilioribus intelligantur. Unde « necesse est, ait S. Th., in addiscendo non incipere ab eo quod est facilius, sed ab eo a cujus cognitione cognitio sequentium dependet » (1). Denique progressus fiat gradatim, non per saltum, ita ut nulla irrepat affirmatio cum præcedentibus haud connexa.

359. **Cartesii regulæ.** — His adjungere licet regulas a Cartesio traditas : « 1o Ne recevoir pour vrai que ce qui est reconnu évident ; — 2o Diviser chacune des difficultés qu'on examine en autant de parcelles qu'il se peut et qu'il est requis pour les mieux résoudre ; — 3o Conduire ses pensées par ordre, en commençant par les objets les plus simples et les plus aisés à connaître, pour monter peu à peu, comme par degrés, à la connaissance des plus composés ; — 4o Faire partout des dénombrements si entiers et des revues si générales qu'on puisse s'assurer de ne rien omettre. »

Nunc sequentia statuenda sunt de variis methodis necnon et de methodo cartesianâ, quæ ab his regulis feliciter traditis omnino diversa est.

Thesis : *Adhibenda est methodus experimentalis et rationalis, sed rejiciendæ sunt methodi empirica, idealistica et ontologica, — item methodus quæ dicitur « constructionis ». — Methodus autem auctoritatis non est universalis, neque sine restrictione est probanda methodus eclectica — Analysis et synthesis simul adhibendæ sunt, unaquæque plus minusve,*

(1) *Super Boet. de Trin.*, q. 6, a. 1, ad 3.

pro variis scientiis — Denique rejicienda est methodus cartesiana, utpote inducens in varios et graves errores.

360. **Methodus experimentalis et rationalis.** — Hæc sola est adhibenda, ceteris rejectis; nam sola convenit humanæ menti scientiamque gignere potest. Convenit quidem humanæ menti, cùm utatur criteriis sensuum æque ac intellectûs; scientiam gignere potest, cùm innitatur tam factis expertis quàm principiis universalibus et absolutis. E contrario, methodus empirica tota est in experientiâ et factis; idealistica verò et ontologica parvi pendunt sensuum criteria, quibus tamen rejectis, mens humana privatur multis veritatibus necessariis.

361. **Ontologorum objectiones.** — 1° Scire est cognoscere per causas. Causa autem suprema est Deus, primum Ens et primum Intelligibile. Ergo scientia est cognitio rerum per Deum; et ideo vera methodus procedit a Deo ad creaturas.

Resp. — Scientia utique perficitur cognitione effectuum in causis, sed inchoatur cognitione effectuum. Deinde Deus, quamvis sit absolute prima causa, non est tamen prima causa a nobis naturaliter cognita. Insuper Deus a nobis non cognoscitur nisi abstracte et per analogiam; unde in ipso creaturas non cognoscimus, quamvis intelligamus ab Ipso omnes creaturas processisse. Non creaturas in Deo, sed potiùs Deum in creaturis apprehendimus.

2° Res non sunt intelligibiles nisi quatenus actu sunt seu existunt. Existunt autem a Deo. Ergo a Deo seu propter Deum et aliquo modo in Deo sunt intelligibiles.

Resp. — Res existunt a Deo tanquam a causâ efficiente et extrinsecâ, non autem tanquam a causâ formali et intrinsecâ; secus enim omnia essent Deus. Unde res habent propriam intelligibilitatem sicut habent propriam existentiam. Ergo cognosci possunt, quamvis Deus non cognoscatur.

362. **Methodus constructionis.** — Methodo ontologorum affinis est methodus quæ dicitur *constructionis* (v. n° 271) et sub quodam respectu vera est. At falsò asserunt transcendentalistæ (Hegelius, etc.) mentem humanam non cognoscere ullam rem nisi quatenus eam creat seu efficit.

363. **Critica**. — Hic error est pantheismus. Revera mens humana non est mensura veritatis sed veritate mensuratur; non efficit verum sed cognitione illud acquirit.

Deinde, si idem esset causare et cognoscere, jam homo vel pauca cognosceret vel omnia efficeret : mundum et ipsum Deum.

Tertiò, si homo non cognosceret nisi quatenus efficit, cùm seipsum efficere nequeat, jam seipsum necessariò ignoraret.

Quartò, non est necessarium ut cognoscens sit causa cogniti : sufficit enim ut cognitum sit intelligibile et cognoscens habeat facultatem cognoscendi.

Tandem non solùm cognitio non consequitur causalitatem, sed potiùs eam præcedit; nam causa non agit nisi ex cognitione præviâ. Revera homo non res cognoscit quia eas effecit, sed potiùs illas efficit quia cognovit.

364. **Methodus auctoritatis. Eclectismus**. — Recolenda sunt ea quæ diximus de usu criterii auctoritatis. Auctoritas est fundamentum theologiæ sacræ necnon et scientiæ historicæ, non autem philosophiæ aliarumque scientiarum. Igitur methodus auctoritatis non est universalis.

Quod ad eclectismum spectat, duas saltem formas induit, quarum una est vera et altera falsa. Generatim eclectismus est doctrina illornm philosophorum qui nulli scholæ adhærentes, eligunt inter sententias præcipuorum sapientium eas quæ videntur eis verisimiliores. Eclectismo affinis est *syncretismus*, qui adunare conatur sententias inter se repugnantes. Quemdam eclectismum profitebantur jam neo-platonici; alium proposuit sæculo XIX Victor Cousin, sed satis infeliciter. Dicebat enim : non esse errorem absolutum, sed quemcumque errorem esse veritatem incompletam ; — ideoque non esse ullam philosophiam absolute falsam, sed tantùm incompletam ; — unde veritatem philosophicam totalem inveniri in omnibus doctrinis philosophorum simul sumptis, etc. Ceterùm, Victor Cousin non semper sibimet consensit.

365. **Eclectismus Patrum**. — Eclectismus Victoris Cousin vel etiam neo-platonicorum (Plotinus, Proclus, etc.) longe diversus est ab eclectismo Patrum, qui laudandus est. Patres

enim collegerunt omnes veritates quas invenerunt apud Platonem, Aristotelem aliosque sapientes, ut feliciùs doctrinam christianam proponerent atque vindicarent, utentes duplici criterio : nempe criterio fidei seu auctoritatis et criterio evidentiæ seu rationis. Unde dicebat Augustinus :

Qui philosophi vocantur, si qua fortè vera et fidei nostræ accommoda dixerunt, ab eis tanquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda sunt. Habent enim doctrinæ gentilium quædam simulata et superstitiosa figmenta, quæ unusquisque nostrum de societate gentilium exiens debet evitare... (1).

(Pergit S. Th., qui hunc locum citat :) Et ideo Augustinus, qui doctrinis Platonicorum imbutus fuerat, si qua invenit fidei accommoda in eorum dictis assumpsit; quæ vero invenit fidei nostræ adversa, in melius commutavit (2).

366. **Eclectismi critica.** — Igitur quidam eclectismus est verus. At eclectismus a Victore Cousin propositus, est falsus et revera in varios errores inducit. Hæc insuper animadvertenda sunt :

1° Falsum est omnes disciplinas philosophicas non differre inter se nisi propter formam aut quasdam partes, convenire autem in præcipuis dogmatibus.

2° Error non est proprie quædam veritas exaggerata aut quâ abutuntur homines ; nam id quod affirmatur formaliter et exclusive potest esse absolute falsum.

3° Item systemata falsa, formaliter spectata, possunt esse absolute falsa.

4° Etiamsi omnia systemata simul sumpta singulas veritates continerent, non sufficeret ea colligere et componere ut vera doctrina conficeretur. Hæc enim non nisi ex coadunatione seu nexu et formâ omnium veritatum exsurgere potest.

367. **De usu analysis et synthesis.** — Tum analysi tum synthesi uti oportet, cùm hanc duplicem methodum requirat ipsa natura scientiæ. Etenim primùm ascendimus ab effectibus ad causas, a phænomenis ad leges, etc. : hinc analysis ; deindè descendimus a causis ad effectus, etc. : hinc synthesis.

(1) *De Doctrinâ christ.*, lib. II, c. XL.
(2) 1a, q. 84, a. 5. — Cf. etiam Enc. *Æterni Patris*, jam cit., cap. I.

Hoc etiam requiritur ipsâ naturâ facultatum nostrarum, quarum aliæ sunt sensibiles et apprehendunt facta seu contingentia, aliæ autem sunt intellectuales et apprehendunt principia absoluta. Analysis autem a factis seu contingentibus proficiscitur, synthesis verò a principiis absolutis

Denique, ut experientiâ constat, singulæ scientiæ tum analysi tum synthesi utuntur, quamvis variis modis, prout fert natura uniuscujusque disciplinæ.

368. **Non datur methodus unica.** — Ex his jam liquet non esse adhibendam unicam methodum in omnibus scientiis. Neque enim *methodus geometrica*, quæ est deductiva, neque methodus analytica aut quævis alia sufficere potest, ut quidam putaverunt.

Nam 1° scientia humana ex diversis fontibus oritur; — 2° principia scientiarum sunt diversa, nec reduci possunt ad unum; — 3° certitudo non est eadem; unde diversa est via seu methodus ad certitudinem.

369. **De usu hypothesis.** — Inter varias methodos particulares eminet *methodus hypothetica*, quæ in hoc primùm sita est ut supponatur aliqua causa ad explicandos quosdam effectus. Hæc methodus est partim synthetica et partim analytica : synthetica, quatenus ex merâ ideâ vel causâ dubiâ proficiscitur; analytica quatenus ex effectibus certis demonstrare conatur existentiam causæ suppositæ. Jamvero hæc methodus est utilissima, præsertim in scientiis physicis, sed periculis non vacat, utpote inducens in præjudicia.

Ejusmodi sunt regulæ præcipuæ methodi hypotheticæ : 1° Hypothesis invecta nulli facto quod expertum est repugnet, sed omnia facta aliquo saltem modo explicet; 2° Hæc hypothesis sit omnium simplicissima aut meliùs explicet quidquid fuit expertum. Non erit certa nisi ceteræ repugnent.

370. **Methodus inveniendi et methodus docendi.** — Hìc plura quæruntur de methodo discendi seu inveniendi veritatem et de methodo docendi : Methodus inveniendi veritatem estne eadem ac methodus analytica et inductiva; me-

thodus autem docendi, eadem ac synthetica et deductiva? Deinde methodus inductiva differtne a methodo docendi?

Respondeo ad 1m negative; nam veritates inveniuntur non tantùm per analysim et inductionem, sed etiam per synthesim et deductionem. Respondeo ad 2m utilissimum esse ut methodus docendi cum methodo inveniendi generatim conveniat. Nam docere idem est ac adjuvare mentem audientis ut sibimet veritatem inveniat. Præterea methodus inveniendi se habet ad methodum docendi sicut natura ad artem; ars autem imitatur naturam.

371. **Methodus cartesiana.** — Nova methodus philosophandi a Cartesio invecta est, quæ celeberrima evadit. Duabus quasi partibus constat: una pars est destruens, et altera construens. Et primùm quidem, juxta Cartesium, expedit ut sapiens de omnibus dubitet atque factus omnino liber ab erroribus et præjudiciis primum fundamentum certitudinis totiusque philosophiæ determinet. Dubitavit igitur Cartesius sive de testimonio hominum et de omni traditione, sive de criterio sensuum et de existentiâ mundi, sive etiam de ipsâ ratione et de veritatibus absolutis. Sed cùm pervenit ad propriam suam cogitationem, advertit tandem se non posse ultra dubitare: « Cogito, inquit; ergo sum. » Hoc est primum principium totius philosophiæ.

Porro, cùm hæc veritas non sit inconcussa nisi quia evidens, Cartesius statuit suum principium de ideis claris: « Affirmandum est tanquam verum quidquid clare et distincte percipimus. » Deinde advertit se posse dubitare de corpore proprio, non autem de propriâ cogitatione, quæ omnino differt ab extensione corporali. Ergo, concludit, anima non est corpus. Insuper clare se apprehendit imperfectum, quamvis ideâ perfecti non careat; quæ menti nostræ non inesset nisi Deus existeret. Igitur Deus existit, perfectus et verax. Unde facultates nostræ non fallunt. Nec per se fallit testimonium humanum, etc.

372. **Critica.** — 1° Absurdum esset dubitare realiter de veritatibus primitivis, evidentissimis, quibus relictis, vincit scepticismus absolutus. Cartesii dubitatio videtur quidem

fuisse mere hypothetica seu methodica : locutus est tamen æquivoce.

2° Item æquivoce locutus est de criterio evidentiæ. Agiturne de evidentiâ objectivâ an verò de subjectivâ ? Non constat. Inde novum periculum scepticismi.

3° Etiam dubium mere hypotheticum rejiciendum est tanquam methodus generalis omnibus proponenda. Nam hoc dubium est valde periculosum, ut ipse Cartesius fatetur. Sed præterea dubium ejusmodi est absurdum æque ac dubium absolutum. Nam, stante hoc dubio, nullam veritatem demonstrare aut affirmare licet.

4° Insuper, propria existentia est quidem primum factum expertum, prima conditio philosophandi ; sed impossibilis est transitus ex hoc facto in principium universale et absolutum, si sola vis hujus facti spectetur. Ostendimus enim esse saltem duo principia prima scientiæ humanæ : factum expertum a conscientià et principium absolutum rationis.

5° Cartesius putat rationem nostram non fallere, quia Deus est verax ; et aliunde nonnisi ratiocinando existentiam Dei demonstrat. Sed in hoc est petitio principii.

6° Tandem Cartesius præcipuas veritates, scilicet spiritualitatem animæ et existentiam Dei, ex propriis fontibus non derivat. Etenim spiritualitas animæ non proprie demonstratur ex ejus simplicitate, neque existentia Dei ex ipsâ ideâ Dei vel perfecti.

CAPUT XIX

DE METHODO PROPRIA QUIBUSDAM SCIENTIIS : MATHEMATICIS, PHYSICIS, ETC.

373. **Logica unicuique scientiæ propria.** — Præter logicam generalem, quæ scilicet omnibus scientiis convenit, distinguere licet logicas particulares, pro variis scientiis. Et quamvis istæ logicæ non plane distinguantur a singulis scientiis, tamen haud nihil de eis dicemus.

374. **Methodus theologica; methodus philosophica.** — Methodus adhibenda in scientiis theologicis est sane methodus auctoritatis, siquidem theologia fundatur in fide. Igitur methodus theologica tota est in interpretatione eorum quæ a Deo revelantur aut ab Ecclesiâ proponuntur.

Aliter dicendum est de scientiis philosophicis, utpote in ratione fundatis. Igitur methodus philosophica est essentialiter methodus rationalis, quamvis philosophus sæpissime aucto itates consulere debeat. Differt etiam methodus philosophica pro variis objectis: alia est, ex. gr., methodus adhibenda in ontologiâ, et alia in psychologiâ,

375. **Methodus mathesi propria**. — Methodus adhibenda in scientiis mathematicis est præsertim deductiva, cùm fundentur scientiæ hujusmodi in paucis definitionibus seu ideis et legibus absolutis. Etiam id quod vocatur *analysis mathematica* est reapse deductio potiùs quàm inductio.

376 **Evidentia mathematica**. — Sæpe extolluntur scientiæ mathematicæ propter suam evidentiam. Quæ maxima videtur, quia objectum materiale harum scientiarum est sensibile. Unde illud sæpissime numerare, ponderare vel alio modo sensibus experiri possumus. Sed, fatentibus ipsis viris in mathesi doctissimis, multa eis occurrunt dubia, multæ hypotheses incertæ remanent.

377. **Methodus geometrica**. — Inter methodos mathematicas eminet methodus geometrica, quæ a Cartesio, Spinosa, etc. habita est sicut methodus in scientiis philosophicis adhibenda. At falsò, ut jam vidimus (nº 368). Apposite S. Th.:

Quidam non recipiunt quod eis dicitur, nisi dicatur eis per modum mathematicum. Et hoc quidem contingit propter consuetudinem his qui in mathematicis sunt nutriti. Et quia consuetudo est similis naturæ, potest etiam hoc quibusdam contingere propter indispositionem, illis scilicet qui sunt fortis imaginationis, non habentes intellectum multùm elevatum (1).

(1) *In lib.* II, *Metaph.*, lect. 5.

378. **Methodus scientiarum physicarum.** — Cùm istæ scientiæ fundentur præsertim in experientiâ (v. nº 166), maxime utuntur methodo experimentali et inductione.

379. **Quatuor methodi inductionis.** — Inductio ipsa diversis modis procedit. Stuart Mill quatuor methodos inductionis enumerat :

Prima est *methodus concordantiæ*, cujus regula hæc est :

Si duo vel plura phænomena experta habent solummodo aliquid commune, illud quod est eis commune est causa vel effectus.

Secunda est *methodus differentiæ*, cujus regula hæc est : Si unus casus in quo phænomenon invenitur et alter casus in quo non invenitur, sunt omnino similes, exceptâ unâ circumstantiâ, hæc est habenda tanquam effectus, vel causa totalis aut partialis.

Tertia est *methodus residuorum*, cujus regula hæc est : Si ab aliquo phænomeno abstrahimus quidquid scimus productum a causis jam a nobis cognitis, residuum est effectus quorumdam antecedentium ad quæ non adhuc attendebamus.

Quarta est *methodus variationum concomitantium*, cujus regula hæc est : Unum phænomenon quod certo modo variatur, altero variante similiter, est illius causa vel effectus vel ab eâdem causâ productum.

Legitimæ sunt, ut patet, istæ regulæ et facillime deducuntur ex principiis ejusmodi : *Positâ causâ, ponitur effectus.* — *Sublatâ causâ, tollitur effectus.* — *Variante causâ, variatur effectus.*

380. **Historia inventionum, logica applicata.** — Adhuc utilius est historiæ præcipuarum inventionum studere ut cognoscantur facta, principia et alia media, quibus instructi, viri maximi ingenii in arcana naturæ penetrarunt.

381. **Ordinatio in scientiis naturalibus.** — Nemo ignorat quanti momenti sunt ordinationes seu classificationes (v. nº 6) in scientiis naturalibus. Porro omnis ordinatio est *naturalis* vel *artificialis*. Hæc in notis extrinsecis, illa autem in characteribus propriis et in ipsâ naturâ fundatur.

382. **Characterum subordinatio**. — Igitur ad ordinationem naturalem determinandam requiritur cognitio characterum; qui sunt plus minusve constantes, generales et ipsi naturæ affixi. Hinc habetur quædam subordinatio characterum, quâ nempe fit ut alii sint characteres speciei, alii generis infimi, vel medii, vel supremi.

383. **Methodus scientiarum socialium**. — Longe nobiliores sunt scientiæ sociales; unde præstantior est earum methodus. Fundantur enim tum in auctoritate et traditione, tum in principiis rationis et juris naturalis, tum in experientiâ quotidianâ. Hinc utilitas descriptionum rerum socialium (*statistiques*, *monographies*, etc.).

384. **Methodus historica**. — Inter scientias sociales jure numeratur historia, cujus methodus seu logica propria, vocatur hodie *critica historica*.

385. **Ejus regulæ generales**. — Hujus criticæ regulæ generales sunt ipsa præcepta moralia quibus tenemur ad colendam veritatem et observandam justitiam erga omnes, sive vivos sive mortuos.

386. **Scepticismi historici injustitia**. — Hinc apparet statim injustitia scepticismi historici, quem jam confutavimus. Multa enim facta historica sunt indubia et certissima, non exceptis miraculis (v. nº 276).

387. **Regulæ speciales**. — Criticæ historicæ regulæ speciales sunt ejusmodi :

1º Quod ad auctores spectat : testimonium auctorum æstimandum est ex eorum scientiâ et veracitate. Unde generatim auctoribus contemporaneis fides adhibenda est potiùs quâm ceteris, nisi de eorum æquitate non satis constet, etc.

2º Quod ad libros spectat : habendi sunt ut authentici prout criteria, tum externa (historia, traditio) tum interna (doctrina, stylus), eorum authenticitatem manifestant, etc.

3º Quod ad interpretationem spectat : valet plus minusve pro auctoritate et sinceritate ipsius interpretis, etc.

METAPHYSICA

CAPUT XX

DE METAPHYSICA : NOTIONES PRÆVIÆ DE TRANSCENDENTALIBUS ET SPECIATIM DE ENTE

388. **Definitio et divisio**. — Quoad nomen, metaphysica idem est ac disciplina transgrediens physica seu sensibilia ut res intimas consideret. Et revera, metaphysica est scientia cujus objectum proprium est ens reale quatenus per principia altissima apprehenditur. Igitur differt a logicâ, quæ de ente rationis disserit; a morali, quæ circa mores versatur; a mathesi et scientiis physicis, quæ de materiâ intelligibili aut sensibili tractant. (Recole dicta de divisione philosophiæ.)

Metaphysica dividitur in *generalem* seu ontologiam et *specialem*, quæ comprehendit : *cosmologiam* (de mundo), *psychologiam* (de animâ), *theodiceam* (de Deo).

389. **Ontologia**. — Ut vox ipsa innuit, ontologia est scientia quæ « considerat ens et ea quæ consequuntur ipsum », vel, ut alibi dicit S. Th. : « scientia quæ habet pro subjecto ens, quod est commune ad omnia ; et ideo considerat ea quæ sunt propria entis, quæ sunt omnium communia, tanquam propria sibi. »

Eam dividimus in tres partes, quarum prima tractat de ente et de ejus modis transcendentalibus, quæ scilicet transcendunt omnia genera ; secunda, de categoriis seu generibus supremis ; tertia, de causis.

390. **Transcendentalia**. — His designantur « modi generaliter consequentes omne ens ». Differunt igitur a categoriis, quæ sunt « modi speciales entis ». Quod sic explica S. Th. :

Aliqua dicuntur addere supra ens in quantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur. Quod dupliciter contingit : uno modo ut modus expressus sit aliquis specialis modus entis (hinc categoriæ)...; alio modo ita quòd modus expressus sit modus generaliter consequens omne ens (hinc transcendentalia)... (1).

Hìc statim quæritur : quænam sunt præcipua transcendentalia et quomodo ordinantur ? — Sic respondetur : Modi generales entis consequuntur omne ens vel in se vel in ordine ad aliud. Si primò, exprimunt in ente aliquid vel affirmative vel negative. Si affirmative, jam habetur *essentia* seu *res*, si quidem nihil affirmari potest de ente in se nisi ejus essentia ; si negative, habetur *unitas*, id est, indivisio entis. Si secundò, id est, si modi generales consequuntur omne ens in ordine ad aliud, vel consequuntur secundùm divisionem unius ab alio, et hinc habetur *aliquid* seu distinctio ; vel consequuntur secundùm convenientiam unius entis ad aliud, quod possit illud cognoscere et appetere ; et hinc habentur *verum* seu cognoscibile et *bonum* seu appetibile.

Sex igitur transcendentalia numerantur : *ens*, *res* seu essentia, *unum*, *aliquid*, *verum*, *bonum*. Quam doctrinam sic tradit S. Th., postquam dixit de modis specialibus entis :

Alio modo ita quòd modus expressus sit modus generaliter consequens omne ens, et hic modus dupliciter accipi potest : uno modo secundùm quòd consequitur omne ens in se ; alio modo, secundùm quòd consequitur unumquodque ens in ordine ad aliud. Si primo modo, hoc dicitur quia exprimit in ente aliquid affirmative, vel negative. Non autem invenitur aliquid affirmative dictum absolute, quod possit accipi in omni ente, nisi essentia ejus, secundùm quam esse dicitur; et sic imponitur hoc nomen *res*, quod in hoc differt ab ente, quòd ens sumitur ab actu essendi, sed nomen rei exprimit quidditatem sive essentiam entis. Negatio verò, quæ est consequens omne ens absolute, est indivisio ; et hanc exprimit hoc nomen *unum ;* nihil enim est aliud unum, quàm ens

(1) *De Veritate*, quæstio I, a. 1.

indivisum. Si autem modus entis accipiatur secundo modo, scilicet secundùm ordinem unius ad alterum, hoc potest esse dupliciter : uno modo secundùm divisionem unius ab altero ; et hoc exprimit hoc nomen *aliquid ;* dicitur enim aliquid quasi aliud quid. Unde sicut ens dicitur unum, in quantum est indivisum in se, ita dicitur aliquid in quantum est ab aliis divisum. Alio modo, secundùm convenientiam unius entis ad aliud. Et hoc quidem non potest esse nisi accipiatur aliquid quod natum sit convenire cum omni ente : hoc autem est anima, quæ quodammodo est omnia, ut dicitur in III *de Anima.* In animà autem est vis cognoscitiva, et appetitiva. Convenientiam ergo entis ad appetitum exprimit hoc nomen *bonum.* Unde in principio Ethicorum dicitur : bonum est quod omnia appetunt. Convenientiam verò entis ad intellectum exprimit hoc nomen *verum.* Omnis enim cognitio perficitur per assimilationem cognoscentis ad rem cognitam (1).

Primùm agendum est de ente, de quo statuuntur sequentia.

Thesis : *Idea entis* (necnon et realitas abstractissima quam exhibet) *est maxime transcendens, simplicissima, communissima, cuivis aliæ necessaria; notio entis est absolute prima, non est generica, neque proprie universalis ; non potest proprie definiri, neque differentiam suscipit, sed modum ; non est univoca, neque æquivoca, sed analoga. — Insuper, idea entis quæ est prima idea, est idea entis existentis potiùs quàm entis possibilis. — Nihilum, quod enti opponitur, concipi potest, sed non potest affirmari nisi cum limitatione.*

391. **Ideæ entis characteres.** — 1° *Ens est maxime transcendens.* Nam supergreditur omnia genera et est ultimus terminus analysis seu ascensùs mentis ad simplicia et abstractissima. Ultra substantiam et accidentia, ultra essentiam et possibilitatem... quid superest nisi ens ?

2° *Ens est simplicissimum.* Nam est omnino indivisibile : nec partes, nec species, nec accidentia habet.

3° *Ens est communissimum.* Nam est maxime prædicabile de omnibus. Quidquid existit aut concipitur est, in re vel in mente; est verum vel falsum, bonum vel malum, sed est tandem.

4° *Ens est maxime necessarium.* Nam, præter ens, nihil

(1) *De Veritate,* quæstio I, a. 1.

est; nec aliquid potest concipi sine ideâ entis, cûm ens sit objectum intellectûs.

5o *Idea entis est absolute prima*. tum in ordine temporis seu chronologico, tum in ordine logico. In ordine temporis; nam, cùm mens humana progrediatur a cognitione imperfectâ ad cognitionem perfectam, a notionibus magis communibus, sed confusis et indeterminatis, ad notiones minùs communes, determinatas et distinctas, ab ideâ entis proficiscatur oportet. In ordine logico; nam ceteræ notiones sunt ejus determinationes; nec aliquid præter ipsum ens cognoscibile est. Unde ait S. Th. : « Ens, cujus intellectus includitur in omnibus quæcumque quis apprehendit » (1) et alibi : « Primò in conceptione intellectûs cadit ens » (2).

Attamen animadvertamus ideam quæ est prima in ordine temporis esse *confusam;* ideam verò quæ est prima in ordine logico esse *claram*. Hæc est ultimus terminus analysis et initium synthesis.

6o *Idea entis non est generica*. Nam præter genus est differentia; sed præter ens nihil est.

7o *Non est proprie universalis*. Nam omnia universalia proprie dicta (genus, species, etc.) circumscribuntur; ens autem limites non suscipit.

8o *Ens proprie non definitur*. Nam omnis definitio proprie dicta et perfecta fit per genus et differentiam.

9o *Idea entis differentiam non suscipit, sed modificatur*. Nam non potest determinari per aliquid sibi extrinsecum. At contrahitur per modum expressioris conceptûs; quo pacto Deus et creatura, substantia et accidens proprie non differunt inter se, sed distinguuntur propter ipsam rationem entis. Ad rem S. Th.:

Quod primò intellectus concipit quasi notissimum, et in quod omnes conceptiones resolvit, est ens... Unde oportet quòd omnes aliæ conceptiones intellectûs accipiantur ex additione ad ens. Sed enti nihil potest addi quasi extranea natura, per modum quo differentia additur generi; quia quælibet natura essentialiter est ens... Sed secundùm hoc aliqua dicun-

(1) 1a 2æ q 94, a. 2.
(2) 1a, q. 5, a. 2.

tur addere supra ens, in quantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur... Substantia non addit supra ens aliquam differentiam... Sed nomine substantiæ exprimitur specialis modus essendi (1).

10° *Tandem idea entis non est univoca, neque æquivoca, sed analoga.* Non est univoca; nam ens non prædicatur de omnibus eodem modo, secundùm eamdem rationem seu definitionem. Non est æquivoca; nam ens prædicatur non metaphorice, sed realiter de omnibus. Igitur est analoga (v. de ideis anal. n° 52). Ita ens prædicatur de Deo et de creaturâ, non propter aliquid eis commune, sed quia ens finitum creaturæ est imago entis infiniti et divini.

392. **Objectio.** — Si ens prædicaretur analogice de Deo et creaturis, jam non possemus cogitare creaturas, nisi priùs Deum cogitaremus, sicut dixerunt ontologi. Nam, in analogiâ attributionis, minus analogatum non concipitur nisi per respectum ad majus analogatum : ita alimentum dicitur *sanum* propter sanitatem corporis, quæ prior concipitur.

Resp. — Non possumus quidem cogitare creaturas ut creaturas, id est, conceptu relativo, nisi priùs Deum cogitemus; sed possumus cogitare creaturas ut entia, id est, conceptu absoluto, etsi Deum non cogitamus. Ens enim creatum dicitur ens propter suam formam intrinsecam, non autem propter extrinsecam habitudinem.

393. **Idea entis existentis est prior ideâ entis possibilis.** — Priusquam ostendatur hujus asserti veritas contra Rosminium, animadvertamus significationem entis esse triplicem : 1° Ens significat existentiam seu actum essendi et describitur : « id cujus actus est esse » seu existere ; — 2° Significat essentiam seu rem, et in hoc sensu ens et res convertuntur ; — 3° Significat compositionem prædicati cum subjecto. Hæc tria inveniuntur in judicio, ubi verbum esse est copula, subjectum est res, prædicatum autem actus rei seu ejus determinatio. Jamvero dicimus ens ut existens seu prædicatum esse prius cognitum.

394. **Probatur.** — 1° Nam id cujus medio aliquid appre-

(1) Quæstio I de Veritate art. 1.

henditur seu cognoscitur, sane est prius in ordine cognitionis; atqui ens ut ens seu existens est id cujus medio essentia seu possibile apprehenditur seu cognoscitur. Ergo. Unde resolvitur idea alicujus possibilis in ideam alicujus esse; possibile enim est id quod *esse potest.*

2° Alio modo, essentia se habet ad existentiam sicut potentia ad actum; porro potentia cognoscitur per actum : ex. gr. potentia intelligendi cognoscitur per actum intelligendi.

3° De quacumque re duo quæri possunt : An sit res? Quid sit res? Sed quæstio de existentiâ (An sit res?) sane est prima absolute — Ceterùm, non diffitemur quarumdam rerum naturam seu essentiam et possibilitatem cognosci ante earum existentiam; sed hæc prioritas est relativa.

4° Intellectus noster cognoscit primò id quod in se ipsum agit; hoc autem est in actu seu existens. Unde S. Th. : « Primò in conceptione intellectûs cadit ens, quia secundùm hoc unumquodque cognoscibile est in quantum est actu » (1).

395. **Objectio.** — Multa sunt possibilia, quæ tamen non sunt, nec fuerunt nec erunt unquam. Igitur idea entis possibilis magis patet quàm idea entis existentis; ideoque est communissima et prima.

Resp. — Entia possibilia sunt utique majori numero quàm entia existentia; attamen Ens existens supremum, quod est Deus, quacumque perfectione possibili gaudet ideoque plus entis habet quàm omnia possibilia simul. Ceterùm, ipsa idea entis possibilis non magis patet quàm idea entis existentis, cùm ipsam includat.

396. **Corollaria.** — Cùm ideæ *entis*, *existentiæ* et *actûs* sint priores ideis *rei*, *essentiæ* et *potentiæ*, pariter *verbum* erit absolute prius *nomine*, *participium* erit prius *adjectivo*, *attributum* erit prius *subjecto*

2° Liquet etiam ex dictis ens ut *ens*, seu quatenus participium et prout dicit existentiam actualem, non prædicari essentialiter et necessarie de creaturis, sed solummodo de Deo ; sed ens ut *res*, seu quatenus nomen et prout dicit essen-

(1) 1a, q. 5, a. 2.

tiam, prædicari de omnibus creaturis, atque de omnibus entibus realibus, etiam incompletis, necnon de universalibus, non autem de contradictoriis, negationibus, privationibus, nihilo, etc., cùm ista nullam essentiam habeant.

397. **Idea et affirmatio nihili**. — Nihilum concipi potest, sed affirmari nequit nisi cum limitatione. Etenim nihilum est remotio entis, negatio sive absentia entis ; unde non habet aliquid commune cum ente, a quo maxime distat. Nihilum autem est multiplex : aliud est negatio existentiæ ; aliud negatio essentiæ seu impossibilitas absoluta ; aliud nihilum quod est pura negatio (ex. gr. cæcitas in lapide), et aliud quod est privatio (ex. gr. cæcitas in Paulo). Jamvero dicimus nihilum, etiam absolutum, concipi posse, non quidem per se, sed per ens cui opponitur. Nam idea nihili de quâ nunc agitur, non est idea *entis-nihili*, quæ repugnat, sed *conceptus verus non-entis* : necesse est enim ut intellectus, eo ipso quòd ens intelligit, non-ens sive nihilum intelligat.

Deinde dicimus nihilum affirmari non posse sine limitatione. Nam, vel 1° nihilum affirmatur de seipso (*nihilum est nihilum*); vel 2° nihilum affirmatur de aliquo (ex. gr. : *mons aureus est nihilum*); vel 3° affirmatur aliquid de nihilo (ex. gr. : *nihilum est idea*); vel 4° nihilum affirmatur absolute (*nihilum est*). Porro in 1° casu, nihil statuitur, sed est forma negativa principii identitatis; in 2° et in 3°, affirmatur nihilum cum limitatione ; in 4°, affirmatio est absurda, utpote contradictionem implicans.

CAPUT XXI

DE ESSENTIA ET EXISTENTIA

398. **Essentia. Existentia**. — Essentia est *id quo res est id quod est*. Definiri proprie nequit, cùm sit notio transcendens genera, et aliunde definitio fieri debeat exhibendo essentiam. Declaratur tamen his verbis : Essentia est id quo res constituitur in propriâ naturâ et a ceteris rebus discriminatur ; est id quo respondetur interroganti : quid sit res ? Essentia est

radix et subjectum omnium proprietatum quæ in re sunt, id quod primò in re concipitur.

Hinc essentia differt ab existentiâ, quæ ei additur, non tanquam *accidens* proprie dictum, sed tanquam *modus* transcendens. Nam essentia potest non existere; igitur se habet tanquam subjectum respectu existentiæ, quam recipit; essentia se habet ad existentiam sicut potentia ad actum, sicut adjectivum ad participium (ex. gr. *amabilis* et *amatus*), sicut nomen ad verbum (ex. gr. *amor* et *amare*), sicut *id quo est* ad *id quod est*.

Ex his videtur quomodo essentia differt a proprietatibus et accidentibus, quæ ab eâ fluunt aut ei accidunt : proprietates enim rem non constituunt, sed eam distinguunt; accidentia autem possunt adesse vel abesse.

399. **Natura. Forma substantialis. Species.** — Nunc intelliguntur etiam varia synonyma essentiæ : *Natura*, *forma substantialis*, *species*. *Natura* est essentia quatenus principium operationis : est quasi medium logicum inter essentiam et operationem. *Forma substantialis* est etiam ipsa essentia aut pars principalis et determinans essentiæ. Nam, si essentia est simplex (ex. gr. anima humana, angelus), forma substantialis jam non differt ab ipsâ essentiâ; si verò essentia est composita (homo), forma substantialis est id quod determinat et specificat essentiam. Tandem *species* est ipsa essentia quatenus objectum definitionis, ideoque species est potiùs essentia logica quàm essentia realis.

400. **Essentia logica, essentia realis.** — Distinguimus enim essentiam logicam ab essentiâ reali. Hæc exurgit ex principiis physicis, realibus, quibus res in se constituitur : ex. gr. essentia hominis quatenus constat animâ et corpore. Illa exurgit ex genere et differentiâ quibus res definitur et intelligitur : ex. gr. essentia hominis quatenus constat animalitate et rationalitate. Nunc de essentiis sequentia statuuntur :

Thesis. — *Essentiæ rerum sunt indivisibiles, immutabiles, æternæ, necessariæ, infinitæ. — Plures nobis sunt cognoscibiles. Videntur autem realiter differre ab ipsâ existentiâ.*

401. **Essentiæ sunt indivisibiles**. — Nam. si essentia minueretur, hoc ipso destrueretur; *est* ergo *in indivisibili*, ut aiunt scholastici. Sane entia seu res, aut potiùs elementa quibus constant, dissolvi possunt; sed non ipsa entium seu rerum essentia. Ex. gr. hominis anima et corpus morte dissolvuntur; sed semper de essentiâ hominis est ut habeat corpus et animam. Essentiæ sunt sicut numeri, quibus si aliquid subtrahatur, jam numerus evadit alter. Apposite S. Th. :

Si aliquid addatur vel subtrahatur alicui numero, etiamsi sit minimum, non erit idem numerus secundùm speciem. Minimum enim in numeris est unitas, quæ si addatur ternario, surgit quaternarius, quæ est alia species numeri. Et hoc ideo, quia illa ultima differentia dat speciem numero. Et similiter est in definitionibus... quia, quocumque minimo addito vel ablato, est alia definitio et alia natura speciei. Sic enim substantia animata sensibilis tantùm, est definitio animalis, cui si addas et rationale, constituis speciem hominis; si autem subtrahas sensibile, constituis speciem plantæ (1).

402. **Essentiæ sunt immutabiles**. — Nam si aliqua res mutaret essentiam suam in aliam, jam illa res gauderet aliquâ essentiâ non suâ; sed hoc plane repugnat, siquidem illa res jam non esset id quod est, utpote non habens essentiam suam, et aliunde esset id quod non est, utpote habens essentiam non suam. Præterea, ut dictum est, essentia minui nequit; sed propter eamdem rationem nequit augeri. Est ergo immutabilis et incorruptibilis.

403. **Essentiæ sunt æternæ**. — Essentiæ sunt æternæ, inquam, æternitate quidem negativâ, non verò positivâ, id est, in statu intelligibilitatis, non verò existentiæ. Nam illud quod præscindit omnino a tempore (a successione, motu) est æternum. Atqui essentiæ præscindunt omnino a tempore : semper a Deo cognitæ sunt quales sunt; earum veritas vicissitudini non subjicitur; definitiones omnes (hominis, trianguli, etc.) sunt absolute et semper veræ. Præterea, essentiæ sunt immutabiles, ut dictum est; sed immutabilitas non dif-

(1) *In lib.* VIII *Metaph.* lect. III. — Cf. 1a q. 50, a. 2, ad 1.

fert ab æternitate. Sane essentiæ reales inceperunt, sed non ideo proprie mutatæ sunt; nam mutatio est transitus ab uno termino reali ad alium.

404. **Essentiæ sunt necessariæ.** — Id est, sunt necessarie possibiles, seu necessariæ in ordine ideali; in ordine autem reali non possunt esse aliter quàm sunt.

405. **Essentiæ sunt infinitæ.** — Infinitæ extensione, non verò comprehensione et entitate. Nam essentiæ, sicut genera et species, inveniri possunt in individuis numero indefinito : ex. gr. ratio seu natura hominis participari potest sine fine, in omni loco et in omni tempore. Unde essentiæ, sicut universalia, *sunt ubique et semper*.

406. **Essentiæ et universalia.** — Et revera essentiæ conveniunt cum universalibus. Essentia logica idem est ac universale formale, reflexum (genus, species, etc.); essentia autem realis seu natura idem est ac universale directum, quod est in rebus.

407. **Omnis essentia estne simplex ?** — Hìc quæritur : Utrùm essentiæ rerum sint simplices an compositæ ? Cartesius existimat essentias rerum esse omnino simplices, easque in unicâ proprietate consistere, a quâ ceteræ secundùm ordinem procedunt. Hæc proprietas unica et fundamentalis esset pro spiritu *cogitatio* ; pro corpore *extensio*. Scholastici existimant omnes essentias rerum (excipitur essentia divina) esse compositas utcumque, realiter aut saltem logice. Quod sic probant :

Omnia entia ejusmodi sunt ut conveniant cum aliis, saltem vicinis, propter aliquam similitudinem, et discriminentur propter aliquam proprietatem.

Aliis verbis, omnes essentiæ, utpote definitionis capaces, constant genere et differentiâ. Exinde saltem duo principia. Non ideo tamen ipsa essentia est divisibilis

408. **Plures essentiæ a nobis cognoscuntur.** — Secundùm Lockium et generatim sensistas et nominales, omnes essentiæ essent nobis ignotæ. Asserit Lockius definitionem esse meram explicationem alicujus vocabuli per alia, quæ

significant solùm qualitates sensibiles aut phænomena, ideoque definitionibus nullo modo exprimi ipsas essentias rerum. Hinc dicebat hominem necessariò ignorare utrùm materia sit capax cogitationis necne. Nos autem fatemur quidem multas essentias esse nobis ignotas, aut imperfecte cognitas (ut videtur ex. gr. ex ordinatione sæpissime incertâ animalium et plantarum) ; sed asserimus non paucas essentias a nobis satis cognosci ut a ceteris discriminentur. Qnod sic probatur :

1º Probatur ex distinctione existentiæ ab essentiâ. Omnes existentiæ rerum sunt mutabiles, variabiles, cùm tamen scientia nostra sæpissime necessarium et absolutum quodam modo attingat. Ergo cognoscimus non solùm existentias rerum, sed etiam essentias ; scimus non solùm *an sint res*, sed etiam plus minusve *quid sint*.

2º Probatur experientiâ et sensu communi. Constat enim nos devenire ratiocinando in quosdam conceptus et quasdam definitiones quibus exhibentur principia essentialia rerum : ex. gr. conceptus et definitiones hominis, animalis, plantæ. Nisi homo destituatur intellectu proprie dicto, frustrari omnino nequit a cognitione absoluti et essentiæ, cùm objectum proprium intellectûs sit absolutum et essentia rerum.

3º Probatur ex eo quòd cognitio aliqua essentiarum necessariò infertur ex cognitione proprietatum earum. Nam, ipso Lockio fatente, quasdam proprietates rerum cognoscimus. Sed proprietates reales inducunt in cognitionem essentiarum quibus inhærent et unde dimanant.

4º Saltem essentiæ rerum artificialium (domus, horologium, etc.) ab artifice cognoscuntur. Cur ergo homo non posset unquam rerum naturalium detegere essentiam ?

5º Tandem hæc doctrina objectivitatem seu realitatem universalium consequitur. Sane universalia, formaliter sumpta, sunt aliquid subjectivum ; sed inveniuntur in rebus quoad rem apprehensam aut legitime deductam ; et ideo ipsam essentiam rerum exprimunt.

409. **Utrum essentia, in creatis, differat realiter ab earum existentiâ.** — Nunc occurrit quæstio difficillima de

distinctione, in creatis, essentiæ ab existentiâ. Hæc definiri proprie nequit, sed declaratur : *ultima rei actualitas in lineâ entis*, seu : *id quo res actu sistitur in seipsa seu extra conceptum mentis, extra causam suam efficientem et causam suam exemplarem*, seu : *ens in actu* (vide nº 398).

Jamvero, quæstio non est de Deo, siquidem Deus est purus actus, existit essentiâ suâ : quæstio est solummodo de creaturis. Nec agitur de distinctione essentiæ logicæ ab existentiâ : hæc enim distinctio est indubia. Sed agitur de distinctione, et quidem reali, essentiæ creatæ ab existentiâ.

Alii affirmant hanc distinctionem, in primis S. Th., qui hæc et alia similia scribit : « Esse comparatur ad essentiam, *quæ est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam. Cùm igitur in Deo nihil sit potentiale..., sequitur quòd non sit aliud in eo essentia quàm suum esse.* » (1) — « *In omni autem creato* essentia differt ab ejus esse et comparatur ad ipsum sicut potentia ad actum » (2). Alii negant hanc distinctionem, in primis Suarez. Alii putant hanc distinctionem esse verisimilem aut etiam verisimillimam, non autem evidentem et demonstratam. Alii etiam, nempe scotistæ, admittunt quamdam distinctionem *formalem*, quæ major esset quam distinctio logica, sed minor quam distinctio realis.

410. **Rationes sententiæ thomistarum**, — 1° Sic arguit Sanseverino : Si existentia esset unum idemque cum essentiâ, certe hæc sine illâ intelligi non posset. Atqui indubium est nos posse intelligere essentiam alicujus rei, quin ipsam esse in rerum naturâ, sive existere intelligamus. Essentia igitur atque existentia non sunt unum idemque, sed aliud est essentia, aliud verò existentia.

Respondent adversarii essentiam quidem idealem seu logicam alicujus rei concipi posse sine existentiâ, non autem essentiam realem ; porro agitur de distinctione hujus realis essentiæ et existentiæ.

Revera conceptus utriusque sunt distincti, sed distinctio ista est forsan mere logica.

(1) 1a, q. 3, a. 4.
(2) 1a, q. 54, a. 3.

2° Si existentia in rebus creatis esset unum idemque cum essentiâ, res creatæ per suam essentiam existere dicendæ forent. Sed hoc est proprium Dei.

Resp. — Res existerent quidem per suam essentiam realem ; sed essentia non evadit realis per seipsam. Aliis verbis, essentia logica rerum seu veritas earum est semper distincta ab earum existentiâ.

3° Sic argumentatur card. Zigliara : Existentia quæ est idem realiter ac essentia realis est una tantùm et necessaria, est infinita, est improducta, nempe Deus. *Est una.* Nam, si plures essent hujusmodi existentiæ subsistentes, ad invicem distinguerentur aut ratione ipsius existentiæ, aut ratione alterius distinctivi. Non autem distinguerentur ratione existentiæ, quia existentia ut existentia non patitur diversitatem. Sed neque distinguerentur ratione alterius distinctivi, quia, in hypothesi, existentia et essentia non differunt. Ergo, si existentia in rebus creatis est realiter ipsamet earum essentia, ideo esset unica realiter in omnibus, et unica realiter esset omnium essentia — *Est necessaria.* Nam essentiæ sunt necessariæ, ut probatum est supra — Est infinita. Nam existentia pura, quæ non limitatur per essentiam in quâ recipitur tanquam in subjecto et potentiâ est infinita — Est *improducta* propter eamdem rationem (1).

Resp. — Negare possunt adversarii existentiam quæ est idem ac essentia esse hoc ipso unam, necessariam, infinitam. Est una quidem conceptu, sed revera multiplex in entibus. Conceptus entis est quidem unus, sed non ideo est unum ens. Neque est necessaria ; nam essentiæ reales non sunt necessariæ simpliciter et absolute. Neque etiam est infinita, cùm ex possibili fiat realis, etc.

411. **Sententia Suarezii.** — Argumentum præcipuum Suarezii est ejusmodi. Essentia realis de quâ nunc agimus, debet esse actualis et producta, non autem mere possibilis. Sed hæc essentia actualis et producta constitui debet aliquâ entitate quæ ab ipsâ non differat et aliud esse non potest nisi existentia.

(1) *Summa philosophica*, Ontologia, l. II. c. I art. 6.

Resp. — Sane essentia actualis et producta constitui debet aliquâ entitate quæ ab ipsâ non differat; sed actuari potest formaliter per principium a se distinctum, quod vocatur existentia. Jam hoc pacto essentia realis se habet ad existentiam suam sicut materia realis ad formam suam, potentia realis ad actum suum.

412. **Animadversiones**. — Ut paulo magis hæc omnia clarescant, animadvertamus sequentia :

1° *Habere actum* seu *existentiam* non est idem ac *esse actus seu existentia*. Essentia realis habet actum seu existentiam, sed non est sua existentia ; est existens, sed non ipsa existentia. Sane essentia realis dici potest actus respectu essentiæ logicæ, sed est potentia respectu existentiæ.

2° Creatura quæ producitur non est essentia sola, neque existentia sola, sed utraque, ex utrâque exurgit ; essentia et existentia unum compositum ingrediuntur, sicut potentia et actus, materia et forma.

3° Quamvis essentia et existentia realiter differant, non ideo existere possunt separatim. Multa sunt enim realiter distincta inter se, quarum una ab alterâ sejungi nequit : ita intellectus et anima, materia et forma.

413. **Conclusio**. — Ex his liquet doctrinam de distinctione reali essentiæ ab existentiâ, in creaturis, esse saltem verisimilem. Optime consonat ceteris scholæ doctrinis de simplicitate Dei et compositione creaturarum. Deus solus est actus purus, existens per essentiam suam et absolute simplex. Angeli sunt compositi ex potentiâ et actu, ex essentiâ et existentiâ ; sed eorum essentia est simplex. Hominis autem et aliarum creaturarum essentiæ sunt compositæ ex materiâ et formâ. Itaque entia hujus mundi sunt corruptibilia, divisibilia, mortalia. Si non vivunt, eorum materia est indefinite divisibilis ; si autem vivunt, eorum materia eo minùs est divisibilis quo major est vitæ perfectio.

CAPUT XXII

DE POTENTIA ET ACTU ET SPECIATIM DE POSSIBILIBUS

414. **Potentia et actus**. — Notiones potentiæ et actûs sunt nobis obviæ. Nam, cùm apprehendimus quasdam res mutari atque transire ab unâ formâ ad aliam, ab unâ operatione ad aliam, statim intelligimus illas res modò esse *in potentiâ* ad talem formam vel operationem, et modò esse *in actu*. Aliud ergo est *actus* qui perficit potentiam, et aliud *potentia*, quæ perficitur actu et ad illum ordinatur. Unde jam videmus actum se habere ad potentiam sicut *existentia* ad *essentiam*, *esse* ad *rem*, *perfectum* ad *imperfectum*.

Pressiùs describitur potentia : *principium seu aptitudo aliquid suscipiendi vel faciendi, patiendi vel agendi*. Hæc descriptio quamcumque potentiam comprehendit : physicam et moralem, activam et passivam, meram possibilitatem et potentiam realem. Igitur has diversas potentias dignoscere oportet.

415. **Potentia realis et potentia logica**. — Alia est potentia *realis*, seu objectiva, et alia potentia *logica* seu subjectiva. Hæc est mera possibilitas, quæ consistit in purâ non repugnantiâ ad existendum. Quidquid positive concipi vel excogitari potest, est hoc modo possibile. E contrario, potentia realis seu objectiva invenitur jam extra mentem, in aliquo subjecto reali. Ex. gr cogitatio et ipsa potentia cogitandi non sunt meræ possibilitates in homine, cùm homo facultatem habeat cogitandi.

416. **Potentia activa et potentia passiva.** — Potentia realis est *activa* vel *passiva*. Hæc est principium per quod alicui competit ut moveatur vel patiatur ab alio : ex. gr. potentia marmoris respectu statuæ. Illa est principium seu aptitudo agendi : ex. gr. potentia sculptoris respectu ejusdem statuæ.

417. **Potentia obedientialis**. — Theologi distinguunt po-

tentiam *naturalem* et potentiam *obedientialem*. Illa invenitur in creaturis per comparationem ad agens naturale; hæc autem, per comparationem ad agens primum seu Deum, « Cui omnis creatura obedit ad nutum », ut ait S. Th. Potentiam obedientialem esse in creaturis indubium est, cùm eadem res sit in potentiâ ad diversa, majora vel minora, prout a diversis agentibus movetur. Attamen requiritur aliqua aptitudo in instrumento, seu aliqua convenientia inter potentiam quâ utitur Deus et effectum. Unde, ex. gr., Deus elevare potest quidem intellectum humanum ad videndam essentiam divinam; sed oculus carnalis est absolute incapax hujus visionis. Item Deus uti non potest aliquâ creaturâ ad creandam aliam, non propter defectum suæ potentiæ sed propter impotentiam absolutam creaturæ ad talem effectum (1).

418. **Actus.** — *Actus* de quo nunc agendum est, utpote notio et realitas transcendens, non est *actio* quæ inter categorias numeratur; sed est ipsa entis perfectio.

419. **Actus purus. Actus primus. Actus secundus.** — Primò distinguitur actus *purus* ab actu non puro. Ille non est admixtus potentiæ, ideoque non est actus alicujus potentiæ (sicut, ex. gr., anima humana), nec ipse ordinatur tanquam potentia ad actum ulteriorem (sicut angelica forma). Deus solus est actus ejusmodi, utpote nihil potentiale continens.

Deinde distinguitur actus *primus* ab actu *secundo*. Ille est qui non supponit alium, sed est fundamentalis : ita forma substantialis, quæ dat primum esse. E contrario, actus secundus primo accedit : ita ratio et cogitatio in homine. Animadverte actum qui est secundus respectu alicujus prioris, esse aliquo modo primum respectu ulterioris : ex. gr. ratio, quæ est facultas, est actus secundus respectu animæ, sed actus primus respectu ratiocinationis.

420. **Actus subsistens, actus non subsistens.** — Ratione modi existendi, actus dicitur subsistens vel non subsistens : *subsistens*, si existit aut existere potest solus : ita angelus

(1) 1ª, q. 45, a. 5. Cf. etiam, nos 585 et 1121.

et anima humana, quæ tamen non subsistit nisi incomplete sine corpore; — *non subsistens*, si existere nequit absque subjecto seu materiâ. Qui iterum duplex est, substantialis vel accidentalis : *substantialis*, si dat primum esse suæ potentiæ (ita omnes formæ substantiales quæ non sunt spirituales); *accidentalis*, si dat solummodo esse tale (ita omnes formæ accidentales). Nunc intelliguntur axiomata quæ sequuntur.

421. **Axiomata de potentia et actu.** — 1º *In tantum aliquid est perfectum in quantum est in actu.* Actus enim est perfectio.

2º *In tantum aliquid agit in quantum est in actu; patitur verò in quantum est in potentiâ.*

3º *Omne ens mutabile constat potentiâ et actu.*

4º *Potentia, quatenus talis, nequit per semetipsam ad actum determinari, sed determinatur ab alio principio in actu.* Potentia enim, quatenus talis, est passiva, caret actu; sed effectus est similis causæ.

5º *Actus omnino purus est perfectus et infinitus.*

6º *Sed actus qui est purus in aliquo ordine tantùm, id est relative, non est perfectus simpliciter.*

7º *Potentia quæ ordinatur essentialiter ad aliquem actum est in eodem genere supremo ac ille actus*, id est, si potentia fuerit in genere substantiæ, actus erit in genere substantiæ (ex. gr. in homine corpus est ordinatum essentialiter ad animam, quæ est realitas substantialis, sicut et corpus); si verò potentia fuerit in genere accidentis, actus erit in genere accidentis. (Ex. gr. in animâ, facultas intelligendi seu intellectus ordinatur essentialiter ad actum intelligendi, qui est accidens, sicut et ipsa facultas).

8º *Unde actus et potentia dividunt ens et quodlibet genus entis*, id est, actus et potentia ubique inveniuntur in ente, in substantiâ et in accidente.

422. **Possibile Nihilum.** — Nunc potentiam logicam seu possibile spectemus. Possibile est id quod potest esse. Differt igitur a nihilo, quod est negatio entis, dum possibile est affirmatio entis limitata. Possibile est non-ens reale, sed est ens ideale; non habet existentiam, sed essentiam; est intelligibile

per actum ad quem ordinatur, dum nihilum concipitur per ens cui opponitur.

423. **Possibile intrinsecum, possibile extrinsecum.** — Distinguitur possibilitas intrinseca, absoluta, metaphysica, a possibilitate externâ et relativâ. Illa est mera non repugnantia idearum. Possibilitas autem externa seu relativa habetur ex comparatione cum aliquâ causâ sufficiente. Iterum duplex est, physica vel moralis : *physica*, si causa quæ consideratur est sufficiens in se; *moralis*, si non obstant circumstantiæ aut alia impedimenta.

Triplex igitur distinguitur possibilitas : *metaphysica*, *physica* et *moralis*, cui opponitur triplex impossibilitas. Multa sunt impossibilia moraliter, quæ non sunt impossibilia physice, et multa sunt impossibilia physice causis creatis (miracula), quæ non sunt absolute seu metaphysice impossibilia. Quidquid est possibile absolute est possibile Deo. Ratio impossibilitatis metaphysicæ est carentia intelligibilitatis seu veritatis. E contrario, ratio ultima possibilitatis metaphysicæ est rei intelligibilitas seu veritas.

424. **Errores de possibili.** — Sed jam nobis occurrunt errores de possibili ejusque fundamento. Plures dixerunt non esse aliquid mere possibile, sed omnia esse necessaria. Qui confutantur ubi de libertate sive Creatoris sive creaturæ agitur. Alii dixerunt non esse aliquid impossibile et omnia esse possibilia, sed confutati sunt simul cum scepticis. Alii erraverunt circa ultimum fundamentum possibilitatis, quos confutamus in thesi sequenti :

Thesis. — *Essentiæ non idcirco existere possunt, id est sunt intrinsece possibiles, quòd a nobis concipiuntur, — vel quòd existunt, — sed eorum possibilitas a solo Deo dependet ; — et quidem a Deo non spectato in potentiâ suâ infinitâ, — neque in voluntate suâ liberâ, — sed in suo intellectu et tandem in suâ essentiâ : breviùs, res sunt possibiles primùm et formaliter quia a Deo concipiuntur, et ultimò quia Deus existit.*

425. **Possibilitas rerum et intellectus humanus.** — Non ideo essentiæ sunt intrinsece possibiles quia eas conci-

pimus, quamvis contradicant Wolfius et Genuensis. Sane signum est certissimum possibilitatis alicujus rei, si eam positive concipere possumus; sed hoc est effectus, non autem causa possibilitatis intrinsecæ. Nam intellectus noster non est mensura rerum, sed rebus mensuratur. Possibilitas rerum pendet quidem a veritate earum absolutâ; sed hæc veritas a veritate nostrâ non dependet. Sicut essentia rerum est æterna et immutabilis, ita et earum possibilitas. Unde a nostrâ cogitatione est independens omnino.

426. **Possibilitas rerum et earum realitas**. — Sed neque ab earum existentiâ possibilitas intrinseca rerum pendere potest. Nam existentia rerum est contingens, temporalis, mutabilis, dum possibilia, sicut essentiæ ipsæ, sunt necessaria, æterna, immutabilia. Sane possibile manifestatur nobis per actum ad quem ordinatur; sed alius est ordo cognitionis humanæ et alius entium ordo absolutus, alius ordo logicus et alius ordo metaphysicus.

427. **Omnis possibilitas a Deo**. — Quidam dixerunt res a Deo pendere quoad existentiam tantùm; unde earum possibilitas vel impossibilitas absoluta esset a seipsa. At falsò. Nam possibilitas intrinseca rerum seu essentia logica earum non est nihilum purum, sed ens ideale seu intelligibile. Atqui omne ens intelligibile pendet a Deo, tanquam a primâ veritate. Deinde, si Deus non existeret, possibilia non distinguerentur a nihilo absoluto, cùm nullibi essent, neque in seipsis, neque in aliquo intellectu.

428. **Quomodo possibilia a Deo pendent**. — De modo dependentiæ possibilium a Deo philosophi inter se discordant. Occamus dixit res esse possibiles intrinsece quia Deus eas facere potest, et sic videtur possibilitatem intrinsecam a possibilitate extrinsecâ non distinguere. Cartesius dicit res esse possibiles tandem quia Deus sic voluit; unde etiam principia metaphysicæ et axiomata mathesis non nisi a determinatione liberâ Dei penderent. At falsò.

429. **Sententiæ Occami critica**. — Non ideo res sunt possibiles quia Deus eas potest facere. Nam potentiæ divinæ

objecta sunt res existentes et contingentes ; possibilia autem sunt aliquid ideale, absolutum, necessarium ; unde possibilia non pendent a divinâ potentiâ. Ceterùm ut ait S. Th. :

Si dicatur quòd Deus sit omnipotens quia potest omnia quæ sunt possibilia suæ potentiæ, erit circulatio in manifestatione omnipotentiæ : hoc enim non erit aliud quàm dicere quòd Deus est omnipotens quia potest omnia quæ potest. Relinquitur igitur quòd Deus dicatur omnipotens quia potest omnia possibilia absolute ; quod est alter modus dicendi possibile. Dicitur autem aliquid possibile vel impossibile absolute ex habitudine terminorum. Possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subjecto, ut Sortem sedere ; impossibile verò absolute, quia prædicatum repugnat subjecto, ut hominem esse asinum (1).

430. **Sententiæ Cartesii critica.** — Falsa est sententia Cartesii. Nam 1° impossibilia intrinsece, cùm repugnent et quacumque veritate destituantur, sunt nìhilum purum, ideoque nequeunt esse objectum et terminus voluntatis et potentiæ Dei.

2° Si vera esset sententia Cartesii, jam scientia humana non versaretur nisi circa contingens et mutabile; nam essentiæ rerum quæ sunt objectum scientiæ, evaderent contingentes et mutabiles sicut ipsa existentia ; unde scientia destrueretur.

3° Tandem sententia Cartesii sensui communi adversatur. Nam cùm dijudicant homines possibile intrinsece ab impossibili, ad voluntatem divinam non attendunt sed solummodo ad habitudinem terminorum.

Patet nunc veritas totius theseos : rerum possibilitas intrinseca pendet a divino intellectu, in quo ab æterno sunt omnia intelligibilia. Sed intellectus divinus non differt realiter ab ipsâ essentiâ divinâ, quæ intelligit. Unde res sunt possibiles primò et formaliter quia Deus eas intelligit, ultimò quia Deus existit.

431. **Objectiones.** — 1° Sequeretur res possibiles non differre ab ipsis ideis divinis et ab ipsâ essentiâ divinâ; hoc autem pantheismum involvit.

(1) 1ª, q. 25, a. 3.

Resp. — Sane ideæ divinæ re non differunt ab ipsâ essentiâ; sed aliud exprimunt, scilicet creaturas. Unde essentia est unica, sed ideæ sunt multiplices. Ceterùm, verum est essentiam logicam rerum, seu earum intelligibilitatem et possibilitatem intrinsecam non differre ab ideis divinis; sed aliud est essentia logica et aliud essentia realis seu creata.

2° Ex dictis tamen sequeretur res mundanas per creationem educi ex earum possibilitate.

Resp. — Educuntur ex earum possibilitate, quatenus antea erant possibiles; sed educuntur ex nihilo quatenus antea non existebant neque materialiter neque formaliter. Sane essentia logica rerum non est materia ex quâ fiunt, sed idea quâ præcognoscuntur et veræ sunt.

3° Possibilitatem intrinsecam rerum concipere possumus, quamvis Deum non cogitemus, ergo a Deo non pendet.

Resp. — Etiam existentiam rerum apprehendere possumus, etsi Deum non cogitemus. Ceterùm, indubium est tam possibilitatem quàm existentiam rerum perfectiùs cognosci ex primâ Veritate et ex primâ Potentiâ.

4° Intellectus, etiam divinus, præsupponit objectum suum; ergo præsupponit essentias rerum.

Resp. — Omnis intellectus præsupponit quidem objectum suum primarium, essentiale; sed objectum primarium divini intellectùs non est aliud nisi essentia divina, quâ ceteræ essentiæ cognoscuntur.

CAPUT XXIII

DE UNITATE ET DISTINCTIONE

432. **Unum, unitas. Multitudo.** — Unum est *ens indivisum in se.* Unde unitas est *indivisio.* Si verò definitur unum : « id quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio », jam definitio est duplex, utpote comprehendens duo transcendentalia, scilicet *unum* et *aliquid* (vide n° 390), seu unitatem proprie dictam et distinctionem.

Conceptus unitatis conceptum multitudinis absolute præ-

cedit; nam unum ponitur in definitione multitudinis. Apposite S. Th. :

Divisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc quòd utrique divisorum attribuimus unitatem. Unde unum ponitur in definitione multitudinis, non autem multitudo in definitione unius. Sed divisio cadit in intellectu ex ipsâ negatione entis. Ita quòd primò cadit in intellectum ens. Secundò, quòd hoc ens non est illud ens; et sic secundò apprehendimus divisionem; tertiò, unum; quartò, multitudinem (1).

433. **Unitas transcendentalis et unitas mathematica.** — Unitas transcendentalis de quâ nunc agitur non est unitas numerica seu mathematica. Hæc enim est accidens et tota versatur circa quantitatem; illa autem est ens ipsum quatenus indivisum. Unitas mathematica est in indivisione quantitatis; unitas vero transcendentalis est in indivisisione entis.

434. **Unitas quâ res constituuntur.** — Sane res constituuntur unitatibus transcendentalibus, non autem mathematicis. Ad hoc non satis attendentes quidam philosophi, in varios errores inciderunt. Unde S. Th. :

Quidam putantes idem esse unum quod convertitur cum ente et quod est principium numeri, divisi sunt in contrarias positiones. Pythagoras enim et Plato videntes quòd unum quod convertitur cum ente non addit aliquam rem supra ens, sed significat substantiam entis prout est indivisa, existimaverunt sic se habere de uno quod est principium numeri. Et quia numerus componitur ex unitatibus, crediderunt quòd numeri essent substantiæ omnium rerum. E contrario autem Avicenna, considerans quòd unum quod est principium numeri addit aliquam rem supra substantiam entis (aliàs numerus ex unitatibus compositus non esset species quantitatis), credidit quòd unum quod convertitur cum ente addat rem aliquam super substantiam entis; sicut album supra hominem. Sed hoc manifeste falsum est; quia quælibet res est una per suam substantiam (2).

435. **Unitatum species.** — Cùm unitas sit carentia divisionis, erit multiplex sicut ipsa divisio. Hinc :

1° Alia est unitas *simplicitatis* seu indivisibilitatis et alia

(1) 1a, q. 11. a. 2, ad 4.
(1) 1a, q. 11, a 1, ad 1.

unitas *compositionis*. Illa, quæ est perfectissima, quamcumque divisionem, etiam possibilem, excludit : ex. gr. unitas divinitatis, unitas essentiæ animæ. Unitas verò compositionis excludit solummodo divisionem actualem : ex. gr. compositum humanum ex animâ et corpore. Porro compositum ipsum es multiplex : aliud *naturale* (homo, planta); aliud *artificiale* (domus, tabula) ; aliud, quod est mera juxtapositio seu aggregatio (acervus lapidum).

2° Alio modo et breviùs, alia est unitas *essentialis* (unum per se) et alia *accidentalis* (unum per accidens), prout ens est unum propter ipsam essentiam, vel propter unionem accidentalem partium.

3° Distinguuntur etiam unitas *individualis* seu numerica, unitas *specifica* et unitas *generica*. Ex. gr. omnia animalia sunt unum *genere;* omnes homines sunt unum *specie;* Petrus est unum individuum. Ex his jam patet omne ens esse aliquo modo unum.

436. **Omne ens est unum.** — Unum enim non est aliquod accidens additum enti, ut putabat Avicenna, sed est ipsum ens quatenus indivisum : *ens et unum convertuntur*. Id est, omne ens est unum, et omne unum est ens, quidquid tribuitur uni tribuitur alteri. Ens consequitur indivisio et indivisionem consequitur ens ; imò ratio et perfectio unius est ratio et perfectio alterius. Quod sic explicari potest ampliùs.

1° Omne ens est id quod est per suam essentiam, seu omne ens est sua essentia. Atqui essentia est id quo unumquodque ens est tale et non aliud, seu essentia est una. Omne ens igitur est unum ; ens est id quod est per suam unitatem.

2° Adhuc, omne ens est id quod est per suam formam, substantialem vel accidentalem. Sed forma, ut talis, est una; nam, ut ait S. Aug. : « hoc est vere formari, in unum aliquod redigi. »

3° Huc etiam spectat argumentum quod affert S. Th. :

Unum nihil aliud significat quam ens indivisum. Et ex hoc ipso apparet quòd unum convertitur cum ente. Nam omne ens aut est simplex aut compositum. Quod autem est simplex, est indivisum et actu et potentiâ. Quod autem est compositum, non habet esse quamdiu partes ejus sunt divisæ, sed

postquam constituunt et componunt ipsum compositum. Unde manifestum est quòd esse cujuslibet rei consistit in indivisione. Et inde est quod unumquodque sicut custodit suum esse, ita custodit suam unitatem (1).

Clariùs, si aliquod ens non esset unum, jam non esset *unum ens* sed *plura entia*, quorum unumquodque unitate non careret. Quidquid est aut esse potest est individuum ac proinde unum.

Frustra igitur nobis objiciuntur distinctiones, varietates, oppositiones et contradictiones quæ in rebus ubique inveniuntur : defectus enim alicujus entis non tollit simpliciter unitatem ; sed omne ens remanet unum sicut remanet ens ; divisio non vincit ex unâ parte nisi ex aliâ parte vincat indivisio. Unde, ait S. Th. :

Nihil prohibet id quod est uno modo divisum, esse alio modo indivisum ; sicut quod est divisum numero est indivisum secundùm speciem ; et sic contingit aliquid esse uno modo unum, alio modo multa.

Deinde ostendit quædam esse multa secundùm quid et unum simpliciter, quædam verò multa simpliciter et unum secundùm quid. Nam, ut ipse pergit :

Et ipsa multitudo non contineretur sub ente, nisi contineretur aliquo modo sub uno. Dicit enim Dionysius quòd non est multitudo non participans uno. Sed quæ sunt multa partibus sunt unum toto ; et quæ sunt multa accidentibus sunt unum subjecto : et quæ sunt multa numero sunt unum specie; et quæ sunt speciebus multa sunt unum genere ; et quæ sunt multa processibus sùnt unum principio (2).

437. **Identitas et distinctio**. — Notioni unitatis valde affines sunt notiones *identitatis* et *distinctionis*. Identitas est convenientia seu unitas rei cum seipsa. Ad identitatem apprehendendam sufficit ut mens, reflectendo, quasi geminet objectum suum. Identitas est *physica* vel *moralis ; essentialis* vel *accidentalis ; realis* vel *logica*, etc. Ex. identitatis physicæ : Petrus est idem, etiam cùm senuerit ; ex. identitatis moralis : societas mortalium per sæcula vel domus quæ pedetentim ex

(1) 1a, q. 11, a. 1.
(2) 1a q. 11, a. 1 ad. 2.

integro renovata est; ex. identitatis essentialis : malus qui fit virtuosus ; ex. identitatis realis, sed non logicæ : Filius hominis et Filius Dei in Christo Jesu, nam eadem persona diversis conceptibus exhibetur.

438. **Distinctio ejusque species.** — Identitati opponitur distinctio, quæ est carentia identitatis. Duæ res sunt distinctæ quarum una non est altera. Sicut identitas, distinctio est *realis* vel *logica* tantùm seu *rationis*. Illa datur ante mentis operationem, a quâ non dependet : ejusmodi est distinctio animæ a corpore. E contrario, distinctio logica a mentis operatione dependet : ita genus distinguitur a specie, æternitas ab immutabilitate.

Distinctio realis est vel realis simpliciter seu *major* (id est inter rem vel realitatem et aliam rem vel realitatem : sic, juxta plures, inter substantiam et accidens), vel *modalis* (inter rem et modum suum : sic inter essentiam realem rerum et existentiam, inter naturam et personam, juxta plures), vel *virtualis*. Hæc est fundamentum distinctionis potiùs quàm distinctio : sic anima humana est triplex, cùm habeat triplicem facultatem, intellectivam nempe, sensitivam et vegetativam.

Distinctio rationis seu logica duplex est, prout habet proximum fundamentum in re et tunc dicitur *rationis ratiocinatæ*, vel non habet, et tunc dicitur *rationis ratiocinantis*. Ex. distinctionis rationis ratiocinatæ : anima rationalis et anima sensitiva in homine. Ut videtur, hæc distinctio reduci potest ad distinctionem realem *virtualem*. Quidquid sit, distinctio rationis ratiocinatæ est major minorve prout perfectiones quæ discriminantur sunt separabiles necne.

His distinctionibus addunt scotistæ quamdam distinctionem *formalem* seu *realem-formalem :* ejusmodi esset distinctio generis et speciei. Sed forte reducitur hæc distinctio ad distinctionem virtualem de quâ supra dictum est.

439. **Similitudo : potestne esse absoluta ?** — Notionibus identitatis et distinctionis affinis est conceptus *similitudinis*, quæ est quasi concordia distinctorum. Similitudine enim reducuntur ad unitatem ea quæ sunt distincta, sed eâdem qualitate vestiuntur.

Hìc autem quæritur : utrùm duo entia omnino similia sint possibilia. — Affirmabat Clarkius, quia hoc non involvit repugnantiam. Sed negabat Leibnizius propter tria : 1° quia horum duorum perfecte similium unum ab altero discerni non posset; 2° quia non est ratio sufficiens hujus duplicationis ; 3° quia, de facto, nunquam inveniri potuerunt duo entia omnino similia.

At respondent alii : 1° Sane Deus discernere posset entia omnino similia, præsertim cùm differant inter se saltem propter numerum, locum, tempus aliasque relationes ; 2° ratio sufficiens hujus duplicationis nos fugit ; 3° si revera non inveniuntur in naturâ duo entia omnino similia, non licet concludere hæc esse impossibilia, præsertim cùm multi docti supponant corpora constare atomis quasi numero infinitis et inter se omnino similibus.

CAPUT XXIV

DE VERITATE

440. **Veritas.** — Tractandum est de veritate sive in logicâ, sive in morali, sive præsertim in metaphysicâ. Generatim veritas est *adæquatio intellectûs et rei*. Sed animadvertendum est veritatem *metaphysicam* seu rerum esse conformitatem rerum cum intellectu divino, quâ fit ut res sint id quod sunt ; veritatem *logicam* (dico logicam lato sensu, seu scientificam) esse conformitatem intellectûs nostri cum rebus cognitis ; veritatem *moralem*, quæ est virtus moralis, esse conformitatem conscientiæ cum actibus et vocibus vel aliis signis.

Ad veritatem metaphysicam quodam modo pertinet veritas operum artificialium, quâ fit nempe ut opus artificiale conceptum artificis adæquet.

His paucis jam videmus multis et variis modis veritatem tribui posse rebus physicis, operibus artis, cogitationibus et actibus ; et inde fit sæpe ut idem sit verum et falsum sub diverso respectu.

Nunc de veritate in genere et speciatim de veritate metaphysicâ statuenda sunt sequentia :

Thesis : *Veritas est primò et principaliter in intellectu, secundariò in rebus, quatenus comparantur ad intellectum divinum. — Unde omne ens est verum ; — et ideo non invenitur in rebus falsitas absoluta. — Unde etiam veritas est unica, increata, æterna, absolute immutabilis in Deo, dum est multiplex, creata, temporalis, mutabilis aliquo modo in intellectu humano.*

441. **Veritas est primò in intellectu**, etc. — Quod sic ostenditur a S. Th. :

Sicut bonum nominat id in quod tendit appetitus, ita verum nominat id in quod tendit intellectus. Hoc autem distat inter appetitum et intellectum, sive quamcumque cognitionem : quia cognitio est secundùm quòd cognitum est in cognoscente; appetitus autem est secundùm quòd appetens inclinatur in ipsam rem appetitam. Et sic terminus appetitûs, quod est bonum, est in re appetibili; sed terminus cognitionis, quod est verum, est in ipso intellectu. Sicut autem bonum est in re in quantum habet ordinem ad appetitum; et propter hoc ratio bonitatis derivatur a re appetibili in appetitum, secundùm quòd appetitus dicitur bonus prout est boni ; ita, cùm verum sit in intellectu, secundùm quod conformatur rei intellectæ, necesse est quod ratio veri ab intellectu ad rem intellectam derivetur, ut res etiam intellecta vera dicatur secundùm quòd habet aliquem ordinem ad intellectum. — Res autem intellecta ad intellectum aliquem potest habere ordinem vel per se vel per accidens. Per se quidem habet ordinem ad intellectum a quo dependet secundùm suum esse. Per accidens autem ad intellectum a quo cognoscibilis est. Sicut si dicamus quòd domus comparatur ad intellectum artificis per se ; per accidens autem comparatur ad intellectum a quo non dependet. Judicium autem de re non sumitur secundùm id quod inest ei per accidens, sed secundùm id quod inest ei per se. Unde unaquæque res dicitur vera absolute, secundùm ordinem ad intellectum a quo dependet. Et inde est quòd res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum nostrum. Dicitur enim domus vera, quæ assequitur similitudinem formæ quæ est in mente artificis; et dicitur oratio vera, in quantum est signum intellectûs veri. Et similiter res naturales dicuntur esse veræ, secundùm quòd assequuntur similitudinem specierum quæ sunt in mente divinâ. Dicitur enim verus lapis, quia assequitur propriam lapidis naturam secundùm præconceptionem intellectûs divini. Sic ergo veri-

tas principaliter est in intellectu; secundariò verò in rebus, secundùm quòd comparantur ad intellectum ut ad principium (1).

442. **Quarumdam definitionum critica.** — Cùm veritas sit tum in intellectu tum in rebus, quamvis primariò sit in intellectu, poterit diversis modis notificari seu describi. Hinc intelliguntur definitiones ejusmodi : « Veritas est quâ ostenditur id quod est » (Aug.); — « Verum est declarativum aut manifestativum esse » (Hilarius); — « Verum est id quod est » (Aug.).

At improbanda est definitio Wolfii dicentis veritatem esse ipsam entitatem rei vel consensum rei cum suis elementis et suâ essentiâ. Non enim est veritas sine relatione ad intellectum.

Neque definienda est veritas, ut putavit Lockius: conformitas rei cum intellectu *humano*. Intellectus enim in quo primò et absolute invenitur veritas est intellectus divinus. Deinde a veritate divinâ procedit veritas rerum; a rebus autem veritas transit in intellectum nostrum. Attamen non ipsa veritas rerum (seu earum conformitas cum intellectu divino) causat veritatem in intellectu nostro, ut putaverunt ontologistæ; sed intellectus noster, res cognoscendo, quæ ab intellectu divino mensurantur, mensuram accipit et veritatem adipiscitur. — Nunc facile est thesim sequentem stabilire :

443. **Omne ens est verum.** — Etenim verum est ipsum ens quatenus cognoscibile; sed ens in tantum est cognoscibile in quantum est ens. Insuper, veritas est adæquatio intellectûs et rei; sed quidquid est cognoscitur ab intellectu divino. Etiamsi abstrahimus a divino intellectu, sane ens est cognoscibile hoc ipso quòd est ens. Unde ens et verum convertuntur : omne ens est verum, et omne verum est ens. Apposite S. Th. :

Sicut bonum habet rationem appetibilis, ita verum habet ordinem ad cognitionem. Unumquodque autem in quantum habet de esse, in tantum est cognoscibile... Et ideo, sicut bonum convertitur cum ente, ita et verum. Sed tamen sicut

(1) Iª q. 16. a 1.

bonum addit rationem appetibilis supra ens, ita et verum comparationem ad intellectum (1).

Et alibi :

Verum, ut Philosophus dicit in sexto Ethicorum, est bonum intellectùs. Unde de quocumque dicatur verum, oportet quòd hoc sit per respectum ad intellectum Comparantur autem ad intellectum voces quidem sicut signa, res autem sicut ea quorum intellectus sunt similitudines. Considerandum est autem quòd aliqua res comparatur ad intellectum dupliciter. Uno modo sicut mensura ad mensuratum, et sic comparantur res naturales ad intellectum speculativum humanum. Et ideo intellectus dicitur verus secundùm quòd conformatur rei: falsus autem, secundùm quòd discordat a re. Res autem naturalis non dicitur esse vera per comparationem ad intellectum nostrum, sicut posuerunt quidam antiqui naturales existimantes rerum veritatem esse solùm in hoc quod est videri. Secundùm hoc enim sequeretur quòd contradictoria essent simul vera, quia contradictoria cadunt sub diversorum opinionibus. Dicuntur tamen res aliquæ veræ vel falsæ per comparationem ad intellectum nostrum, non essentialiter vel formaliter, sed effective, in quantum scilicet natæ sunt facere de se veram vel falsam æstimationem ; et secundùm hoc dicitur aurum verum vel falsum. Alio autem modo res comparantur ad intellectum sicut mensuratum ad mensuram, ut patet in intellectu practico, qui est causa rerum. Unde opus artificis dicitur esse verum in quantum attingit ad rationem artis ; falsum verò in quantum deficit a ratione artis Et quia omnia etiam naturalia comparantur ad intellectum divinum sicut artificiata ad artem, consequens est ut quælibet res dicatur esse vera secundùm quòd habet propriam formam, secundùm quam imitatur artem divinam. Nam falsum aurum est verum orichalcum. Et hoc modo ens et verum convertuntur, quia quælibet res naturalis per suam formam arti divinæ comparatur (2).

444. **Objectiones**. — 1° Verum est in intellectu, ens autem in rebus ; unde non convertuntur.

Resp. — Verum est in rebus et in intellectu, ut dictum est. Verum autem quod est in rebus convertitur cum ente secundùm substantiam ; sed verum quod est in intellectu convertitur cum ente ut manifestativum cum manifestato. Hoc enim est de ratione veri, ut dictum est. Quamvis posset dici quòd etiam ens est in rebus et in intellectu, sicut et verum ;

(1) I^a, q 16. a. 3.
(2) In I *Periherm.*, lect. III.

licèt verum principaliter sit in intellectu, ens verò principaliter in rebus. Et hoc accidit propter hoc quòd verum et ens differunt ratione.

2° Id quod se extendit ad ens et non ens, non convertitur cum ente. Sed verum se extendit ad ens et non ens; nam verum est, quod est esse, et quod non est non esse. Ergo verum et ens non convertuntur.

Resp. — Ad secundum dicendum quòd non ens non habet in se unde cognoscatur; sed cognoscitur in quantum intellectus facit illud cognoscibile. Unde verum fundatur in non ente, in quantum non ens est quoddam ens rationis, apprehensum scilicet a ratione (1).

445. **Non datur falsitas absoluta**. — Nunc aliquid dicendum est de falso, quod est oppositum vero. Sicut nihilum cognoscitur ente, ita falsum cognoscitur vero. Veritas est adæquatio intellectûs et rei; falsitas autem est discordia unius cum altero. Falsitas absoluta in hoc esset quòd res non essent conformes divino intellectui; falsitas logica, vel scientifica, est discordia intellectûs humani cum rebus vel cum seipso; falsitas moralis est discordia conscientiæ cum actibus vel vocibus.

Ex his jam liquet falsitatem absolutam non inveniri posse in rebus : omnia enim a Deo cognoscuntur qualia sunt. Falsum igitur. quando rebus tribui potest, semper in vero fundatur. Ex. gr. falsum aurum est verum cuprum.

446. **Veritatis characteres**. — Ex dictis liquet etiam alios esse characteres veritatis in Deo, et alios in mente humanâ. Veritas enim est formaliter in intellectu et oritur ex actu cognoscendi. Porro intellectus divinus est unus et totus in actu, increatus, æternus, absolute immutabilis. Ergo pariter veritas divina est unica, increata, æterna, absolute immutabilis. E contrario, intellectus humanus cognoscit multis actibus et judiciis; est creatus, temporalis, mutabilis. Ergo similiter ejus veritas est multiplex, creata, etc. Apposite S. Th. :

Si loquamur de veritate prout existit in intellectu, secundùm propriam rationem, sic in multis intellectibus creatis sunt multæ veritates, et in uno et eodem intellectu secundùm

(1) 1ª, q. 16, a. 3, ad 1 et 2.

plura cognita... Si verò loquamur de veritate secundùm quòd est in rebus, sic omnes sunt veræ unâ primâ veritate, cui unumquodque assimilatur secundùm suam entitatem. Et sic, licèt plures sint essentiæ vel formæ rerum, tamen una est veritas divini intellectûs, secundùm quam omnes res denominantur veræ (1).

447. **Ontologorum error.** — Ad hæc non satis attendentes ontologi existimaverunt non esse aliam veritatem præter divinam, quâ omnia essent vera ita ut homo, cognoscendo veritatem, hoc ipso Deum cognosceret et quodam modo intueretur. At falsò. Concedimus tamen veritates quas homo adipiscitur subaudire Veritatem primam ; concedimus etiam hanc esse legem rationis humanæ ut fontem omnium veritatum quærat, inveniat atque in eâ quiescat. Sed Veritas summa non est initium neque medium cognitionis humanæ, sed terminus. Hinc solvuntur objectiones.

448. **Objectiones.** — 1° Non est aliquid majus mente humanâ, nisi Deus. Atqui veritas est major mente humanâ. Ergo veritas est Deus, seu veritas est simpliciter una, æterna, etc.

Resp. — Non subsistit aliquid majus mente humana (exceptis tamen angelis), concedo ; sed multæ sunt perfectiones animæ quæ sunt majores animâ secundùm quid. Ejusmodi est veritas participata, quam servare et defendere debemus usque ad mortem.

2° Secundùm S. Anselmum, sicut tempus se habet ad temporalia, ita veritas ad res veras. Atqui unum est tempus omnium temporalium. Ergo una est veritas omnium verorum.

Resp. — Utique datur aliqua mensura suprema seu tempus supremum quo mensurantur omnia temporalia ; sed hoc tempus non excludit tempora particularia : nam tempus unius non est tempus alterius. Ergo, a fortiori, cùm ordo veritatis præcellat ordini temporis, veritas suprema non excludit veritates particulares, omnino distinctas inter se : veritas enim unius non est veritas alterius.

(1) 1^a, q. 16, a. 6. Cf. etiam a. 7 et 8.

3° Videtur quòd veritates humanæ, quales sunt veritates geometricæ, mathematicæ, etc. sunt æternæ, absolute immutabiles.

Resp. — Utique istæ veritates sunt æternæ, etc. quatenus in intellectu divino. At, quatenus sunt perfectiones mentis nostræ, dicendæ sunt creatæ, temporales et etiam mutabiles, non quòd ipsæ sint subjectum mutationis, sed in quantum intellectus noster mutatur de veritate in falsitatem (1).

4° Universalia sunt ubique et semper ac proinde æterna. Atqui verum est universale maximum. Ergo est æternum.

Resp. — Universalia sunt ubique et semper *negative*, id est, non habent limites. Sed, ante creationem hominis, non erant universalia proprie dicta, seu ideæ abstractæ : igitur mundus intelligibilis non erat mundus seu ordo idearum nostrarum, sed solummodo ordo idearum divinarum, quæ ab intellectu divino realiter non distinguuntur.

CAPUT XXV

DE BONO ET MALO; DE PERFECTIONIBUS : NECESSITATE, SIMPLICITATE, INFINITATE, IMMUTABILITATE

449. **Bonum. Verum. Pulchrum.** — Bonum est appetibile, sicut verum est cognoscibile. Bonum describitur etiam : id quod convenit naturæ ideoque est ejus perfectio et finis. Hinc videtur jam quomodo bonum se habet ad verum. Verum est quasi bonum intellectûs ; bonum est quasi verum voluntatis vel appetitûs : verum et bonum consociantur ergo et differunt sicut intellectus et voluntas.

Bonum differt etiam a *pulchro*, quamvis bonum, saltem supremum (id est, bonum morale sive honestum), sit semper pulchrum. Pulchrum enim est id quod cognitione placet ; bonum verò est id quod placet possessione. Sed pulchrum est perfectio, ideoque bonum.

(1) S. Th., *ibid.*, a. 8.

450. **Boni fundamentum et forma**. — In bono sicut in vero distinguere oportet fundamentum et formam. Fundamentum est ens ipsum quod est appetibile, sicut fundamentum veri est ens ipsum quod est cognoscible. Unde bonum æque ac verum dici potest : *id quod est*. Forma autem boni est ens quatenus appetibile, sicut forma veri est ens quatenus cognoscibile. Igitur, si definitur veritas : adæquatio intellectûs et objecti, bonum poterit definiri : conjunctio voluntatis et objecti, seu finis obtentio.

Ex his jam demonstratur prima pars thesis sequentis :

Thesis : *Omne ens est bonum. — Non est ergo malum absolutum neque natura essentialiter mala — Malum oriri non potest nisi ex bono et per accidens. — Ex eo quòd omne ens est bonum non sequitur omne ens esse perfectum — Sed imperfectum, absolute supponit perfectum ; — item contingens, compositum, finitum, mutabile supponunt absolute aliquid necessarium, simplex, infinitum, immutabile.*

451. **Omne ens est bonum**. — Bonum enim est ens quatenus objectum alicujus desiderii seu appetitûs. Atqui ens, hoc ipso quòd est, est aliqua perfectio, aliquis actus, ideoque appetibile, saltem sub quodam respectu, sive tanquam finis ultimus, sive tanquam medium, etc.

Ex alterâ parte, bonum est aliquid positivum, siquidem trahit appetitum. Ergo omne bonum est ens, et in tantum est ens in quantum est bonum. Unde breviter : omne ens est bonum et omne bonum est ens, seu *bonum et ens convertuntur* (1).

452. **Animadversiones**. — 1° Quamvis omne ens sit bonum et omne bonum sit ens, tamen, cùm propter modum seu formam distinguantur, ens simpliciter non est bonum simpliciter, *sed ens simpliciter est bonum secundùm quid, et bonum simpliciter est ens secundùm quid.* Ens enim simpliciter est esse substantiale seu subsistentia, quæ est bonum secundùm quid, dum bonum simpliciter est finis obtentio seu quoddam esse accidentale et secundùm quid. Apposite S. Th. :

(1) Cf. S. Th., I^a, q. 5, a. 1 et 3.

Licèt bonum et ens sint idem secundùm rem, quia tamen differunt secundùm rationem, non eodem modo dicitur aliquid ens simpliciter et bonum simpliciter. Nam, cùm ens dicat aliquid proprie esse in actu. actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam, secundùm hoc simpliciter aliquid dicitur ens secundùm quòd primò discernitur ab eo quod est in potentiâ tantùm. Hoc autem est esse substantiale rei uniuscujusque. Unde per suum esse substantiale dicitur unumquodque ens simpliciter; per actus autem superadditos dicitur aliquid esse secundùm quid... Sed bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile; et per consequens dicit rationem ultimi. Unde id quod est ultimò perfectum, dicitur bonum simpliciter. Quod autem non habet ultimam perfectionem quam debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem in quantum est actu, non tamen dicitur perfectum simpliciter nec bonum simpliciter, sed secundùm quid. Sic ergo secundùm primum esse, quod est substantiale, dicitur aliquid ens simpliciter et bonum secundùm quid, id est, in quantum est ens. Secundum verò ultimum actum dicitur aliquid ens secundùm quid et bonum simpliciter (1).

2° Bonum proprie dicitur de solis rebus existentibus; verum autem dicitur tam de possibilibus quàm de existentibus. Imò veri objectum sunt essentiæ potiùs quàm existentiæ, abstracta potiùs quàm concreta. Ratio hujus discriminis inter bonum et verum oritur ex utriusque formâ : forma enim veri est in mente, forma autem boni est in re.

453. **Bonorum species**. — 1° Bonum distinguitur in verum et apparens. Bonum dicitur verum, si res quæ appetitur vere congruit naturæ appetentis; secus, dicitur apparens seu falsum.

2° Bonum distinguitur in *corporale* et *spirituale*, prout est perfectio corporis (ex. g. sanitas), vel animæ (virtus).

3° Fere eodem modo bonum distinguitur in *physicum* et *morale*, prout est perfectio naturæ vel morum.

4° Sed præcipua divisio boni desumitur ex ipsâ naturâ boni, quod est *finis*. Unde ratione finis bonum dividitur in *honestum*, *utile* et *delectabile*. Quam divisionem sic tradit S. Th. :

Hæc divisio, ait, proprie videtur esse boni humani. Si tamen altiùs et communiùs rationem boni consideremus, invenitur hæc divisio proprie competere bono secundùm quòd bonum

(1) 1a, q. 5, a. 1, ad 1.

est. Nam bonum est aliquid in quantum est appetibile et terminus motûs appetitûs. Cujus quidem motûs terminatio considerari potest ex consideratione motûs corporis naturalis. Terminatur autem motus corporis naturalis simpliciter quidem ad ultimum; secundùm quid autem etiam ad medium, per quod itur ad ultimum quod terminat motum; et dicitur aliquid terminus motûs, in quantum aliquam partem motûs terminat. Id autem quod est ultimus terminus motûs, potest accipi dupliciter: vel ipsa res in quam tenditur, utpote locus, vel forma; vel quies in re illâ. Sic ergo in motu appetitûs, id quod est appetibile terminans motum appetitûs secundùm quid, ut medium per quod tenditur in aliud, vocatur *utile*. Id autem quod appetitur ut ultimum terminans totaliter motum appetitùs, sicut quædam res in quam per se appetitus tendit, vocatur *honestum;* quia honestum dicitur quod per se desideratur. Id autem quod terminat motum appetitûs ut quies in re desideratâ, est *delectabile* (1).

454. **Malum.** — Bono opponitur malum, quod est negatio boni. Malum enim est id quod non est appetibile, id quod non convenit naturæ, sive defectus. Malum igitur non est mera negatio entis, mera limitatio existentiæ et perfectionis, sed est negatio boni, carentia alicujus perfectionis debitæ: uno verbo malum est *privatio*. Unde S. Th. ait : « Malum est defectus boni, quod natum est et debet haberi » (2). — « Malum distat et ab ente simpliciter et non ente simpliciter, quia neque est sicut habitus, neque sicut pura negatio, sed sicut privatio » (3).

Malum, cùm sit privatio, non est aliquid reale in se; sed est reale propter bonum cujus est limitatio indebita. Ex. g. cæcitas non est, peccatum non est; sed cæcitas est in corpore et peccatum in animâ.

Malum igitur est fundatum in bono, non quidem in bono cui opponitur, sed in alio ; sic cæcitas non fundatur in visu neque peccatum in innocentiâ. Unde ait S. Th. : « Malum non est, sicut in subjecto, in bono quod ei opponitur, sed in quodam alio bono: subjectum enim cæcitatis non est visus, sed animal » (4).

(1) 1a, q. 5, a. 6.
(2) 1a, q. 49, a. 1.
(3) Ibid., q. 48, a. 2, ad 1.
(4) 1a, q. 48, a. 3, ad 3.

455. **Malorum species.** — *a*) Malum distinguitur in *metaphysicum, physicum* et *morale*. Malum autem metaphysicum, a Leibnizio excogitatum, non est proprie malum, siquidem non est privatio, sed mera limitatio perfectionis seu entis, qualis invenitur in omni creaturâ, etiam perfectissimâ in suo genere. Malum igitur est physicum vel morale : physicum, si est negatio boni physici ; morale, si est negatio boni moralis.

b) Distinguitur malum in *malum culpæ* et *malum pœnæ*. Illud est peius et principium alterius : consistit in aliquâ inordinatione liberi arbitrii. Malum autem pænæ est carentia boni, sive physici, sive moralis, ob culpam inflicta.

456. **Manichæorum confutatio**. — His positis, facile confutantur manichæi, qui statuebant duo principia prima, summa et æterna, inter se pugnantia, *Bonum* et *Malum*, tanquam duos deos. Existimabant enim malum non esse accidens bono, sed substantiam seu naturam, ut testatur Augustinus, qui priùs huic errori adhæserat, sed postea, factus christianus, eam invicte confutavit. Manichæis præiverant gnostici, marcionitæ et quidam veteres philosophi, dicentes esse in mundo malas naturas non paucas.

Contra hos omnes dicimus primò : *Intrinsece repugnat existere summum malum, ut malum est*. Nam malum, prout malum est, tollit bonum cui opponitur et limitat alterum bonum in quo fundatur. Sed bonum est ens. Igitur summum bonum excludit omne ens, et ideo jam esse non potest. Unde dicit Aristoteles : « Si malum integrum sit, seipsum destruet. » Aliis verbis, idem dicendum est quoad existentiam de malo et non-ente ; atqui intrinsece repugnat non-ens existere ; ergo.

Deinde dicimus : *Substantiam seu naturam essentialiter malam esse impossibilem*. Nam 1° malum non potest esse aliqua substantia seu natura. 2° Deus, utpote summe Bonus, producere non potest creaturas essentialiter malas et ad malum essentialiter ordinatas. — 3° Aliunde nulla creatura mala per accidens, seu propter suam malitiam, mutare potest suam essentiam et fieri essentialiter mala. — 4° Tamdem si esset aliqua natura essentialiter mala, jam per se et necessariò ferretur in malum ut malum ; sed hoc repugnat : ens enim non

potest ferri in nihilum, appetens in non appetibile, motum in non moventem. Confirmatur omnibus argumentis et dictis Patrum adversùs manichæos.

457. **Mali origo.** — Quod ad originem mali spectat asserimus : *malum oriri non potest nisi ex bono; bonum autem non est mali causa per se sed per accidens.* Illa causa dicitur *per se* quæ producit talem effectum vi propriæ suæ formæ seu naturæ : ex. g. ignis est causa per se combustionis et caloris. Causa dicitur *per accidens* quæ producit talem effectum propter aliam formam cui conjungitur : ex. g. cibus sanus est per accidens causa morbi vel doloris. Similiter effectus dicitur *per se*, si procedit formaliter ex virtute alicujus formæ; *per accidens* autem, si conjungitur effectui per se.

His præjactis, dicimus primò : *malum non oriri nisi ex bono.* Nam, ut ait S. Th. : « esse causam non potest convenire nisi bono ; quia nihil potest esse causa nisi in quantum est ens ; omne autem ens, in quantum hujusmodi, bonum est » (1). — Deinde dicimus : *bonum non esse causam mali nisi per accidens.* Nam bonum, vi naturæ suæ producere non potest nisi bonum, nec ordinari potest nisi ad bonum. Superest ergo ut bonum producat bonum cui accidit malum, id est, superest ut bonum sit causa mali per accidens.

Quod fieri potest duplici ratione : 1° *ratione agentis*, sive principalis, sive instrumenti. Ratione agentis principalis, si deficiat virtus ejus : sic infirmus vel puer diu ambulare non potest. Ratione instrumenti, si instrumentum non est aptum : sic claudus, etiam validus, qui diu ambulare non potest. — 2° *Ratione effectûs*, sive propter materiæ indispositionem, sive propter formam ipsam. Propter materiæ indispositionem, si hæc materia est indisposita ad recipiendam actionem agentis : sic lignum viride non facile comburitur. Propter formam ipsam, si hæc forma non educitur nisi expellendo aliam : sic animal occiditur ad cibum præparandum.

458. **Bonitas et perfectio.** — Ex omnibus dictis liquet malum non inveniri nisi in bono, ideoque omne ens esse

(1) 1^a, q. 49, a. 1.

bonum quidem, sed non omne ens esse *perfectum*, id est, *bonum sub omni respectu*.

459. **Perfecti et perfectionis species.** — Aliis verbis, perfectum est *id cui non deest aliquid*, saltem secundùm suam naturam. Inde duplex perfectum : *absolutum*, id est, sine limitatione perfectionis ; *relativum*, seu perfectum in suo genere, id est, sine malo proprie dicto. Solus Deus est absolute perfectus.

Perfectio ipsa etiam duplex est, sicut perfectum : *a*) *absoluta*, quæ limitationem non implicat ex se (ex. gr. vita, intelligentia, charitas) ; *relativa*, quæ limitationem implicat (ex. gr. sensibilitas, quæ implicat organa ; ratio, quæ implicat discursum intellectûs ; fides et spes, quæ implicant objecti absentiam).

b) Alio modo perfectio est *formaliter*, vel *virtualiter*, vel *eminenter* dicta. Prima invenitur formaliter seu specifice in subjecto ; secunda invenitur tantùm in virtute subjecti ; tertia invenitur in quodam perfecto, sed perfectiori modo quàm in proprio subjecto. Ex. gr. : scientia humana est *formaliter* in sapiente, *virtualiter* in puero, *eminenter* in Deo.

c) Distinguitur perfectio in *partialem* et *totalem*, prout est perfectio alicujus partis vel totius, id est, omnium partium.

d) Tandem alia perfectio dicitur *prima*, seu ex esse ; alia, *secunda* seu *accidentalis ;* alia ex fine seu *finalis*. Quam divisionem sic proponit S. Th. :

Perfectio alicujus rei triplex est : 1ª quidem secundùm quòd in suo esse constituitur ; 2ª verò, prout ei aliqua accidentia superadduntur ad suam perfectam operationem necessaria ; 3ª verò perfectio alicujus est per hoc quod aliquid aliud attingit sicut finem (1).

Hic nobis agendum est non nisi de perfectionibus supremis, quæ ad quatuor reducuntur : *necessarium*, cui opponitur contingens ; *simplex*, cui opponitur compositum ; *infinitum*, cui opponitur finitum ; *immutabile*, cui opponitur mutabile.

(1) 1ª, q. 6, a. 3.

Antequam de singulis tractemus, asserimus generaliter perfectum absolute supponi imperfecto.

460. **Perfectum absolute supponitur imperfecto.** — Id est, perfectum existit necessariò prius quàm imperfectum. Nam absolute ens est ante non-ens, existentia ante possibilitatem, actus ante potentiam. Si non-ens præiret absolute, nunquam aliquid existeret; non esset ullum possibile, nisi prior esset aliqua existentia ; non est potentia nisi ad actum, nec reduci potest in actum nisi per aliquod ens actu : nemo enim dat quod non habet.

At non diffitemur, imò asserimus contra cartesianos et ontologos, in ordine logico seu cognitionis perfectum esse posterius imperfecto, id est, cognosci per imperfectum ; item infinitum cognosci per finitum, etc. Veniamus nunc ad singulas partes :

461. **Contingentia supponunt necessarium.** — Nam ens contingens, ut patet ex ipsius definitione, non existit per seipsum seu per suam essentiam ; existit igitur a principio extrinseco. Sed istud iterum est contingens vel necessarium. Oportet ergo devenire tandem ad aliquod ens necessarium.

Objiciunt quidem seriem entium contingentium esse fortè infinitam ; sed in vanum. Nam etiamsi series entium contingentium esse infinita (quod non admittimus), tota penderet, utpote contingens, ab aliquo ente necessario. Ergo contingens supponit absolute necessarium. — Hæc insuper notabimus :

1° Ex his liquet necessitatem absolutam esse intrinsecam enti necessario et in hoc consistere ut ens necessarium *existat per seipsum ;* ens autem contingens *existit per aliud.* Inter hæc duo non datur medium.

2° Quamvis ens absolute necessarium sit ejusmodi per suam essentiam, non sequitur quòd existentia ejus cognoscatur a nobis per ejus essentiam. Sane existentia et essentia hujus entis non distinguuntur inter se realiter; sed, propter abstractiones quibus mens humana utitur, utraque a nobis distincte cognoscitur. Unde cognitio essentiæ seu definitio implicat solummodo ideam existentiæ.

3° Ea quæ dicta sunt de contingente et necessario vera sunt

de *conditionato* et *inconditionato* : hoc existit ante illud atque eo absolute supponitur.

462. **Composita supponunt simplex**. — Duobus modis composita supponunt simplex :

1° Compositum supponit plura simplicia, quibus constat. Nam compositum est id quod potest resolvi in partes. Partes autem illæ vel sunt simplices vel sunt compositæ; si compositæ, iterum resolvi possunt, donec deveniamus ad aliquid simplex. Verumtamen illa simplicia quibus constat compositum non sunt simplicia absolute (Deus solus est absolute simplex), sed sunt simplicia in genere compositi. Ex. gr. : linea mathematica constat punctis simplicibus in genere quantitatis ; omnes ideæ resolvuntur in ideam entis, quæ est simplex ut idea.

2° Compositum supponit aliquid simplex vi cujus ad existentiam perducatur, sive immediate, sive mediate. Nam « omne compositum causam habet, ut ait S. Th. Quæ enim secundùm se diversa sunt, non conveniunt in aliquod unum, nisi per aliquam causam adunantem ipsa » (1). Sed hæc causa ipsa est simplex vel composita; si composita, iterum causam habet, donec deveniamus ad causam simplicem. Ergo.

Ex his sequitur : *a*) omne compositum esse posterius suis componentibus, si non tempore, saltem in ordine naturæ, id est absolute.

b) « In omni composito oportet esse potentiam et actum » (2). In compositis enim vel unum eorum ex quibus est compositio est in potentiâ ad alterum, ut materia ad formam, subjectum ad accidens, genus ad differentiam ; vel saltem omnes partes sunt in potentiâ ad totum.

c) Ergo nullum compositum potest esse absolute perfectum ; quia in eo est aliquid potentiale. Præterea absolute perfectum oriri non potest ex unione imperfectorum : infinitum enim oriri non potest ex additione finitorum, ut dicetur infra. Et ideo Deus est absolute simplex.

(1) 1a, q. 3, a. 7.
(2) S. Th. *Ibid*. Cf. etiam *De Potentiâ*, q. 7, a. 1 : Utrùm Deus sit simplex ?

463. **Simplex et compositum in ordine cognitionis.** — In ordine cognitionis, id quod primum menti occurrit non est simplex, sed compositum. Simplex enim definitur : id quod non habet partes.

De simplicis et compositi cognitione quædam adhuc notanda sunt. Simplex, *ut simplex est*, id est, ut in se est, aut totum cognoscimus aut nihil; sed compositum possumus simul cognoscere secundùm quid atque circa illud errare. Nam simplex uno principio essentiali constituitur, dum compositum constituitur pluribus; unde essentia simplicis cognoscitur aut non, dum cognoscere possumus aliquid essentiale in composito et aliud essentiale negare. Apposite S. Th. :

In compositis, qui errat circa aliquod principiorum essentialium, etsi non cognoscat rem simpliciter, tamen cognoscit eam secundùm quid, sicut qui existimat hominem esse animal irrationale cognoscit eum secundùm genus suum. In simplicibus autem, hoc non potest accidere, sed quilibet error totaliter excludit cognitionem rei. Deus autem est maxime simplex. Ergo quicumque errat circa Deum non cognoscit Deum, sicut qui credit Deum esse corpus nullo modo cognoscit Deum, sed apprehendit aliquid aliud loco Dei (1).

Diximus tamen : « *simplex, ut simplex est*, aut totum cognoscimus aut nihil ». Nam si simplex accipitur quatenus est in intellectu, jam forte apprehenditur ab intellectu tanquam aliquod compositum logicum ; unde intellectus, componendo et dividendo, errare poterit per accidens circa illud simplex, ita ut quodam modo illud cognoscat et quodam modo non. Et hoc accidit circa Dei cognitionem. Deus enim, quamvis sit omnino simplex, apprehenditur tanquam totum logicum seu tanquam constans multis attributis, quorum alia cognoscuntur et alia negantur.

464. **Finita supponunt infinitum.** — De finito et infinito sunt quædam notanda maximi momenti. Finitum est id quod habet limites; infinitum autem est id quod non habet limitem (vide *Lexicon*). Hæc sunt clara. Sed primò animadvertamus notionem finiti non esse pure affirmativam neque pure nega-

(1) *Cg.* lib. III, cp. 118, Adhuc etc.

tivam ; nam significat simul aliquam rem et aliquam limitem. E contrario, notio infiniti est negativa quidem quoad vocem, sed tota affirmativa quoad rem. Igitur notio infiniti non exsurgit ex notione plurimorum finitorum, ut putavit Lockius, qui infinitum ab indefinito non distinxit. Nam, addendo finita finitis, quantùm placuerit, nunquam limes tollitur, sed tantùm elongatur plus minusve. Sane infinitum non percipitur sensibus, sed mente perfecte distinguuntur finitum, indefinitum, quod est species finiti, et infinitum.

Deinde, cùm infinitum exsurgere non possit ex additione finitorum, sequitur etiam finitum et infinitum non differre propter aliquod finitum : et revera proprie non differunt sed diversa sunt et opposita. Unde non datur proportio unius ad alterum.

Tandem sequitur infinitum esse aliquid simplex : secus enim, unaquæque pars esset finita ; unde infinitum exsurgeret ex finitis.

465. **Notionis infiniti origo**. — Quomodo ergo assurgere possumus ad notionem infiniti, cùm ex additione finitorum hæc notio oriri nequeat ? Sic respondetur :

Notio finiti, ut vidimus, est partim positiva et partim negativa, scilicet duo comprehendit : 1° entitatem aliquam ; 2° limitationem hujus entitatis. Entitas verò non est finita ut talis, siquidem est perfectio simplex, non includens in suo conceptu ullam imperfectionem ; sed est finita ratione limitis quæ ei conjungitur. Porro mens nostra abstrahere potest ab omni limite ; imò potest negare omnem limitem de hac entitate, et sic habebitur entitatis illimitatæ conceptus, qui non differt a conceptu infiniti.

Hunc processum humanæ mentis innuere videtur ipsum vocabulum *infiniti*. Nam, ut ait S. Th. : « Voces sunt signa intellectuum... Secundùm igitur quòd aliquid a nobis intellectu cognosci potest, sic a nobis potest nominari » (1). Jamvero vox *infinitum* derivatur a voce *finitum*, cui præmittitur negatio. Hæc autem non excludit quidem entitatem quæ est finita,

(1) I[a], q. 13, a. 1.

sed limitem hujus entitatis. Unde conceptus infiniti in mente nostrâ exsurgit saltem ex duobus, quorum primus ponit aliquid, et alter tollit limitem, id est, ponit etiam, sed modo valde indirecto. Unde positiva est omnino notio infiniti. Attamen infinitum non apprehenditur ut positive in se est, sed apprehenditur et exprimitur per finitum; et ideo S Th. potuit dicere : « Aliquid infiniti est in intellectu et aliquid extra intellectum », seu infinitum attingitur quidem cognitione verâ sed inadæquate.

466. **Idea Dei, idea infiniti, idea entis**. — Hinc videtur quomodo idea Dei oriri potest ex ideâ finiti. Ab ideâ finiti mens assurgit ad ideam infiniti; porro infinitum reale et absolutum est ipse Deus. At non licet confundere ideam infiniti, quam explicavimus, neque a fortiori licet confundere ideam Dei cum ideâ transcendentali entis. Hic error, maxime periculosus, fuisse videtur Rosminii et aliorum plurimorum. Idea transcendentalis entis seu entis in genere non exprimit limitem neque tollit, non est idea finiti neque infiniti, multò minus est idea Dei.

Idea enim Dei est idea complexa in mente nostrâ alicujus simplicis in se, dum idea entis in genere est idea simplex, quâ multa exprimuntur nullo modo simplicia in se. Deinde Deus est infinitus actu et absolute, dum ens in genere est infinitum solummodo in potentiâ et negative; si finem aut speciem non habet, hoc est propter defectum et imperfectionem. Tertiò Deus omnes perfectiones comprehendit, dum ens in genere ab omnibus perfectionibus determinatis abstrahit. Adhuc, idea Dei exprimit naturam distinctam, dum idea entis in genere nullam naturam distincte significat. Tandem ens in genere est ens rationis aut saltem indeterminatum, dum Deus est ens individuum et formaliter reale.

467. **Cartesii et ontologorum error**. — His confutatur error Cartesii et ontologorum dicentium finitum non nisi per infinitum (imò, per Deum, juxta ontologos) a nobis cognosci. Sed idea prima, quæ ceteris omnibus implicatur, utpote omnino simplex, est idea entis in genere, non autem idea infiniti, quæ est complexa, neque a fortiori idea Dei.

468. **Objectiones** nunc facile solvuntur :

1° Infinitum finito contineri non potest. Ergo a cognitione finiti mens assurgere nequit ad cognitionem infiniti.

Resp. — Infinitum finito non continetur entitative, sed logice, ita ut finitum ducat in cognitionen infiniti, imperfectam quidem et inadæquatam.

2° Methodus *exclusionis*, a scholasticis proposita, scilicet negatio limitis finiti ad concipiendum infinitum, est ipsamet methodus lockiana *additionis*. In utrâque enim entitas finiti augetur sine fine.

Resp. — Nullo modo. Aliud est augere entitatem limitatam, unde habetur idea *majoris ;* aliud est augere entitatem sine fine, unde habetur idea *indefiniti ;* et aliud est tandem subtrahere limitem, negare quamcumque limitem, unde habetur idea infiniti, nullo modo æquivoca, quamvis infinitum imaginari non possumus.

469. **Quomodo finita supponunt infinitum.** — Ex omnibus quæ hucusque dicta sunt de finito et infinito hæc sequuntur : finita non supponunt infinitum in ordine cognitionis; neque illud supponunt tanquam elementum aut essentiæ partem, ut putant pantheistæ; sed omne finitum supponit causam extrinsecam infinitam sine quâ produci nequit.

470. **Creatura potestne esse infinita ?** — Nunc de infinito quatenus est perfectio quæritur : Utrùm creatura sit capax infinitatis, saltem aliquo modo?

Resp. — Sane creatura nequit esse infinita absolute seu quoad essentiam ; secus enim ab ipso Deo non distingueretur. Repugnat etiam creaturam potiri activitate infinitâ simpliciter ; nam activitas fluit ex essentiâ. Potest tamen gaudere activitate indefinitâ, ex. gr. immortalitate. Tandem videtur quòd creatura nequeat suscipere ullam infinitatem actualem seu proprie dictam, sive quoad tempus, durationem et numerum, sive quoad extensionem et magnitudinem.

471. **Multitudo infinita**. — Etenim multitudo actu infinita repugnat. Nam, ut ait S. Th. :

Omnem multitudinem oportet esse in aliquâ specie multitudinis. Species autem multitudinis sunt secundùm species

numerorum. Nulla autem species numeri est infinita; quia quilibet numerus est multitudo mensurata per unum (1).

472. **Magnitudo infinita**. — Pariter repugnat magnitudo actu infinita, sive sit extensio vel spatium, sive sit superficies vel linea. Nam omnis magnitudo, sicut multitudo, habet speciem ideoque numerum. Quilibet autem numerus mensuratur per unum, potest augeri vel minui, potest multiplicari vel dividi. Insuper, multitudinem infinitam, utpote carentem figurâ et formâ, non possumus imaginari neque concipere.

473. **Objectiones**. — 1° Potentia reduci potest in actum; atqui datur infinitum in potentiâ (ex. g. dies futuri, motus astrorum et cogitationes hominum); ergo infinitum reduci potest in actum.

Resp. — Potentia reduci potest in actum eo modo quo ad illum ordinatur, ac proinde successive, si agitur de multitudine possibilium, quæ est infinita in potentiâ. Unde omnia possibilia dici possunt infinita, et unumquodque eorum reduci potest in actum ; sed eorum infinitas in actum reduci nequit.

2° Deus videt omnia possibilia, quæ sunt infinita. Cur ergo non posset creare infinitam multitudinem ?

Resp. — Deus creare potest quidquid videt sed eo modo quo illud est possibile ; unde successive, si creatio est multitudinis. Igitur creatio est semper finita, non quidem propter defectum potentiæ divinæ, sed propter debilitatem creaturæ.

3° In computationibus mathematicis, sæpe supponitur existentia infiniti ; et hæc hypothesis non solùm non est absurda, sed est etiam quandoque necessaria.

Resp. — Supponitur infinitum in potentiâ, non autem in actu.

4° Conceptus *magnitudinis* et conceptus *infiniti* non videntur repugnare inter se. Cur ergo non existeret magnitudo actu infinita ?

Resp. — Utique magnitudo metaphysica, seu quoad esse, potest esse infinita, non autem magnitudo proprie dicta, seu quoad quantitatem.

(1) 1a, q. 7, a. 4.

5° Quantitas infinita repugnat, si est ejusdem naturæ quàm quantitas finita. Sed videtur esse alterius naturæ, sicut ens infinitum est alterius naturæ quàm ens finitum. Unde forsan quantitas infinita non repugnat.

Resp — Nego paritatem. *Ens* enim non dicit accidens neque aliquid imperfectum ; unde tribui potest Deo et creaturis non secundùm eamdem rationem. Itaque est infinitum in Deo, finitum autem in creaturis. Sed *quantitas* dicit accidens, aliquid materiale, etc. ; unde etiam quantitas infinita esset ejusdem naturæ cum quantitate finitâ, quam immediate apprehendimus.

474. **Mutabilia supponunt immutabile.** — Ut pateat hæc veritas, explicare oportet mutationis notionem. Mutatio est transitus ab uno ad alterum modum se habendi, aliquo eodem subjecto remanente. Tria igitur requiruntur ad mutationem : *terminus a quo*, — *terminus ad quem*, — *subjectum* ipsum mutabile, quod successive invenitur sub utroque termino. Nam, ut ait S. Th., « de ratione mutationis est quòd aliquid idem se habeat aliter nunc et priùs » (1). Terminus autem principalis est terminus *ad quem ;* nam « mutationes accipiunt speciem et dignitatem non a termino a quo, sed a termino ad quem (2). »

Mutatio multiplex est : *a)* Est *substantialis* vel *accidentalis*, prout substantia ipsa (ex g. panis, qui fit caro) vel accidens tantùm (ex. g. homo, qui fit senex) est terminus mutationis.

b) Mutatio est *a causâ intrinsecâ* subjecto, vel *a causâ extrinsecâ*. Ex. g. homo moritur senio oppressus vel gladio percussus.

c) Alia est mutatio *absoluta* seu intrinseca, et alia *relativa* seu extrinseca. Illa afficit ipsum subjectum mutationis, sive accidentaliter, sive substantialiter. Mutatio autem relativa afficit subjectum cui tribuitur per denominationem extrinsecam : ex. g. sol oriens fit occidens.

Mutationi opponitur immutabilitas, quæ pariter multiplex est : *substantialis* vel *accidentalis*, *absoluta* vel *relativa*, etc.

(1) Iª q. 45, a. 2, ad 2.
(2) *Ibid.*, a. 1, ad 2.

His bene perpensis, statim liquent sequentia : In omni mutatione, mutabile transit quoad aliquid, sed manet quoad aliud; aliquid amittit, sed aliud acquirit. — Itaque ens mutabile, quatenus mutabile, est imperfectum, compositum, in potentiâ, contingens, etc. — Sed contra, ens immutabile, quo magis est immutabile eo magis est perfectum, simplex, in actu, necessarium, etc. — Tandem omnis creatura est plus minusve mutabilis, prout est contingens, composita, finita. Deus autem est ens absolute immutabile, necessarium, simplex, infinitum, etc.

Nunc patet sensus assertionis : *Mutabilia supponunt immutabile.* Mutabilia supponunt immutabile non tanquam elementum aut causam suam intrinsecam, neque tanquam principium per quod a nobis cognoscantur, sed illud supponunt tanquam causam suam extrinsecam. Aliquid mutari non potest quin ad mutationem ab aliquo determinetur. Motus ergo seu transitus a potentiâ in actum supponit aliquod primum movens immobile. Unde concludimus : mutabilia supponunt immutabile, in ordine reali et absoluto, sicut potentia supponit actum et res contingens supponit aliquid necessarium.

CAPUT XXVI

DE CATEGORIIS ET SPECIATIM DE SUBSTANTIA. DE PERSONA

475. **Categoriæ.** — Categoriæ (v. *Lexicon*) sunt *modi speciales entis* secundùm quos accipiuntur *genera suprema rerum.*

a) Sunt *modi*, inquam, non autem *species* entis. Nam ens, utpote transcendens, non potest esse genus respectu categoriarum ; unde categoriæ non addunt supra ens aliquam differentiam, sed sunt ipsum ens, tali vel tali modo existens. Apposite S. Th. :

Substantia non addit supra ens aliquam differentiam, quæ significet aliquam naturam superadditam enti ; sed nomine

substantiæ exprimitur quidam specialis modus essendi, scilicet per se ens, et ita est in aliis generibus (1).

b) Deinde categoriæ sunt modi *speciales* entis ; et in hoc diversificantur a transcendentalibus, quæ sunt modi *generales* entis, id est, consequentes omne ens. Revera non omne ens est *substantia*, *accidens*, *qualitas*, etc.; sed omne ens est *unum*, *verum*, *bonum*.

c) Tandem categoriæ sunt *genera suprema* rerum. Nam ipsa quidem non sunt proprie species entis ; sed cetera omnia haberi possunt tanquam species categoriarum, scilicet tanquam species *substantiæ*, vel *qualitatis*, vel *quantitatis*, etc.

476. **Categoriæ sunt objectum logicæ et metaphysicæ**. — Ex his sequitur categorias esse objectum tum logicæ tum metaphysicæ : *logicæ;* nam sunt genera, id est, intentiones secundæ, entia logica ; *metaphysicæ ;* nam sunt modi reales entis, intentiones primæ. Errant igitur tum illi qui categorias sub unâ tractatione comprehendunt, logicam et ordinem idealem a metaphysicâ et ordine reali non discernentes (Hegel), tum illi qui contendunt alias esse categorias logicas et alias metaphysicas (Rosmini). Nam categoriæ logicæ et categoriæ metaphysicæ sunt eædem ; ordinant simul *ideas* et *res*, prout subjective vel objective accipiuntur.

477. **Quomodo ens sit principium categoriarum**. — Categoriæ explicant et dividunt ens. Ens autem quod explicatur et dividitur categoriis est ens quatenus existens seu attributum propositionis. Ens enim, ut vidimus (n. 393) tria significat : essentiam seu *subjectum* propositionis, *verbum* seu copulam propositionis, existentiam seu *attributum*. Jamvero ens quatenus verbum purum seu copula propositionis non potest esse fons categoriarum, ut putaverunt Kantius et Rosminius ; nam aliquid mere subjectivum significat, dum categoriæ sunt aliquid objectivum et reale.

Sed neque ens quatenus subjectum potest esse fons categoriarum ; nam categoriæ *modum existentiæ* potiùs quàm *essentiam* significant : ita substantia est id quod existit in se;

(1) *De Veritate*, q. 1, a. 1.

accidens, id quod existit in alio. Insuper ens quatenus existens seu attributum est notio absolute prima, sicut jam ostensum est. Ergo categoriæ procedunt ab ente quatenus est ens et sunt attributa generalia entis.

478. **Categoriarum ordinatio secundùm Aristotelem.** — Videamus nunc quomodo categoriæ ordinantur. Categoriæ, ut diximus, sunt modi speciales entis seu modi quibus esse rebus convenit. Porro rebus convenit habere esse vel in se, vel in alio : hinc *substantia* et *accidens*. Accidens autem est in alio vel absolute vel relative : absolute, propter substantiam ipsam, quæ constare potest materiâ et formâ : hinc *qualitas* et *quantitas*. Illa fluit ex formâ et afficit eam immediate; hæc fluit ex materiâ, sine quâ inveniri non potest. Qualitas et quantitas dicuntur accidentia *absoluta*. Cetera autem accidentia dantur propter ordinem ad aliud et ideo dicuntur *relativa ;* quæ sic enumerantur : *relatio* proprie dicta, per quam tota substantia refertur ad aliam (ex g. relatio creaturæ ad Deum, filii ad patrem) ; *actio*, quæ promanat ex vi et principio formali substantiæ et refertur ad effectum vel terminum ; *passio*, quæ actioni respondet ; *situs*, qui oritur ex quadam collatione partium ; *ubi* seu locus, qui substantiæ tribuitur secundùm ea quæ adjacent ; *quando* seu tempus, quod substantiæ tribuitur secundùm ea quæ ei adjacent cum motu ; *habitus*, qui tribuitur propter quædam adjacentia et applicata, etc.

Quamvis illæ ultimæ categoriæ aliter fortè et meliùs determinari possint, non ideo despicienda est ordinatio aristotelica, quæ longe præest ceteris. De quibus hæc brevia animadvertamus.

1° Pythagorici, teste Aristotele, decem categorias numerabant : *finitum* et *infinitum*, *impare* et *pare*, *unum* et *plurale*, *dextrum* et *sinistrum*, *mare* et *feminam*, *quietem* et *motum*, *rectum* et *curvum*, *lumen* et *tenebras*, *bonum* et *malum*, *quadratum* et alias figuras. At pythagorici contraria enumerant potiùs quàm categorias. Hæc decem non dividunt ipsum ens nec inter se ordinantur.

2° Stoici categorias aristotelicas reducunt ad quatuor : *sub-*

stantiam, *qualitatem*, *modum* et *relationem*. — Sed hæc divisio est insufficiens.

3° Kantius duodecim categorias assignat : *unitatem*, *pluralitatem* et *totalitatem* ; — *affirmationem*, *negationem* et *limitationem* ; — *substantiam*, *causalitatem*, *communitatem* ; — *possibilitatem*, *existentiam*, *necessitatem* ; quas ex judiciis eruere conatur. — At immerito ; nam categoriæ judicia antecedunt. Præterea, in ordinatione Kantiana categoriarum, notiones transcendentales et genericæ permiscentur.

4° Cousin omnes notiones reducit ad *absolutum* et *contingens*. — Sed hæc divisio est insufficiens valde (1).

479. **Substantia. Essentia.** — Prima categoriarum est *substantia* (a vocibus *sub stare*), quæ subest accidentibus et sustentatur in seipsa. Non proprie definitur, siquidem est genus supremum, sed describi potest : ens per se stans, id est, non indigens alio cui inhæreat tanquam subjecto. Unde scribit S. Th. :

Substantia verò quæ est subjectum, duo habet propria. Quorum primum est quòd non indiget extrinseco fundamento in quo sustentetur, sed sustentatur in seipsa; et ideo dicitur *subsistere*, quasi per se et non in alio existens. Aliud verò est quòd est fundamentum accidentibus sustentans ipsa ; et pro tanto dicitur substare (2).

Substantia distinguitur ab essentiâ. Hæc enim innuit naturam, entitatem, dum illa exprimit modum essendi. Attamen, apud Aristotelem et Patres græcos, eadem vox οὐσία significat modò substantiam modò essentiam seu quidditatem ; unde aliqua æquivocatio invenitur in voce, sed non in conceptibus. Substantia est *id quod est in se* ; essentia vero est *id quo res est id quod est* : hæc notio est trancendens ; illa verò est generica.

480. **Hujus notionis origo**. — Notio substantiæ est obvia, primitiva et clara. Nam proxime subsequitur ideas entis et non-entis, distinctionis et successionis. Cùm mens res extra se positas intuetur, mox apprehendit eas mutari, transire ab

(1) V. *Hist. de la phil.*
(2) De Potentia, q. 9, a. 1.

uno esse ad aliud, dum aliquod ens permanet. Similiter, cùm mens in seipsam revertit, se apprehendit modò cogitantem, modò volentem, cogitantem hoc vel illud, dum ipsa remanet eadem. Hinc notiones accidentium et substantiæ.

481. **Substantia per accidentia cognoscitur.** — Notio igitur substantiæ habetur, mediantibus accidentibus : scilicet primò cognoscitur substantia quatenus accidentibus subest eisque opponitur. Sed id quod accidentibus subest eisque opponitur existit in se ; et hæc est tandem notio substantiæ. Unde, ut ait Zigliara, « ratio essentialis substantiæ non consistit in ordine substandi accidentibus, sed in hoc quòd per se existit et non in alio » (1). Et ideo, quamvis notio substantiæ habeatur modo negativo, ipsa tamen est positiva. — His dictis, confutantur aut corriguntur quædam definitiones falsæ aut æquivocæ.

482. **Quarumdam definitionum critica**. — 1o Quidam veteres, quorum meminit Aristoteles, definiebant substantiam tanquam *aliquid corporeum et extensum*. Eorum sententiæ adhæsisse videntur Hobbes aliique materialistæ. Sed non omnis substantia est corpus, quamvis substantia corporalis primò cognoscatur.

2o Rejicienda est aut saltem explicanda definitio cartesiana : *Substantia est res quæ ita existit ut nulla aliâ re indigeat ad existendum*. Sane substantia non indiget subjecto in quo recipiatur, sed non existit *a se*, sicut putavit Spinosa, definitionem cartesianam secundùm malam partem accipiens, ut adstrueret unicam esse in mundo substantiam, necessariam et infinitam, cujus res omnes contingentes essent solummodo modificationes.

3o Erravit etiam Cousin, dicens substantiam esse naturâ suâ absolutam. Sane substantia non refertur ad subjectum cui inhæreat ; sed substantia finita refertur ad substantiam infinitam, quæ illam condidit.

4o Neque sufficit dicere, cum Leibnizio et aliis, substantiam esse *causam* vel etiam *vim*. Sane omnis substantia est causa

(1) *Summa phil.* Ontologia. De notione substantiæ. V.

et aliquâ saltem vi non destituitur. Sed alia est notio substantiæ et alia notio causæ ; a fortiori substantia non est *vis*, id est, qualitas et accidens.

483. **Substantiæ species.** — 1° Ratione abstractionis, substantia dicitur *prima*, seu physica, vel *secunda* seu metaphysica. Illa est individua, concreta (ex. gr. Petrus, Paulus, hic arbor) et describitur : substantia quæ neque in subjecto est, neque de subjecto aliquo affirmatur. Hæc autem est universalis et abstracta (ex. gr. humanitas, arbor in genere) et describitur : substantia quæ non est in subjecto sed affirmatur de subjecto (ex. gr. humanitas affirmatur de Petro).

2° Ratione perfectionis, substantia est *completa* vel *incompleta*. Illa non ordinatur ad componendum cum aliâ naturam specificam : ita Deus, angelus. Hæc autem ordinatur ad componendum cum aliâ aliquam naturam : ita anima humana et anima bestiarum. Iterum duplex est, prout est incompleta *ratione substantialitatis* vel tantùm *ratione speciei*. Anima bestiarum est incompleta ratione substantialitatis etiam, quia subsistere nequit sine corpore ; anima verò humana est incompleta tantùm ratione speciei, quia est immaterialis, proindeque subsistere potest sine corpore.

3° Ratione unitatis, substantia est *simplex* (ex. gr. Deus, angelus, anima) vel *composita* (homo, animal, planta).

His dictis de verâ notione substantiæ, agendum est de realitate substantiæ et de personâ, quæ est inter substantias nobilissima.

THESIS. — *Conceptus substantiæ non est figmentum mentis, sed exprimit aliquid reale et objectivum. — Unà cum substantiâ invenitur in creaturis intellectu prœditis et specie completis personalitas, — quæ realiter distingui videtur a naturis singularibus earum. — Quidquid sit, personæ identitas reponi nequit in memoriâ et conscientiâ, quibus persona cognoscit seipsam.*

484. **Notionis substantiæ objectivitas.** — Objectivitatem seu realitatem notionis substantiæ asserimus contra Lockium aliosque sensistas, qui contendunt notionem substantiæ esse congeriem idearum simplicium sensu perceptarum ; unde

substantia ipsa non esset nisi complexus qualitatum quas sensu percipimus. At falsò.

1° Nam qualitates sensibiles sensu perceptæ (ex. gr. qualitates alicujus fructûs : color, sapor, figura) existere non possunt nisi in subjecto, id est, in aliquâ substantiâ, quâ sustentantur et ita colligantur ut aliquid unum exhibeant. Substantia igitur est fundamentum cujuscumque realitatis sensibilis; nisi sit realis, omnia evanescunt.

2° Signum hujus veritatis invenitur in oratione, quæ tota nititur subjecto seu voce substantivâ. Nisi sit subjectum, ceteræ partes orationis jam non habentur : ita, sine substantiâ, aliquid reale permanere non potest.

3° Objectivitas substantiæ eadem est ac objectivitas universalium, de quâ jam disseruimus (cp. xv). Nam substantia *secunda*, id est, abstracta, est genus supremum ac proinde aliquid universale. Substantia autem *prima* seu individua et concreta, est simpliciter et formaliter aliquid reale.

Facile solvemus objectiones adversariorum dummodo ad sequentia attendamus :

Sensibus apprehendimus directe qualitates sensibiles tantùm ; unde, sub hoc respectu, substantiæ latent : sed intellectu eas detegimus et dignoscimus ex qualitatibus.

Pereuntibus qualitatibus et aliis accidentibus, evanescit substantia ; sed non ideo qualitates sunt substantia : qualitates sunt solummodo accidentia et signa substantiæ. — Nunc ad difficiliora transeamus :

485. **Persona**. — Inter nobiliores substantias sunt *suppositum* et *persona*. *Suppositum* seu hypostasis est *substantia individua*, et quidem perfecte individua, id est, completa et incommunicabilis, nisi agatur de supposito improprie aut lato sensu dicto (ex. gr. folium arboris, manus, pes, anima humana, quando separata sunt). *Persona* autem est *suppositum rationale*. Unde persona a Boetio definita fuit : *Rationalis naturæ individua substantia*. Explicari potest hæc definitio his verbis : persona est substantia individua et rationalis seu intelligens, completa, sui juris et alteri incommunicabilis. Quas notiones sic tradit S. Th. :

Convenienter individuæ substantiæ habent aliquod speciale nomen præ aliis ; dicuntur enim hypostases vel primæ substantiæ. Sed adhuc quodam specialiori et perfectiori modo invenitur particulare et individuum in substantiis rationalibus, quæ habent dominium sui actûs; et non solùm aguntur, sicut alia, sed per se agunt... Et ideo, etiam inter ceteras substantias, quoddam speciale nomen habent singularia rationalis naturæ ; et hoc nomen est *persona* (1).....

Anima est pars humanæ speciei. Et ideo, licèt sit separata, quia tamen retinet naturam unibilitatis, non potest dici substantia individua, quæ est hypostasis, vel substantia prima ; sicut nec manus, nec quæcumque alia partium hominis. Et sic non competit ei neque definitio personæ neque nomen (2).

Nunc autem quæritur utrùm persona ut persona, seu personalitas, realiter distinguatur a naturâ singulari cujus est complementum et perfectio.

486. **Personæ et naturæ distinctio.** — In creaturis, distinctio realis inter personam et naturam singularem admittenda videtur. Dico : *inter personam et naturam singularem ;* nam de distinctione reali inter personam et naturam specificam (ex. gr. inter personam Petri et naturam humanam quæ est in Petro) dubitatio esse non potest. Dico etiam : *in creaturis ;* quia in Deo non est realis distinctio inter personam et naturam, existentiam et essentiam.

Quam distinctionem sic ostendunt thomistæ : Persona triplicem communicabilitatem excludit : 1° communicabilitatem universalis ad singularia (sic humanitas communicatur Petro) ; — 2° communicabilitatem partis ad totum (sic anima communicatur composito humano) ; — 3° communicabilitatem assumptionis a personâ digniore (sic humanitas Christi assumpta est a personâ Verbi).

Atqui natura singularis excludit quidem primam communicabilitatem, sed non secundam neque tertiam. Ex hoc ergo differt a personâ, præsertim cùm ejusmodi communicabilitates maximi momenti esse videantur.

Idem assertum confirmatur aliquo modo per revelationem.

(1) 1a, q. 29, a. 1, in corp.
(2) Ibid., ad 5. — Cf. etiam 1a, q. 75, a. 4.

Fide enim tenemus Verbum assumpsisse naturam humanam singularem, nempe Christi, sine subsistentiâ propriâ, id est, sine personalitate humanâ. Atqui id fieri non potuisset nisi personalitas humana realiter distingueretur a naturâ cujus est complementum.

Verumtamen conclusio nostra non est de fide neque sententia opposita est temeraria, ipsis thomistis fatentibus. Sic Bannez :

Quamvis non sit error in fide aut temerarium dicere, quòd suppositum et natura *solâ ratione* distinguuntur, est tamen multò conformius fidei et veritati quòd in compositis ex materiâ et formâ distinguuntur realiter (1).

Quænam autem sit hæc distinctio? Estne realis simpliciter seu entitativa, sicut inter rem unam et rem aliam, an verò modalis? Distinctio modalis sufficere videtur; nam subsistentia seu personalitas non est aliud nisi modus existendi suppositis proprius.

487. **Personalitas non est aliquid negativum.** — Quidquid sit, personalitas non est mera negatio unionis naturæ singularis cum ente nobiliori, sicut existimaverunt plures scotistæ et cartesiani. Nam subsistentia seu personalitas est perfectio, et quidem maxima; perfectio autem est aliquid positivum.

Confirmatur : 1° ex mysterio SS. Trinitatis. In Deo enim sunt tres personæ; quæ profectò constituuntur realibus ac positivis rationibus.

2° Ex mysterio Incarnationis. Verbum enim assumpsit naturam humanam. Hoc autem intelligi minime potest, nisi persona aliquid positivum afferat, nempe complementum et perfectionem. Sane unio Verbi cum naturâ humanâ in Christo est intima et aliquo modo substantialis; sed hæc unio intelligi non potest, nisi persona Verbi afferat naturæ humanæ Christi perfectionem aliquam substantialem, scilicet subsistentiam divinam.

488. **Objectiones.** — 1° Si personalitas realiter distingue-

(1) Cf. Zigliara, *Summa phil.* Ontologia, lib. III, cp. I, art. 4.

retur a naturâ, vel esset substantia, vel esset accidens ; sed utrumque est impossibile.

Resp. — Personalitas distinguitur a naturâ non tanquam unum ens ab altero, sed tanquam modus substantialis distinguitur a substantiâ quam afficit. Personalitas igitur est substantialis, sed non est substantia.

2° Quidquid rei additur eamque complet, ei accidit. Porro personalitas additur rei eamque complet. Ergo ab eà distinguitur tanquam accidens.

Resp. — Aliud est complementum accidentale et aliud substantiale. Personalitas complet naturam cui confert subsistentiam ipsam, non autem aliquem modum accidentalem essendi.

489. **Personalitatis cum memoriâ et conscientiâ comparatio.** — Nunc confutandi sunt sensistæ qui, cum Lockio, personalitatem seu personæ identitatem reponunt in memoriâ et conscientiâ. Sane persona seipsam apprehendit et cognoscit per conscientiam et memoriam, sed ab his potentiis earumque actibus valde differt.

Etenim 1° persona est aliquid substantiale, naturam ipsam et esse primum complens ; unde nullo modo in actibus potentiarum aut in ipsis potentiis, quæ ex naturà fluunt, reponenda est.

2° Ex sententiâ oppositâ sequuntur absurda consectaria. Nam si personalitas reponeretur in memoriâ et in conscientiâ, jam, deficientibus illis, personalitas ipsa deficeret ; mutaretur sensim vel etiam subitò, sicut mutantur ipsi actus et ipse status memoriæ et conscientiæ : ex. gr. in somno evanesceret ; in amentiâ fieret altera aut etiam multiplex, etc. Non permanerent ergo meritum et demeritum, jus et debitum, cùm personam aut saltem naturam immutabilem supponant.

3° Gravissima sunt etiam consectaria in theologiâ. Nam. si personalitas reponenda est in memoriâ et conscientiâ, jam Christi essent duæ personæ, in Deo autem esset una tantùm.

CAPUT XXVII

DE ACCIDENTIBUS IN GENERE ET SPECIATIM DE QUANTITATE, DE QUALITATE ET RELATIONE

490. **Accidens; ejus species. Modi accidentales.** — Accidens est res cui debetur esse in alio tanquam in subjecto. Accidens *prædicamentale* de quo nunc agitur, differt ab accidente logico seu *prædicabili*, quod est unum ex quinque prædicabilibus. Accidens enim logicum est in alio sicut in toto (sic manus, pes, folium) et opponitur *essentiæ*, dum accidens prædicamentale est in alio sicut in subjecto et opponitur *substantiæ*.

Distinguuntur accidentia *absoluta* et accidentia *modalia*. Illa non dicuntur absoluta quia subsisterent seu existerent in se : hoc enim esset contradictorium; sed quia afficiunt immediate ipsam substantiam sine ordine ad aliquid externum; unde non constituuntur aliquâ relatione. Ejusmodi sunt qualitas et quantitas, quæ sunt præcipua accidentia et realiter distinguuntur ab ipsâ substantiâ. Cetera accidentia dicuntur modalia, quorum realitas, secundùm quosdam, non distingueretur ab accidentibus absolutis, quibus mediantibus, substantiam modificant. Sed doctrina de reali distinctione præcipuorum accidentium a non paucis rejicitur, in primis a cartesianis, qui dicunt accidentia non realiter distingui a substantiâ et esse meras modificationes, meros status substantiæ; unde sine ipsâ nullo modo existere possent. Quæ opinio sic confutanda est :

THESIS. — *In rebus creatis, præter substantiam, dantur realia accidentia (qualitas et quantitas), a substantiâ realiter distincta; — unde non videtur repugnare divinæ virtuti ut ea conservet separata a subtantiâ cui antea inhærebant. — Speciatim de quantitate, ejus essentia distinguitur a substantiâ corporali, — et non consistit in divisibilitate vel extensione externâ, sed potiùs in divisibilitate vel extensione internâ. — Accidentibus absolutis superveniunt relationes, quarum plures sunt reales.*

491. **In creatis accidentia realiter distinguuntur a substantiâ**. — Etenim id quod existit vel non existit, eâdem substantiâ permanente ; id quod eam modificare potest quàm maxime perfectionibus multis ; id quod eam capacem efficit operandi vel patiendi, sane est aliqua realitas distincta ab ipsâ substantiâ. Atqui accidentia, saltem præcipua, sunt ejusmodi, tum accidentia corporalium et viventium (ex. g. magnitudo, figura, color, durities, calor, sanitas), tum accidentia spiritualia (ex. g. scientia, ars, virtutes). Ergo.

Confirmatur doctrinis theologicis. Sunt enim quædam accidentia supernaturalia (fides, spes, caritas, lumen gloriæ, etc.), quamvis substantia animæ quæ illa suscipit et sustentat sit naturalis.

Quænam autem sit distinctio inter accidentia præcipua et substantiam : estne realis simpliciter an verò modalis ? Distinctio modalis non sufficit, præsertim si agitur de accidentibus absolutis, quæ sine substantiâ existere possunt. De istis igitur dicendum est.

492. **Accidentia absoluta possuntne existere separatim ?** — Respondeo : non videtur repugnare divinæ virtuti ut accidentia absoluta (et cum istis cetera, quæ in eis fundantur) conservet separata a substantiâ cui antea inhærebant, sicut fit in SS. Eucharistiâ, saltem juxta theologos probatissimos. Diximus : *non videtur ;* nam existimamus neque possibilitatem neque impossibilitatem hujus separationis esse demonstrabilem positive et rationibus mere philosophicis.

Impossibilitas seu repugnantia hujus separationis non videtur. Nam repeti non potest : 1° ab identitate accidentis cum substantiâ, cùm sint realiter distincta ; — 2° neque a necessitate dependentiæ accidentis respectu substantiæ seu a necessitate influxûs substantiæ in accidens. Nam hunc influxum divina virtus supplere potest. Sicut observat S. Th. :

Cùm effectus magis dependeat a causâ primâ quàm a causâ secundâ, Deus, qui est prima causa substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in *esse* accidens, subtractâ substantiâ, per quam conservabatur in esse

sicut per propriam causam, sicut et alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis (1).

3º Neque ab inhærendi exigentiâ. Nam inhæsio *actualis* non est de essentiâ accidentis, sed solùm inhæsio aptitudinalis; est enim definitio accidentis : *cui debetur esse in alio*. Neque accidens fit substantia ex eo quòd non existit actu in subjecto; nam substantia non est id quod existit sine subjecto sed id cui competit habere esse non in subjecto, sicut observat S. Th. :

Non est definitio substantiæ : ens per se sine subjecto; nec defininio accidentis : ens in subjecto; sed quidditati seu essentiæ substantiæ competit habere esse non in subjecto, quidditati autem seu essentiæ accidentis competit habere esse in subjecto. In hoc autem Sacramento (loquitur de SS. Eucharistiâ) non datur accidentibus quòd ex vi suæ essentiæ non sint in subjecto, sed ex divinâ virtute sustentante; et ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, nec competit eis definitio substantiæ (2).

Hinc facile solvuntur objectiones.

493. **Objectiones.** — 1º *Accidentis esse est inesse*, ut ait Aristoteles. Accidentia autem separata a substantiâ jam non insunt. Ergo non sunt, id est, repugnant.

Resp. — Accidentis esse est inesse *aptitudine*, sed non *actu*, id est, non est de essentiâ accidentis ut actu inhæreat.

Instantia. — Si accidentia remanerent, subtractâ substantiâ, jam ipsa fierent substantiæ, cùm essent sine subjecto ac proinde in se.

Resp. — Non essent quidem in subjecto, sed indigerent influxu quodam divino supplente influxum substantiæ; unde non essent proprie in se, id est, non per se starent.

Instantia. — Accidens essentialiter refertur ad substantiam et sine hac relatione ne concipi quidem potest. Sed, subtractâ substantiâ, perit hæc relatio ac proinde ipsum accidens.

Resp. — Accidens essentialiter refertur ad substantiam, sed non istâ relatione constituitur (loquimur de accidente abso-

(1) 3a pars, q. 77, a. 1.
(2) Ibid. ad 2.

luto). Unde existere potest, quamvis terminus hujus relationis qui est substantia non existat.

2° Cogitatio, volitio aliaque accidentia animæ, sicut virtutes et scientiæ, existere non possunt sine substantiâ animæ. Ergo a pari accidentia corporum existere nequeunt sine substantiâ corporali.

Resp. — Nego paritatem ; nam accidentia animæ sunt aliquid vitale, ideoque indigent influxu substantiæ cui inhærent.

3° Non aliter sentiendum est de reliquis accidentibus quàm de rotunditate ceræ, ex. g. Sed repugnat rotunditatem ceræ dari sine re quam terminat.

Resp. — Repugnat quidem rotunditatem ceræ, quæ est modus quantitatis ceræ, dari sine quantitate quam terminat immediate ; sed non repugnat rotunditatem ceræ dari sine substantiâ ceræ.

491. **Essentia quantitatis non est essentia ipsius substantiæ.** — Hæc conclusio fluit ex dictis jam de distinctione reali inter accidentia in genere et substantiam. Nam quantitas est accidens absolutum et fundamentale ceterorum, in corporibus. Igitur quidquid demonstrat realem distinctionem accidentium a substantiâ valet etiam et a fortiori pro quantitate.

Adest insuper ratio propria. Etenim quantitas videtur constitui, ut infra explicabitur, divisibilitate seu extensione in partes proprie dictas et homogeneas. Atqui essentia substantiæ hac divisibilitate seu extensione non constituitur, sed ab eâ omnino præscindit, ita ut tota inveniatur sub qualibet parte, dum quantitas non invenitur nisi propter plures partes. Unde scribit S. Th. :

Remotâ quantitate, substantia omnis indivisibilis est, ut patet per Philosophum (Physic. I) (1).

(Et alibi) :

Manifestum est quòd natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum sub quibus continetur ; sicut sub

(1) *Cg.*, l. IV, cp. LXV.

qualibet parte aeris est tota natura aeris, et sub qualibet parte panis est tota natura panis; et hoc indifferenter, sive sint dimensiones actu divisæ (sicut cùm aer dividitur, vel panis secatur), vel etiam sint actu indivisæ, divisibiles verò potentiâ (1).

495. **Ubi reponenda est essentia quantitatis**. — Nunc videamus quodnam sit constitutivum quantitatis. Sub nomine quantitatis plura intelliguntur : 1o divisibilitas in partes ejusdem naturæ seu extensio harum partium *in ordine ad se;* quâ fit nempe ut una pars non sit alia. Hæc extensio dici potest interna. — 2o Divisibilitas seu extensio partium *in ordine ad locum;* quâ fit ut alia corpora aliis mensurentur. — 3o Mensurabilitas, quæ consequitur extensionem. — 4o Impenetrabilitas, quæ consequitur occupationem loci per unum corpus, etc. Jamvero asserimus, contra Cartesianos, essentiam quantitatis constitui divisibilitate seu extensione internâ potiùs quàm externâ seu locali. Abstrahimus igitur a controversiâ de hac re inter scholasticos, quorum alii contendunt essentiam quantitatis constitui divisibilitate (ita Sanseverino), alii autem extensione (Zigliara). Sic autem rejicitur opinio cartesiana :

Essentia alicujus rei est illud quod primò in re concipitur, quo posito res statim intelligitur, quo negato res ipsa negatur, et est radix omnium proprietatum quæ rei ipsi conveniunt. Atqui divisibilitas interna vel extensio interna est ejusmodi respectu quantitatis. Intelligimus enim substantiam esse quantam ex eo quòd est divisibilis vel extenditur in partes, quæ inter se comparantur et mensurantur; divisibilitas externa vel extensio externa concipitur tanquam effectus internæ. Nam corpus non mensuratur loco et aliis corporibus nisi quia priùs ejus partes quadam proportione seu mensurâ internâ potiuntur. Sane quantitas est aliquid intrinsecum priùs quàm sit aliquid extrinsecum et externum; occupatio loci seu quantitas extrinseca non competit corpori nisi quia priùs est quantum in se.

Confirmatur doctrinis theologicis. Corpus enim Christi per-

(1) *Summa theol.*, 3a pars, q. 76, a. 3.

fectum, id est, cum suâ quantitate debitâ et essentiali, est in SS. Eucharistiâ, cùm tamen ibi non mensuretur loco.

Hinc concludimus occupationem loci, impenetrabilitatem aliasque proprietates esse secundarias, non autem quantitati essentiales (cf. n. 674).

496. **Objectio**. — Hanc quantitatem internam imaginari non possumus, sed omne corpus apprehendimus in loco ; unde quantitas ejusmodi repugnare videtur.

Resp. — Hæc quantitas interna saltem concipitur, et hoc sufficit ad manifestandam ejus possibilitatem. Etiamsi omne corpus esse oporteret in loco, non videtur esse absolute necessarium ut loco mensuretur. Sane si unum corpus esset in mundo, non mensuraretur corporibus circumstantibus, sed solummodo seipso. Idem dicendum est de toto mundo, qui esse non potest proprie in loco.

497. **De qualitate**. — Describitur qualitas : accidens modificativum seu dispositivum substantiæ in seipsa (S. Th.), vel etiam : accidens complens ac perficiens substantiam tam in existendo quàm in operando (Albertus Magnus).

Sedulò distinguenda est qualitas prædicamentalis de quâ nunc agitur : 1° a qualitatibus latissimo sensu ; (ex g. unitas, veritas, bonitas), quæ prædicantur de subjecto adjective, quamvis revera non sint accidentia ; — 2° a qualitatibus latiori sensu, quæ prædicantur de quolibet genere accidentis. Nam adsunt qualitates quantitatis, relationis, actionis et passionis, loci et temporis, etc. Qualitas verò proprie dicta substantiam qualificat et afficit per se seu immediate, quin alium modum includat : ita sunt virtutes, scientiæ, vis, color.

Qualitas differt a quantitate, quæ oritur ex principio materiali substantiæ ideoque ad spiritualia non extenditur, dum qualitas oritur proprie ex formâ et afficit tam spiritus quàm corpora. Differt etiam a relatione, quæ non afficit substantiam in se, sed in ordine ad aliud. Ceterùm, accidentia alia aliis determinantur et afficiuntur variis modis, ita ut, ex. g. sit qualitas quantitatis, etc., ut diximus, et quantitas qualitatis, actionis et passionis, etc.

498. **Qualitatum proprietates**. — Tres præcipuæ proprietates generales qualitatum numerantur :

1° *Qualitates habent contrarium*, id est, unaquæque earum opponitur alteri positive vel negative : ex. gr. lux opponitur tenebris ; virtus, vitio ; scientia, errori et ignorantiæ, etc.

2° *Qualitates suscipiunt magis et minus*, id est, afficiuntur quadam quantitate, ut supra dictum est.

3° *Qualitates sunt fundamentum similitudinis vel dissimilitudinis.* Nam *similitudo* proprie dicta est convenientia plurium in iisdem qualitatibus, sicut *æqualitas* est convenientia in eâdem quantitate. Unde similitudo et dissimilitudo ad quamdam *relationem* qualitatum reducuntur; æqualitas verò et inæqualitas, ad quamdam relationem quantitatum.

499. **Qualitatum species**. — *a)* Omnes qualitates ad quatuor species reducuntur a scholasticis : 1° *Habitus* et *dispositio*, quæ complent, modificant, perficiunt substantiam ad bene operandum. — 2° *Potentia* (cui opponitur impotentia), quæ est ipsa facultas operandi. — 3° *Passio* et *patibilis qualitas*, quæ modificant substantiam in ordine ad passionem et alterationem : passio transit, dum patibilis qualitas remanet. — 4° *Forma* et *figura*, quæ modificant substantiam in ordine ad extensionem. Sed alia est figura quæ fluit ex ipso principio substantiali (ex. gr. figura hominis in Petro), et alia est figura quæ est purus terminus quantitatis (ex. gr. figura hominis in statua) : illa solummodo est qualitas proprie dicta.

b) Respectu sensuum, aliæ qualitates sunt *sensibiles* et aliæ *non sensibiles*. Illæ dividuntur, sicut sensus, in *visibiles*, *audibiles*, etc.

500. **De habitu**. — Speciatim de habitu quædam observare expedit. Habitus definitur : « qualitas seu dispositio de difficili mobilis, secundùm quam bene vel male disponitur aut secundùm se aut ad aliud. » Dicitur : *difficilè mobilis ;* unde habitus differt a merâ dispositione. Ad rem S. Th. :

Ista differentia « difficilè mobile » non diversificat habitum ab aliis speciebus qualitatis, sed a dispositione. Dispositio autem dupliciter accipitur : uno modo secundùm quòd est genus habitûs ; nam dispositio ponitur in definitione habitûs. Alio modo secundùm quòd est aliquid contra habitum divi-

sum; et potest intelligi dispositio proprie dicta condividi contra habitum dupliciter: uno modo sicut perfectum et imperfectum in eâdem specie, ut scilicet dispositio dicatur retinens nomen commune, quando imperfecte inest, ita quòd de facili amittatur; habitus autem, quando perfecte inest, ut non de facili amittatur, et sic dispositio fit habitus, sicut puer fit vir. Alio modo possunt distingui, sicut diversæ species unius generis subalterni, ut dicantur dispositiones illæ qualitates primæ speciei quibus convenit secundùm propriam rationem ut de facili amittantur, quia habent causas transmutabiles, ut ægritudo et sanitas; habitus verò dicantur illæ qualitates quæ secundùm suam rationem habent quòd non de facili transmutentur, quia habent causas immobiles, sicut scientiæ et virtutes; et secundùm hoc dispositio non fit habitus (1).

Dicitur deinde: *secundùm se aut ad aliud*. Nam, inter habitus, alii disponunt subjectum præsertim in seipso, qui dicuntur *entitativi* (ex. g. gratia sanctificans); alii autem operationem præsertim respiciunt: ita scientiæ et virtutes. Ceterùm, omnes habitus ordinantur aliquo modo ad operationem, cùm naturam perficiant, quæ est principium operationis; unde habitus vulgò dicuntur *secunda natura* (2).

Ex his sequitur habitum non inveniri proprie in corporibus, neque etiam in plantis vel in brutis, quia eorum vires seu potentiæ determinantur ad unum; habitus autem proprie dictus est dispositio particularis et stabilis potentiæ, quâ ratio utitur. Ad rem S. Th.:

Dicendum quòd vires sensitivæ in brutis animalibus non operantur ex imperio rationis; sed, si sibi relinquantur bruta animalia, operantur ex instinctu naturæ; et sic in brutis animalibus non sunt aliqui habitus ordinati ad operationes; sunt tamen in eis aliquæ dispositiones in ordine ad naturam, ut sanitas et pulchritudo. Sed quia bruta animalia a ratione hominis per quamdam consuetudinem disponuntur ad aliquid operandum sic vel aliter, hoc modo in brutis animalibus habitus quodam modo esse possunt... Deficit tamen ratio habitûs quantùm ad usum voluntatis, quia non habent dominium utendi vel non utendi, quod videtur ad rationem habitûs pertinere. Et ideo, proprie loquendo, in eis habitus esse non possunt (3).

(1) 1a 2æ, q. 49, a. 2, ad 3.
(2) Cf. S. Th., ibid., a. 3.
(3) Ibid., q. 50, a. 3, ad 2.

501. **Habitûs necessitas.** — Habitus igitur non invenitur proprie in animalibus sed solùm in homine, cujus potentiæ sunt indeterminatæ ad opposita. Unde ex hoc apparet etiam necessitas seu maxima utilitas habituum, quibus potentiæ ad bene operandum disponuntur (1). Hinc necessitas *scientiarum* et *virtutum* (cf. n. 984, etc.).

502. **De relatione.** — Relatio prædicamentalis de quâ nunc agitur, non est relatio transcendentalis, qualis est, ex. gr. unitas vel veritas, sed est accidens quo subjectum determinatur et refertur ad aliquid ut ad terminum : ita *æqualitas*, quæ fundatur in qualitate ; *similitudo*, quæ fundatur in quantitate; *paternitas*, quæ fundatur in generatione, etc.

In omni relatione inveniuntur tria essentialia : 1° *subjectum*, scilicet id quod refertur ad aliud, id in quo est et de quo dicitur relatio : ex. g. pater, in quo est paternitas ; — 2° *terminus*, scilicet id ad quod refertur subjectum : ita filius respectu patris ; — 3° *fundamentum* relationis, scilicet ratio seu causa cur subjectum referatur ad terminum : ita generatio, quâ ligantur pater et filius. Subjectum et terminus dicuntur *correlativa*, si relatio est mutua; si verò relatio non est mutua, jam duorum extremorum quæ relatione junguntur unum est absolutum et alterum relativum : ita relatio creaturæ ad Deum.

503. **Relationum species.** — Alia igitur est relatio *mutua* seu reciproca et alia *non mutua*. In illâ, sublato uno extremo, tollitur alterum formaliter : ita pater non est sine filio neque filius sine patre, seu potiùs non est paternitas sine filiatione, neque filiatio sine paternitate. Relatio mutua iterum duplex est : alia æquiparantiæ, id est, ejusdem rationis (ex. g. similitudo coloris inter duo), et alia disquiparantiæ (ex. g. relatio inter patrem et filium).

2° Alia est relatio *prædicamentalis*, de quâ solâ nunc agitur, et alia relatio *transcendentalis*. Hæc non est accidens : ita omne ens refertur ad intellectum ; ita etiam anima refertur ad corpus, materia ad formam, accidens ad substantiam.

(1) Cf. S. Th., ibid., q. 49, a. 4.

3° Ratione fundamenti, aliæ sunt relationes *æqualitatis* vel *proportionis* (sicut duplum et dimidium), quæ in *quantitate* fundantur; aliæ relationes *causalitatis* seu inter quoddam principium et ejus terminum, quæ fundantur in *actione* et *passione* (sicut faciens et factum, pater et filius); et aliæ relationes *similitudinis*, quæ fundantur in *qualitate* vel *formâ* (1). Hæc divisio attingit relationem in seipsa. Divisio sequens non est minoris momenti.

4° Ratione objectivitatis, alia est relatio *realis* et alia *logica*. Illa consistit in ordine unius rei ad aliam rem ; viget igitur in rebus ipsis, independenter a mentis consideratione; detegitur a mente, sed non est fructus mentis : ejusmodi sunt relationes inter causas et effectus. Ut relatio sit realis oportet ut *subjectum, terminus* et *fundamentum* relationis sint realia et adsit realis distinctio inter subjectum et terminum. Relatio autem logica consistit in ordine unius entis logici ad aliud ens logicum, aut unius rei ad ens logicum, ideoque a mentis consideratione dependet : hoc modo genus humanum refertur ad individua, ens ad non-ens, præsens ad futurum, aliquid ad seipsum.

Relationes reales aliæ sunt *increatæ* (relationes nempe divinarum personarum : paternitas, filiatio, spiratio activa, spiratio passiva), et aliæ *creatæ*, quæ sunt quasi numero infinitæ.

504. **Adsunt relationes reales.** — Quamvis relationes creatæ, sint « debilioris esse inter omnia prædicamenta », ut ait S. Th., tamen sæpe sunt reales, id est, omnino independentes a mentis consideratione.

Etenim 1° inveniuntur in rebus creatis plurimi respectus qui nullo modo a mentis consideratione pendent : ejusmodi sunt omnes relationes ex quibus exsurgit ordo mundi. Ad rem S. Th. :

Perfectio et bonum quæ sunt in rebus extra animam non solùm attenduntur secundùm aliquod absolute inhærens rebus, sed etiam secundùm ordinem unius rei ad aliam ; sicut etiam in ordine partium exercitùs bonum exercitùs consistit; huic enim ordini comparat Philosophus ordinem universi.

(1) Cf. S. Th. (1a, q. 28, a. 4), qui tamen ibi non loquitur de relatione fundatâ in qualitate

Oportet ergo in ipsis rebus ordinem quemdam esse ; hic autem ordo relatio quædam est. Unde oportet in rebus ipsis relationes quasdam esse, secundùm quas unum ad alterum ordinatur (1).

2° Plurimarum relationum (ex. gr. causalitatis, paternitatis) omnia constitutiva sunt realia, scilicet subjectum, terminus, fundamentum, et insuper subjectum et terminus realiter distinguuntur. Ergo relationes ejusmodi sunt reales.

Sed crescit difficultas, cùm quæritur : utrùm relatio realis realiter distinguatur a suo fundamento proximo : ex. gr. utrùm causalitas realiter distinguatur ab actione, paternitas a generatione, æqualitas a quantitate, similitudo a qualitate ? — Alii affirmant (thomistæ generatim), quia relatio est ad aliud ; fundamentum autem est absolutum seu ad rem ipsam — Alii negant : 1° quia, posito fundamento, hoc ipso relatio datur ; 2° quia res fit sæpissime similis vel æqualis alteri absque ullâ mutatione sui, sed ex merâ positione alterius ; 3° quia illæ entitatulæ relativæ sine ullâ necessitate requiruntur, etc. Sed rationes ejusmodi fortè nimis probant. Nam ordo mundi est objectivus et realis non solùm ex accidentibus absolutis et actionibus rerum, sed etiam ex relationibus quæ accidentia absoluta et actiones consequuntur.

505. **Relationum proprietates**. — Quinque præsertim numerantur :

1° Relationes non habent contrarium, id est, non se excludunt in eodem subjecto. Ex. gr. Ulysses est simul filius Laertæ et pater Telemachi.

2° Non suscipiunt magis et minus. Ex. gr. æqualitas, similitudo, paternitas sunt vel non sunt.

3° Invicem convertuntur. Ex. gr. dicitur : *pater filii*, vel : *filius patris*.

4° In relationibus mutuis, correlativa sunt naturâ simul. Ex. gr. non est pater sine filio, nec filius sine patre ; linea æqualis non est sine alterâ æquali.

5° Correlativa simul cognoscuntur, seu unum altero definitur et notificatur.

(1) De Potentia, q. 7, a. 9. Cf. etiam *Summa theol.*, 1ª, q. 28, a. 1.

CAPUT XXVIII

DE SPATIO ET TEMPORE

506. **Spatium et tempus**. — Hæ duæ categoriæ, cùm sint genera suprema, non habent aliquid commune; sed sunt diversæ, imò et maxime oppositæ. Attamen plurimis analogiis colligantur; unde invicem se manifestant : utraque enim est continua, capax augmenti et diminutionis in infinitum; tempore utimur ad mensurandum spatium, et spatio ad mensurandum tempus, etc.

In hoc opponuntur quòd partes spatii coexistunt, dum tempus fluit. Igitur totum spatium existit, dum tempus non existit nisi præsens. Deinde, si tempus spectatur ut mera successio, non continua, jam se extendit ad spiritualia, dum spatium non afficit et mensurat nisi corpora. De utroque hæc statuimus :

Thesis : *Spatium reale seu locus universalis corporum definiri potest : relatio dimensionum totius universi cum omnibus quæ in eis continentur. — Quod ad tempus spectat, est essentialiter successio; tempus verò proprie dictum, est successio uniformis, numerus et continuitas in motu — Unde tempus, etiam infinitum, non est æternitas.*

507. **Locus, spatium. Spatium reale, imaginarium.** — Locus definiri potest, cum Aristotele : Superficies prima, immobilis corporis ambientis, seu terminus vel finis continentis immobilis, primus. Locus igitur est quasi quoddam spatium determinatum, particulare; spatium autem concipitur tanquam aliqua extensio, omnia comprehendens, omnia loca et omnia corporalia : non differt ab ipsis dimensionibus totius universi quatenus referuntur ad omnia quæ continent. Notioni loci affinis est notio sitûs, qui est dispositio partium corporis locati in loco.

Aliud est spatium *reale* et aliud spatium *imaginarium*, quod est objectum imaginationis. Sed existitne spatium reale et quomodo ? Confutatione errorum patebit responsio.

508. **Opiniones de spatio**. — 1° Democritus, Leucippus et Epicurus dixerunt spatium esse *vacuum*, in quo omnia corpora tanquam in receptaculo continerentur.

Gassendus, sententiæ Epicuri adhærens, dixit spatium esse ens æternum, increatum, independens, *sui generis*, neque substantiam, neque accidens, dimensiones habens, sed a dimensionibus corporum longe diversas.

2° Adversùs Democritum, Plato et Aristoteles dixerunt spatium esse *plenum*. Plato quidem spatium a materiâ non discriminavit; Aristoteles verò dixit spatium esse superficiem ultimi cœli immobilis, quâ omnia tanquam vase immenso seu sphærâ continerentur.

3° Cartesius, non distinguens essentiam corporum ab extensione et a spatio, putavit vacuum repugnare et mundum corporeum esse magnitudine infinitum.

4° Newtonius et Clarkius dixerunt spatium esse ipsam immensitatem Dei, qui, existendo ubique, eo ipso spatium constitueret; imò, Newtonius spatium *sensorium Dei* nuncupavit.

5° Adversùs eos Leibnizius propugnavit spatium *plenum*. sed illud definivit tanquam *coexistentiam rerum materialium*,

6° Kantius, ultra progrediens, dixit spatium esse *formam a priori sensibilitatis internæ*, ita ut intuitio spatii præcederet perceptionem corporum, quæ spatio continentur.

509. **Critica**. — Has opiniones dijudicando, veram sententiam statuemus. Et primò absurdum est dicere spatium reale esse vacuum : vacuum enim absolutum est nihilum, ideoque omnis extensionis et capacitatis est omnino expers.

Absurda est etiam opinio Gassendi. Spatium enim quale ab eo describitur, intelligi nequit, aut ab ipso Deo non differt. Sed in hoc casu, jam sententia Gassendi iisdem difficultatibus laborat quàm sententia Newtonii et Clarkii.

Hæc autem, utpote extensionem et partes tribuens divinitatì, veram notionem Dei pervertit et in pantheismum ducit.

Neque probanda est opinio Platonis et Cartesii dicentium spatium esse ipsam materiam vel ipsa corpora. Spatium enim continet corpora; corpora, ut corpora, non seipsa continent

sed potiùs suis dimensionibus continentur. Gravis autem est error Cartesii, qui, Kantio viam sternens, non distinxit spatium reale a spatio imaginario neque ab essentiâ corporum.

Neque sentiendum est cum Leibnizio, qui spatium cum *coexistentiâ* corporum confundit. Corpora quidem coexistunt in spatio, sed non ex hac coexistentiâ, quæ est mera *simultaneitas* seu identitas temporis, spatium exsurgit; alioquin ex coexistentiâ spirituum spatium exsurgeret.

Item rejicienda est sententia Kantii. Nam ex eo quòd nequit percipi ullum corpus nisi in aliquo spatio, minime inferendum est nos non posse aliquod corpus apprehendere nisi notio spatii animo nostro jam præformata sit. Primò simul percipimus corpus et quoddam spatium quo continetur, scilicet apprehendimus corpus cum suis dimensionibus quæ illud mensurant et quemdam locum determinant. Deinde abstrahimus ideam generalem spatii vel loci, quæ, sicut omnia universalia et ceteræ categoriæ, est objectiva et subjectiva sub diverso respectu (v. de universalibus). Eadem idea dici potest, sicut alia universalia et aliæ essentiæ, æterna, immutabilis, infinita; inde ortæ sunt fortè opiniones falsæ quas rejecimus.

510. **Vera notio spatii.** — Vera est ergo definitio spatii quam tradebamus. Non est ullum spatium reale sine corpore; attamen spatium non est ipsum corpus, neque corporis quantitas seu dimensiones, sed harum dimensionum relatio ad ea quæ illis continentur. Igitur spatium concretum et universale, sive potiùs totale, constituitur dimensionibus totius universi ad omnia contenta relatis. Hoc autem spatium nullibi est et ab alio non continetur nisi ab imaginario, quod dici potest immobile; sed dimensiones spatii realis mobiles esse oportet vel immobiles sicut dimensiones ipsius universi.

511. **De vacuo.** — Nunc occurrit quæstio de vacuo: *Utrùm vacuum absolutum sit possibile?* — Resp.: Sane illud vacuum est extra mundum, quidquit dixerit Cartesius, seu potiùs mundus limitatur non per nihilum sed per suas dimensiones quibus continetur. Nam mundus est finitus, ut infra explicabitur.

Sed ultra quæritur : *Utrùm vacuum sit possibile in mundo*, ex. gr. inter atomos? Negat Cartesius, quia ex eo quòd non est aliquod corpus inter alia duo, unum tangit alterum. At falsò concludit; nam unum corpus non tangit alterum ex eo quòd non invenitur corpus intermedium, sed ex eo quòd aliquid superficiei eorum fit eis commune.

Affirmant multi hodie esse vacuum inter atomos, ad explicandam condensationem corporum. Sed primò illud vacuum non est absolutum, cùm supponatur spatium repleri aliquo fluido quod vocatur *æther*. Deinde aliter explicari potest corporum condensatio, scilicet per virtutem extensivam quæ crescere vel minui potest, sicut calor, pondus et aliæ qualitates corporum.

Negabant veteres scholastici esse ullum vacuum inter corpora, ad explicandas eorum mutuas actiones : corpus enim non potest agere in distans, seu ubi non est ; unde omnia corpora se tangunt. Quæ sententia etiam hodie videtur verisimillima. Attamen explicari possunt actiones corporum aliquâ aliâ hypothesi.

512. **Spatium reale est finitum.** — Sed certum est spatium reale, id est, illud quo mundus continetur, esse finitum.

Quæcumque enim magnitudo vel multitudo actu infinita repugnat, ut alibi ostensum est (v. n. 471, 472). Ceterùm, quamvis spatium reale esset infinitum, non ideo esset aliquid divinum, scilicet Deus ipse aut immensitas divina. Nam infinitas Dei est quoad ipsum esse, infinitas autem spatii esset quoad accidens ; infinitas Dei est simplex, infinitas autem spatii esset divisibilis.

513. **De tempore ejusque naturâ**. — « Quid ergo tempus? ait Augustinus. Si nemo ex me quærat, scio ; si quærenti explicare velim, nescio. » Revera tempus definiri proprie nequit, cùm sit genus supremum et notio imprimis obvia ; sed describitur tanquam *numerus motûs*. Ad rem S. Th. :

Tempus nihil aliud est quàm numerus motûs secundùm prius et posterius. Cùm enim in quolibet motu sit successio, et una pars post alteram, ex hoc quòd numeramus prius et

posterius in motu, apprehendimus tempus, quod nihil aliud est quàm numerus prioris et posterioris in motu (1).

Igitur tempus non invenitur nisi cum motu, qui est aliqua successio. Hæc autem exsurgit ex relatione prioris cum posteriore. Sed successio seu motus, cujus numerus est tempus, est motus localis seu continuus, qui sic definitur ab Aristotele. *Actus entis in potentiâ prout est in potentiâ.* Actus hujusmodi differt ab operatione, quæ est actus discretus et definiri potest : *Actus entis qui erat in potentiâ, sed jam non est ampliùs in potentiâ.* Tempus ergo, saltem tempus proprie dictum, quo temporalia mensurantur, non est successio quæcumque, sed successio continua ; neque est motus localis simpliciter, sed motus numeratus. Tempus crescit vel decrescit (aut saltem videtur crescere vel decrescere) cum numero motuum et successionum : inde est aliquid maxime relativum. Numerus verò ex quo exsurgit tempus non est discretus, sed est continui mensura. Apposite S. Th. :

Tempus non est numerus ut abstractus extra numeratum, sed ut in numerato existens ; alioquin non esset continuus : quia decem ulnæ panni continuitatem habent non ex numero, sed ex numerato (2).

514. **Tria sunt elementa temporis : præteritum nempe, præsens et futurum**. — Cùm tempus sit aliquid continuum, oportet ut inter duas partes temporis, *priorem* nempe et *posteriorem*, sit tertia pars *media*. Hinc præteritum et futurum, quæ in præsenti conjunguntur. Ex his tribus solum præsens proprie existit ; sed exhibet aliquid præteriti et continet aliquid futuri, nam est quasi effectus respectu præteriti et causa respectu futuri. Horum trium nullum sine ceteris est proprie tempus, nisi comprehendat quoddam spatium temporis, in quo iterum distinguuntur, relative saltem, præteritum, præsens et futurum. Hinc varia tempora verbi.

515. **De tempore spiritûs**. — Ex dictis liquet intellectivas operationes tempori proprie dicto non subjici, siquidem quantitate et continuo affici proprie nequeunt, sed non esse

(1) I[a], q. 10, a. 1.
(2) Ibid., a. 6.

supra tempus lato sensu, quod est mera successio. Ad rem S. Th. :

Alio modo dicitur tempus magis communiter numerus ejus quod habet quocumque modo prius et posterius; et sic dicimus esse tempus mensurans simplices conceptiones intellectûs, quæ sunt sibi succedentes; et istud tempus non oportet quòd habeat continuitatem, cùm illud secundùm quòd attenditur motus non sit continuum... (1).

Intellectus est supra tempus quod est numerus motûs corporalium rerum. Sed ipsa pluralitas specierum intelligibilium causat vicissitudinem quamdam intelligibilium operationum, secundùm quam una operatio est prior alterâ. Et hanc vicissitudinem Augustinus nominat tempus, cùm dicit quòd Deus movet creaturam spiritualem per tempus (2).

516. **Ultima quæsita de tempore.** — Ultra progredientes quærimus : Utrùm sit unum tempus an verò multiplex? Cùm tempus sit motus quidam et non eodem modo creaturæ moveantur, videtur quòd sint tot tempora quot sunt creaturæ vel etiam motus particulares

Resp. — 1o Præter omnes motus particulares rerum, quos sensibus apprehendimus, concipimus, imò imaginamur aliquem motum perfecte continuum et uniformem, quo ceteri mensurantur.

2o Sane illud tempus quod abstrahimus vel imaginamur ad mensurandos quoscumque motus, est relativum (ex. g. dies astronomica, annus Terræ, sæculum). Sed datur (aut saltem illud concipere et imaginari possumus) quoddam tempus universale et absolutum, quod est accidens et mensura primi mobilis cæli et quo omnia temporalia mensurantur. Apposite S. Th. :

Est ergo vera ratio unitatis temporis unitas primi motûs, secundùm quem, cùm sit simplicissimus, omnes alii mensurantur, ut dicitur in Metaph. (lib. X, text. 3). Sic ergo tempus ad illum motum comparatur non solùm ut mensura ad mensuratum, sed etiam ut accidens ad subjectum; et sic ab eo recipit unitatem. Ad alios autem motus comparatur solùm ut mensura ad mensuratum. Unde secundùm eorum multitudinem non multiplicatur, quia unâ mensurâ separatâ multa mensurari possunt (3).

(1) In lib. I Sentent. Dist. VIII, q. 3, a. 3, ad 4.
(2) *Summa theol.* 1a, q. 85, a. 4, ad 1.
(3) 1a, q. 10, a. 6.

517. **Opinionum de tempore critica.** — Tota hæc doctrina magis patebit dijudicando præcipuas sententias philosophorum de tempore.

1° Inter antiquos, quidam dicebant tempus esse corpus (Heraclitus); alii dicebant esse incorporale, etc. — At primò tempus non est ullo modo corpus. Deinde tempora quidem particularia, quatenus sunt motus numerati rerum, sunt accidentia; et forte datur quoddam tempus concretum (in primo mobili, ut aiebant) quo cetera omnia mensurantur; sed conceptus temporis est aliquid universale, simul objectivum et subjectivum, sub diverso respectu, sicut omnia universalia.

2° Plato dicebat tempus esse motum cœli — Quæ sententia est satis vera, si spectamus tempus concretum et præcipuum ad quod cetera referuntur.

3° Aristoteles dicebat tempus esse conceptum quem intellectus sibi conficit, numerando prius et posterius in motu corporis — Quæ sententia vera est.

4° Gassendus putabat tempus esse aliquid incorporeum, quod fluebat ante mundi constitutionem et flueret etiamsi mundus non esset — Sed Gassendus confundebat tempus reale cum ideâ temporis vel potiùs cum tempore imaginario et possibili. Tempus reale non existit nisi in corporibus quibus accidit.

5° Newtonius et Clarkius tempus non distinxerunt ab æternitate Dei — Sed hæc sententia, omnino falsa, pantheismo favet, cùm decernat idem attributum esse proprium Deo et creaturis.

6° Leibnizius existimat tempus esse successionem rerum, sive realium, sive possibilium — Sed tempus proprie dictum est successio continua et uniformis.

7° Epicurus aliique sensistæ existimant tempus percipi sensibus, illudque ab ipso rerum motu non distinguunt — At tempus non est formaliter motus ipse, sed numerus seu mensura motûs. Hæc autem mensura, si spectatur in quodam motu particulari, dici potest objectum sensûs; sed, si accipitur ut generalis et abstracta fit objectum solius intellectûs. Unde animalia noscere possunt quædam tempora (et hoc

patet ex eorum memoriâ), sed solus homo tempus in genere apprehendit.

8° Kantius contendit tempus esse *formam a priori* immediatam sensibilitatis internæ et mediatam sensibilitatis externæ Nam, ait, quidquid sentimus vel percipimus est in tempore — At, sicut dictum est de spatio, ex eo quòd non percipimus aliquid nisi in tempore non sequitur tempus a nobis esse præcognitum. Primò percipimus res quæ sunt in tempore ; unde mox apprehendimus earum motus seu successiones ; deinde ab his ideam temporis abstrahimus.

9° Malebranchius dixit tempus esse notionem quam in Deo contemplamur. — Sed non cognoscimus tempus per æternitatem Dei aut aliquid aliud divinum, cùm, e converso, per tempus æternitatem Dei cognoscamus.

10° Secundùm Cousin, tempus est notio absoluta, quam ratio impersonalis suggerit nobis — Sed ratio ista impersonalis est figmentum philosophorum ; nec idea temporis est absoluta undique, cùm exhibeat aliquid maxime relativum et contingens.

11° Lockius existimavit ideam temporis oriri ex eo quòd experimur successionem idearum nostrarum — Sed primò, notio temporis abstracta oriri nequit ex solâ experientiâ, deinde tempus proprie dictum, cùm sit continuum, non invenitur in successione idearum nostrarum. Itaque hac successione non utimur ad mensurandum tempus, sed potiùs utimur motibus corporalium, ex. gr. solis vel horologii.

12° Non desunt spiritualistæ (ex. gr. Royer Collard) qui tempus et unitatem temporis quærunt in subjecto cogitante — Sed, quamvis tempus proprie dictum et generale non percipiatur nisi ab intellectu, non invenitur tamen nisi in motu locali, nec mensurare potest directe nisi corporalium vicissitudines.

518. **Tempus et æternitas**. — Tempus imago est æternitatis, in cujus cognitionem ducit. *Tempus* et æternitas sunt durationes : sed tempus est aliquid successivum ; *æternitas* autem est immutabilis. Scholastici distinguunt præterea *æviternitatem*, quæ non mutatur quidem in se, sed suscipit

qualitates et operationes mutabiles (ita angeli et animæ humanæ, quæ sunt incorruptibiles et immortales).

Æternitas est duratio sine successione ac proinde sine principio et sine fine. At non ideo tempus infinitum, id est, sine principio et sine fine, esset æternitas. Nam essentia æternitatis non accipitur ex eo quòd non habet principium neque finem, sed ex eo quòd, ut ait Boetius, *est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.* Æternitas est omnino immutabilis et perfecta : unde non amittit aliquid, et ideo non habet præteritum ; nec aliquid acquirere potest, et ideo non habet futurum. Igitur est tota simul et concipitur tanquam *nunc* seu præsens omnino perfectum et omnia tempora comprehendens.

Sane æternitas cognoscitur per tempus, sicut infinitum cognoscitur per finitum, sed omnino diversa sunt. Id quod est perfectio in tempore, scilicet duratio et præsens, invenitur in æternitate ; sed quod est imperfectum in tempore, scilicet successio, præteritum et futurum ab æternitate removemus ; et sic transimus ex cognitione temporis in cognitionem æternitatis. Hæc cognitio est quidem abstracta et deductiva, non intuitiva, valde imperfecta et inadæquata, sed nullo modo æquivoca. Tota hæc doctrina sic proponitur a S. Th. :

Sicut in cognitionem simplicium oportet nos venire per composita, ita in cognitionem æternitatis oportet nos venire per tempus ; quod nihil aliud est quàm numerus motûs secundùm prius et posterius... Sicut igitur ratio temporis consistit in numeratione prioris et posterioris in motu, ita in apprehensione uniformitatis ejus quod est omnino extra motum, consistit ratio æternitatis.... Æternitas successione caret, tota simul existens... (Deinde ad tertium) : Æternitas dicitur tota non quia habet partes sed inquantum nihil ei deest... (1)

Manifestum est tempus et æternitatem non esse idem. Et hujus diversitatis rationem quidam assignaverunt ex hoc quòd æternitas caret principio et fine, tempus autem habet principium et finem. Sed hæc est differentia per accidens, et non per se. Quia dato quòd tempus semper fuerit et semper futurum sit, secundùm positionem eorum qui motum cœli ponunt sempiternum, adhuc remanebit differentia inter æter-

(1) 1a, q. 10, a. 1.

nitatem et tempus, ut dicit Boetius (*De consolatione*, lib. V, pros. 4), ex hoc quòd æternitas est tota simul, quod tempori non convenit; et iterum quia æternitas est mensura esse permanentis, tempus verò est mensura motùs (1).

De æviternitate. — Longe ab æternitate sed supra tempus est æviternitas seu ævum, de quo scribit S. Th. :

Cùm æternitas sit mensura esse permanentis, secundùm quòd aliquid recedit a permanentiâ essendi, secundùm hoc recedit ab æternitate. Quædam autem sic recedunt a permanentiâ essendi quòd esse eorum est subjectum transmutationis vel in transmutatione consistit, et hujusmodi mensurantur tempore, sicut omnis motus et etiam esse omnium corruptibilium. Quædam verò recedunt minùs a permanentiâ essendi, quia esse eorum nec in transmutatione consistit nec est subjectum transmutationis ; tamen habent transmutationem adjunctam, vel in actu, vel in potentiâ, sicut patet... de angelis, quòd habent esse intransmutabile quantùm ad eorum naturam pertinet, cum transmutabilitate secundùm electionem et cum transmutabilitate intelligentiarum et affectionum et locorum suo modo. Et ideo hujusmodi mensurantur ævo, quod est medium inter æternitatem et tempus. Esse autem quod mensurat æternitas, nec est mutabile, nec mutabilitati adjunctum. Sic ergo tempus habet prius et posterius ; ævum autem non habet in se prius et posterius, sed ei conjungi possunt ; æternitas autem non habet prius, neque posterius, neque ea compatitur (2).

Hinc anima humana, secundùm esse quo unitur corpori, mensuratur tempore, sed, prout spectatur ut substantia quædam spiritualis, mensuratur ævo.

CAPUT XXIX

DE CAUSIS

519. **Causa. Effectus.** — Hucusque diximus de entibus quatenus *sunt;* nunc dicendum est de causis seu de entibus quatenus *agunt :* agere enim sequitur esse. Causa est principium vi cujus aliquid producitur ; effectus autem est id quod

(1) *Ibid.* a. 4.
(2) *Ibid.* a. 5.

producitur seu transit a non esse ad esse. Hæ duæ notiones sunt obviæ et primitivæ, sicut *actio*, quæ inter categorias numeratur, et relatio causalitatis, quæ in actione fundatur.

520. **Notio causæ explicatur**. — Ad rationem causæ tria requiruntur : 1° ut causa realiter distinguatur ab effectu. Unde causalitas plus importat quàm activitas, et causare plus importat quàm agere, cùm objectum actûs possit esse indistinctum ab agente. — 2° Ut effectus realiter a causâ dependeat. — 3° Ut causa sit prior effectu, prioritate saltem naturæ ; nam prius est esse quàm operari.

Contra hanc tertiam conditionem requisitam fortè ocurrit objectio hujusmodi : Causa et effectus sunt correlativa; atqui correlativa sunt simul naturâ. — *Resp.* : Correlativa sunt simul naturâ, si formaliter sumuntur, non autem si spectantur ut entitates in quibus relationes fundantur. Ex. gr. pater, ut pater, non est ante filium ; sed pater, ut homo, est prior filio.

521. **Causa et principium comparantur**. — Hinc videmus quomodo causa differt a principio. Principium, est *id a quo aliquid quocumque modo procedit ;* causa autem est id a quo aliquid producitur. Unde omnis causa est principium, sed non omne principium est causa.

A principio principiatum seu consequens procedere potest triplici modo : 1° *successione*, id est, datâ prioritate temporis ; 2° *influxu*, id est, datâ prioritate naturæ ; 3° mero *ordine* seu origine. Porro, ad rationem principii sufficit hæc tertia processio. Ex. gr. ignis est principium caloris, quamvis calorem non præcedat tempore; in divinis, Pater est principium Filii, quamvis Filium non præcedat tempore neque naturâ. Totam hanc doctrinam de causâ et principio sic tradit S. Th. :

Hoc nomen, *causa*, videtur importare diversitatem substantiæ et dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen *principii*. In omnibus enim causæ generibus semper invenitur distantia inter causam et id cujus est causa, secundùm aliquam perfectionem aut virtutem. Sed nomine principii utimur etiam in his quæ nullam hujusmodi differentiam habent, sed solùm secundùm quemdam ordinem. Sicut cùm dicimus punctum esse principium lineæ ; vel

etiam cùm dicimus primam partem lineæ esse principium lineæ...

Ad tertium dicendum quòd licèt hoc nomen, principium, quantùm ad id a quo imponitur ad significandum videatur a prioritate sumptum, non tamen significat prioritatem, sed originem. Non enim idem est quod significat nomen et a quo nomen imponitur (1).

522. **Causa et occasio, conditio.** — Causa differt etiam a *conditione* et *occasione.* Conditio est id quod disponit virtutem causæ et applicat ad agendum, aut saltem impedimenta removet : ita lux est conditio scribendi vel legendi. Occasio est id ad cujus præsentiam aliquid fit : ita tenebræ sunt occasio furandi vel meditandi.

A fortiori causa differt a mero antecedente; alioquin causalitas esset mera successio. Hæc veritas et aliæ propugnantur in thesi sequenti :

Thesis. — *Causa non est merum antecedens, neque effectus est merum consequens; sed causa est id quod effectum producit : quæ notio est objectiva. — Quod ad causam efficientem spectat, ejus existentia et natura per effectus aliquo modo cognoscuntur. — Indubium est entia creata, sive spiritus, sive corpora, esse invicem veras causas efficientes, non autem meras occasiones. — Eorum actio et virtus ab eorum substantiâ distinguuntur. — De causis intrinsecis, nempe de formâ substantiali et materiâ primâ, utriusque existentia est indubia.*

523. **Causa non est merum antecedens.** — Lockius aliique sensistæ notionem causæ, sicut notionem substantiæ, perverterunt. Cùm enim dicerent substantiam non esse aliud nisi phænomenorum vel sensationum collectionem, et aliam cognitionem non esse præter sensitivam, causam cum mero antecedente necnon causalitatem cum merâ successione confundere debuerunt. Huic errori adhæserunt Humius et positivistæ. Contra eos omnes asserimus : 1° ideam causæ esse distinctam ; 2° esse objectivam.

1° Idea causæ est distincta a quavis aliâ, sive ab ideâ *occa-*

(1) 1a, q. 33, a. 1.

sionis, sive ab ideâ *conditionis*, sive ab ideâ *successionis*, ut patet ipsis definitionibus harum vocum et sensu communi. Nemo enim his vocibus indifferenter utitur, sed quotidie ab omnibus hominibus et etiam pueris idea causæ perfecte secernitur. Quis, nisi sit philosophus, hæc duo vel similia confundere tentabit : *antecedere* et *efficere*, *post hoc* et *propter hoc ?*

2° Deinde hæc idea est objectiva. Nam principium causalitatis : *Non incipit aliquid sine causâ*, est inconcussum, ut alibi ostensum est (cap. XVI). Sane causæ rerum sæpissime nos latent ; sed quandoque a nobis deteguntur. Ceterùm, etiamsi omnes causæ nos fugerent, non ideo ulla earum esset minùs realis et objectiva.

524. **Origo ideæ causæ.** — Ex hoc inferimus originem notionis causæ esse non solùm experimentalem, sed etiam quodam modo *a priori*, id est, ideam causæ non dependere ab ipsâ experientiâ causalitatis, quamvis oriatur ab aliquâ sensatione et experientiâ. Sane causalitatem rerum non experimur sensibus, cùm isti solummodo successionem apprehendant ; sed causalitatem nostram propriam experimur conscientiâ : homo enim est conscius suæ cogitationis, suæ volitionis et suæ operationis. Attamen hæc origo notionis causæ non est sola, siquidem evidentissimum est principium causalitatis, abstrahendo a nostrâ propriâ causalitate. Porro hoc principium notissimum et primitivum non est nisi explicatio ideæ causæ vel potiùs ideæ alicujus rei quæ incipit, id est, effectûs.

Hæc potissimum spectant causam efficientem. Antequam uberiùs eam explicemus, breviter dicendum est de causis generatim.

525. **Causarum divisio**. — Causa est quadruplicis generis : *efficiens*, *materialis*, *formalis* et *finalis* (1). Causa materialis et causa formalis dicuntur intrinsecæ, quoniam effectum constituunt ; ceteræ autem dicuntur extrinsecæ.

Hæc divisio est adæquata et sic explicatur. Non incipit

(1) Cf. S. Th. 2a 2æ, q. 27, a. 3.

aliquid sine causâ, id est, sine aliquâ *causâ quæ vi suâ physicâ effectum producit :* hinc causa efficiens. Porro causa efficiens vel effectum producit ex nihilo, vel ex aliquâ materiâ præexistente : hinc causa materialis, quæ est *id ex quo aliquid fit*. At, sive causa efficiens producat effectum suum ex nihilo, sive producat ex materiâ præexistente, oportet ut eum constituat in aliquâ specie : hinc causa seu forma substantialis, quæ est *id quo ens constituitur in determinatâ specie*. Tandem causa efficiens non agit nisi propter aliquem finem, quem cognoscit vel ad quem dirigitur a causâ intelligente : hinc causa finalis, quæ est *id propter quod causa efficiens agit*, seu id quod allicit et determinat causam efficientem ad agendum.

Ad has quatuor causas reducuntur ceteræ : ex. gr. *causa instrumentalis*, quæ reducitur ad efficientem ; *motivum*, quod reducitur ad causam finalem.

526. **De causa efficiente ; ejus species**. — Causa efficiens est multiplex :

1° Alia dicitur *per se* et alia *per accidens*. Hæc conjungitur cum illâ, quæ sola vere et suâ propriâ vi influit in effectum. Ex. gr. *per se* medicina sanat, alimentum nutrit ; sed, *per accidens*, utrumque nocere potest si conjungitur cum aliâ causâ quæ sit per se nociva (Cf. n° 457).

2° Alia est causa *principalis* et alia *instrumentalis*. Hæc agit virtute sibi communicata a principali agente : ita penicillum in manu pictoris. Quamvis agat virtute causæ principalis, et sit plus minusve idoneum, oportet ut instrumentum aliquid habeat in se per quod effectus producatur : alioquin omnia instrumenta ad quodcumque opus eligi possent.

Instrumentum aliud est animatum et liberum (sic anima sub influxu gratiæ, minister sacramenti) ; aliud organicum seu conjunctum (sic manus, quæ est optimum inter omnia instrumenta) ; aliud inanimatum seu separatum, quod iterum est vel immediatum (ita baculus, ensis), vel mediatum (ita horologium). Hæc et alia explicat S. Th. disserendo de sacramentis :

Duplex est causa agens, principalis et instrumentalis. Prin-

cipalis quidem operatur per virtutem suæ formæ cui assimilatur effectus... Causa verò instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solùm per motum quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti ; sicut lectus non assimilatur securi, sed arti, quæ est in mente artificis....

Ad secundum dicendum quòd instrumentum habet duas actiones : unam instrumentalem, secundùm quam operatur non in virtute propriâ, sed in virtute principalis agentis ; aliam autem habet actionem propriam, quæ competit ei secundùm propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suæ acuitatis, facere autem lectum inquantum est instrumentum artis ; non autem perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum... (1)

Est duplex instrumentum : unum quidem separatum, ut baculus ; aliud autem conjunctum, ut manus. Per instrumentum autem conjunctum movetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principalis autem causa efficiens gratiæ est ipse Deus, ad quem comparatur humanitas Christi sicut instrumentum conjunctum, sacramentum autem sicut instrumentum separatum (2)...

Instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectûs, sed loco intentionis est motus quo movetur a principali agente. Sed instrumentum animatum, sicut minister, non solùm movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum, inquantum suâ voluntate movet membra ad operandum ; et ideo requiritur ejus intentio, quâ se subjiciat principali agenti... (3)

Humanitas Christi est instrumentum Divinitatis : non quidem sicut instrumentum inanimatum, quod nullo modo agit sed solùm agitur; sed tanquam instrumentum animâ rationali animatum, quod ita agitur quòd etiam agit (4).

Causa principalis alia est *prima*, et alia *secunda*. Prima est independens ab omni aliâ : ita Deus solus. Causæ secundæ etiam principales, dicuntur aliquando instrumenta, sed lato sensu, ut observat S. Th. :

Cùm Deus sit primum agens..., omnia quæ sunt post ipsum sunt quasi quædam instrumenta ipsius (5).

(1) 3a, q. 62, a. 1. — Cf. etiam Cg. lib. II, cp. 21, ubi S. Th. demonstrat creaturam non posse fieri instrumentum creationis; et lib, III, cp. 100.
(2) 3a, q. 62, a. 5.
(3) 3a, q. 64, a. 8.
(4) 3a, q. 7, a. 1, ad 3.
(5) Cg. l. III. cp. 100.

3° Causa efficiens est *libera* vel *necessaria*, prout habet vel non habet dominium suorum actuum.

4° Causa dicitur *proxima* vel plus minusve *remota*, prout sine causâ intermediâ vel mediantibus aliis effectum suum producit. Porro, ut observant scholastici, « effectus consequitur conditionem causæ suæ proximæ », seu, aliis verbis, « res non habet speciem neque denominatur a causis primis, sed a causis proximis ».

5° Causa dicitur *totalis* vel *partialis*, prout, in ordine suo, sufficit necne ad effectum producendum.

6° Distinguuntur etiam in causâ efficiente *principium quod*, seu subjectum *quod* agit, et *principium quo* seu natura, vel qualitas quâ subjectum agit. Ex. gr. non solùm ipse vir justus est causa boni operis, sed etiam ejus voluntas vel justitia.

7° Alia est causa *universalis* et alia *particularis*. Illa extenditur ad effectus distinctos non solùm numero, sed etiam specie : ita anima, quâ sentimus, movemur et intelligimus ; sol, Deus præsertim. Causa particularis non producit effectus nisi ejusdem speciei : ita granum frumenti.

8° Alia causa est *univoca*, alia *æquivoca* et alia *analoga*. Causa univoca producit effectus ejusdem speciei cum ipsâ : ita animalia, plantæ, homo. Causa æquivoca producit effectus alterius speciei : ita sol cujus ardore plantæ germinant et crescunt. Causa analoga non convenit cum suo effectu nisi secundùm analogiam : ita Deus respectu omnium creaturarum.

9° Ratione concursùs vel operis quod præstat, causa dicitur *perficiens* (si complet opus), *præparans* (si disponit materiam), *adjuvans* (si adjuvat causam principalem), etc.

10° Tandem causa dicitur *physica* vel *moralis*, prout agit physice (ex. gr. ignis comburit) vel moraliter (ex. gr. monita patris). Sed causa moralis potiùs reducitur ad causam finalem quàm ad causam efficientem, propter motiva quibus determinat causam principalem.

His dictis de naturâ et speciebus causæ efficientis, quæritur: Utrùm ex cognitione effectuum valeat mens nostra assurgere ad cognitionem *existentiæ* et *essentiæ* causæ efficientis ?

527. **Effectibus manifestatur causa**. — 1° Ex effectibus, imò ex uno effectu cognito, demonstratur *existentia* causæ, quidquid dixerint positivistæ. Nam aliquid effici, seu potiùs incipere, non potest nisi determinetur aliquo principio. Hoc autem non ageret nisi existeret, sive sit contingens, sive sit necessarium. Sed contingens supponit aliquid necessarium, ut jam ostensum est (n° 461). Igitur omnis effectus demonstrat existentiam alicujus entis necessarii.

2° At effectus demonstrat non solùm existentiam causæ, sed etiam, saltem aliquâ ratione, ejus naturam seu *essentiam*. Nam omnis effectus præcontinetur, saltem aliquo modo, in causâ suâ, vel *formaliter*, vel *eminenter*, vel *virtualiter* : nemo enim dat quod non habet. Unde perfectio effectûs, seu ejus natura viribus et proprietatibus ornata, inducit in cognitionem naturæ et perfectionis causæ. Hoc pacto operationes intellectuales hominis inducunt in cognitionem animæ spiritualis et immortalis; et perfectiones creaturarum inducunt in cognitionem *analogam* attributorum Dei. Dico : *analogam*; nam Deus est causa analoga totius universi; causa autem non cognoscitur ex suis effectibus nisi prout est eorum causa.

528. **Corollaria**. — Ex dictis fluunt sequentia :

1° Nullus effectus potest esse perfectior suâ causâ adæquatâ; alioquin esset in effectu aliquid perfectionis sine causâ. At effectus potest esse perfectior causâ suâ materiali vel etiam causâ suâ partiali, etc.

2° Absurdum est dicere mundum profectum ab imperfecto statu progredi in melius, nisi Deus agnoscatur ut causa mundi ejusque progressûs; alioquin effectus (mundus præsens aut futurus) esset perfectior suâ causâ adæquatâ (mundus præteritus). Neque sufficit agnoscere causam finalem seu idealem perfectissimam hujus progressùs; nam causa idealis non est nisi in aliquo agente per intellectum.

3° Effectuum diversitas non semper pluralitatem causarum arguit; nam eadem causa pluribus viribus aut virtute magnâ et universali pollere potest. Quo pacto omnes effectus reducuntur ad Deum tanquam ad causam primam.

529. **Causalitas creaturarum**. — Nunc de creaturarum causalitate, asserimus entia creata sive spiritus, sive etiam corpora, esse invicem veras causas efficientes. Hæc assertio impetit occasionalismi fautores (Malebranche necnon Leibniz, propter theoriam *harmoniæ præstabilitæ*, quæ confutabitur in psychologiâ), qui ita causalitatem extulerunt ut eam soli Deo tribuerent; unde Deus esset causa unica simul ac universalis et prima; causæ autem secundæ essent meræ occasiones.

530. **Occasionalismi confutatio**. — Alius occasionalismus est rigidior et alius mitior. Hic non denegat causalitatem spiritibus sed solummodo corporibus. Utrumque confutamus: primò *in genere*, deinde *in specie*.

In genere. — Efficientiam enim entium contingentium requirunt : 1° natura ipsa rerum ; 2° Sapientia Dei; 3° ordo universi ; 4° veritas scientiæ humanæ.

1° *Natura ipsa rerum*. Nam agere sequitur esse ; natura est ad operationem, quæ est actus ejus. Unde quo magis aliquid est ens eo magis est agens ; et quo minus est agens eo minus est ens. Itaque, nisi creaturæ dicantur non entia, oportet eis tribuere aliquam veram causalitatem. Unde videtur occasionalismus inducere in idealismum vel etiam in pantheismum.

Inprimis corporum viventium natura ordinari videtur tota ad actionem : sic oculus ordinatur totus ad videndum ; radix ad plantam nutriendam, etc. Ergo activitate et causalitate non frustrantur.

2° *Sapientia Dei*. Nam contra rationem sapientiæ est ut aliquid sit frustra in operibus ejus. Atqui, si entia creata nullo modo operarentur ad effectus producendos, frustra adhiberentur, sed omnia et singula essent inutilia.

3° *Ordo universi*. Nam oportet ut ordo universi sit verus et realis, præsertim cùm sit bonum optimum et finis uniuscujusque creaturæ. Sed, nisi fundaretur in relationibus et actionibus mutuis creaturarum, ordo universi esset solummodo apparens et ficticius ; subtraheretur ordo causæ et causati, quasi Deus causalitatem communicare non posset. Apposite S. Th. :

Respondeo dicendum quòd Deum operari in quolibet operante aliqui sic intellexerunt quòd nulla virtus creata aliquid operaretur in rebus, sed solus Deus immediate omnia operaretur; puta quod ignis non calefaceret, sed Deus in igne; et similiter de omnibus aliis. Hoc autem est impossibile. Primò quidem, quia sic subtraheretur ordo causæ et causati a rebus creatis; quod pertinet ad impotentiam creantis. Ex virtute enim agentis est quòd suo effectui det virtutem agendi. Secundò, quia virtutes operativæ quæ in rebus inveniuntur frustra essent rebus attributæ, si per eas nihil operarentur; quinimo, omnes res creatæ viderentur quodammodo esse frustra, si propriâ operatione destituerentur; cùm omnes res sint propter suam operationem. Semper enim imperfectum est propter perfectius. Sicut igitur materia est propter formam, ita forma, quæ est actus primus, est propter suam perfectionem, quæ est actus secundus; et sic operatio est finis rei creatæ. Sic igitur intelligendum est Deum operari in rebus, quòd tamen ipsæ res propriam habeant operationem (1).

4° *Veritas scientiæ humanæ.* — Nam scientia humana non pervenit naturaliter ad essentias rerum cognoscendas nisi ex effectibus. Ex. gr. animæ humanæ spiritualitas et immortalitas cognoscuntur per facultates et operationes spirituales: operatio manifestat potentias et proprietates, quæ manifestant essentiam.

In specie. — Efficientiam substantiarum spiritualium, inter quas anima humana est minùs perfecta, testatur conscientia. Teste enim conscientiâ, cogitationes et operationes nostræ sunt a nostrâ naturâ; imò earum sæpissime habemus dominium. Eadem efficientia requiritur ad rationem libertatis. Nam si Deus solus ageret in nobis, jam electione et libertate privaremur, ideoque nunquam peccaret homo, sed Deus ipse, etc. Hoc autem asserere est absurdum et impium.

De efficientiâ verò corporum, quam ipsi sensus quodam modo testantur, nemo, in praxi, dubitare potest. Ceterùm, sine ullo fundamento negatur, siquidem influxus seu concursus divinus per illam nullo modo tollitur, sicut fusiùs demonstrat S. Th. (2).

(1) 1a, q. 105, a. 5. — Cf. etiam Cg. l. III, cp. 69. — *De Potentiâ*, q. 3, a. 7.

(2) 1a, q. 105, a. 5, in secunda parte.

531. **Objectiones.** — 1° Activitas efficiens est aliquid divinum. Atqui nihil divinum creaturis tribuere licet.

Resp. — Activitas prima seu imparticipata est divina et incommunicabilis, non autem activitas participata, qualem in creaturis invenimus. Recipiunt agere sicut recipiunt esse ; nam agere sequitur esse.

2° Deus est qui omnia fecit. Ergo creaturæ nihil operantur.

Resp. — Deus est qui omnia fecit ut causa prima, absolute independens et universalis, non autem ut causa unica et particularis.

3° Causa prima integra est et adæquata, id est, perfectissima. Causa autem hujusmodi consortium ceterarum excludit.

Resp. — Excludit in suo ordine, sed non in alio ordine ; et hoc quidem non propter aliquam impotentiam, sed propter bonitatem : bonum enim est diffusivum sui. Unde, ut ait S. Th. :

(Deus utitur creaturarum activitate) non ex insufficientiâ Divinæ virtutis, sed ex immensitate bonitatis ipsius, per quam suam similitudinem rebus communicare voluit, non solùm quantùm ad hoc quòd essent, sed etiam quautùm ad hoc quòd aliorum causæ essent (1).

4° Si entia creata efficienter agerent, seipsa perficerent. Sed Deus est causa cujuscumque perfectionis vel progressûs.

Resp. — Creaturæ seipsas quidem perficere possunt sed dependenter a Deo et sub influxu divino.

5° Saltem corpora quæ non vivunt sunt inertia et nihil agere possunt.

Resp. — Corpora quæ non vivunt sunt inertia, id est, indifferentia ad motum localem, sed non ideo sunt destituta vi agendi, quæ naturam eorum consequitur, ut explicabitur in cosmologiâ.

532. **Actio et virtus in creaturis.** — Hucusque de ipsâ causâ efficiente dictum est : nunc verò de ejus accidentibus quibus agit et effectum producit, scilicet de virtute agendi

(1) *Cg.* lib. III, cp. 70.

(quæ inter categorias est qualitas) et de operatione seu actione (quæ est categoria relativa fundata in virtute) dicendum est. Quæritur : Utrùm hæc accidentia sint realiter distincta a substantiâ, seu naturâ causæ efficientis, ita ut natura, in entibus creatis, esset principium agendi mediatum tantùm, non autem immediatum? Affirmat S. Th.; negant Scotus et generatim recentiores, variis rationibus ducti. Hæc autem distinctio realis, saltem modalis, sic propugnatur.

1° *Actio est realiter distincta a substantiâ.* — Etenim quod potest esse aut abesse, salvo altero, eique realem mutationem affert, illud sane ab eo realiter distinguitur. Atqui actio, in entibus creatis, est ejusmodi respectu substantiæ. Ex. gr. cogitationes et volitiones nostræ, operationes sensitivæ et motus corporis possunt esse vel abesse, eâdem substantiâ remanente. Profectò, aliud est sagitta et aliud ejus motus; aliud est germen et aliud germinatio, etc. Ergo (1).

2° *Virtus agendi est realiter distincta a substantiâ.* — Nam potentia seu virtus agendi et actus ad quem hæc potentia essentialiter ordinatur, sunt in eodem genere supremo, id est, si actus est accidentalis, potentia erit accidentalis; si actus est substantialis (ex. gr. forma substantialis), potentia erit substantialis (ex. gr. materia prima). Porro actus de quo nunc agitur, scilicet actio, est in genere accidentis. Ergo etiam virtus agendi est in genere accidentis, ideoque non est ipsa substantia.

533. **Objectio.** — Agere sequitur esse; imò actus est esse Atqui substantia immediate per seipsam *est*. Ergo substantia immediate per seipsam agit, seu est principium immediatum actionis.

Resp. — Agere sequitur esse, id est, operatio seu actio, quæ est accidens, sequitur naturam et substantiam, quæ primum esse habet. Sed actus qui est esse est aliquid transcendens, non est in categoriâ accidentis, ideoque non est actio seu operatio. Unde substantia *est* quidem per seipsam, scilicet in

(1) Cf. etiam quæ dicta sunt de distinctione substantiæ et accidentium in genere (n. 491).

genere substantiæ, sed non agit immediate per seipsam : agit per virtutem, quæ est accidens a se distinctum.

534. **Alia quæsita**. — De causâ efficiente, adhuc plura quæruntur, sed minoris momenti.

1° Utrùm causa efficiens non existens possit agere seu operari? — *Resp.* : Non potest quidem agere per seipsam, id est, per virtutem sibi inhærentem; sed potest agere per effectum suum, in quo virtus sua quodam modo reviviscit. Ita homines agunt in posteros.

2° Utrùm causa efficiens non præsens possit agere? — *Resp.* : Profectò requiritur ad agendum aliqua præsentia; nam id quod est absens, quatenus absens, non est; sed non requiritur præsentia essentiæ, sufficit præsentia alicujus effectûs vel instrumenti seu medii. Ita sol agit in terram, mediantibus undis cujusdam fluidi.

3° Utrùm idem effectus produci possit pluribus causis? — Sensus quæstionis est multiplex; unde multiplex erit responsio. *Primò*, idem effectus produci potest pluribus causis partialibus simul agentibus; et hoc patet. *Secundò*, idem effectus produci potest pluribus causis totalibus, sed ordinatis. Ita Deus et vir justus sunt causæ totales boni operis : Deus, ut causa prima; vir justus, ut causa secunda. *Tertiò*, idem effectus non potest produci pluribus causis totalibus ejusdem ordinis; alioquin causæ jam non essent totales, sed partiales.

Sed ultra quæritur : Utrùm idem effectus possit produci indifferenter ab unâ vel aliâ causâ : ex. gr. utrùm eadem spica possit produci ab uno vel alio grano? Utrùm Alexander possit esse filius Philippi vel alterius hominis? — Gravis est controversia. Sane effectus sunt similes causis; unde, mutatâ causâ, mutatur effectus. Sed, cùm eadem causa possit producere varios effectus, valde dissimiles quandoque, non videtur cur idem effectus non possit habere varias causas, præsertim cùm Deus sapientissimus et omnipotens sit omnium quæ nascuntur Causa prima.

535. **Materia prima et forma substantialis**. — Hìc pauca adjicienda sunt de causis intrinsecis rerum, scilicet de ma-

teriâ primà et formâ substantiali, quæ alibi (in cosmologiâ et psychologiâ) fusiùs explicabuntur.

Materia est *id ex quo aliquid fit.* Dicitur *prima* vel *secunda.* Materia prima est id ex quo fit aliquod totum substantiale; est subjectum nempe quod recipit formam substantialem. Materia secunda est id ex quo fit aliquod totum accidentale; est subjectum nempe quod recipit formam accidentalem. Ex. gr. marmor statuæ est materia secunda; sed marmor ipsum, seu potiùs prima ejus substantia, est aliquod compositum ex materiâ primâ et formâ substantiali, id est, ex duobus principiis, quorum unum, scilicet materia, est principium extensionis et divisibilitatis; alterum, scilicet forma, est principium activitatis et unitatis, necnon distinctionis.

Igitur materiæ respondet forma, quæ est vel *substantialis* vel *accidentalis.* Forma substantialis dat composito esse substantiale; respondet materiæ primæ, quæ est ejus subjectum; simul constituunt substantiam distinctam specifice. Forma accidentalis dat solummodo esse accidentale; respondet materiæ secundæ, scilicet substantiæ jam constitutæ, quæ, eam recipiendo, fit talis vel talis, calida vel frigida, longa vel brevis, etc.

His dictis, jam liquet esse in corporibus materiam primam et formam substantialem. Etenim in omnibus corporibus est aliquid commune, siquidem materia invenitur sub quacumque formâ, transit a corporibus non viventibus in viventia, in plantam vel animal, vel etiam hominem. Sed simul cum materiâ illâ ex quâ omnia corpora fiunt, inveniuntur in corporibus maximæ differentiæ, quarum principia intrinseca vocamus formas. Formæ autem sunt substantiales vel accidentales, prout specificant corpora (sic forma plantæ, animalis, etc.) vel alio modo determinant.

Porro materia prima et forma substantialis vere habent rationem causæ respectu compositi. Nam sunt principia vi quorum compositum producitur, transit a non esse ad esse.

Imò forma substantialis dici potest causa respectu materiæ et vicissim, quia materia non existit nisi per formam, quam tamen sustentat. Hinc S. Th.:

Materia dicitur causa formæ, in quantum forma non est

nisi in materiâ; et similiter forma est causa materiæ, in quantum materia non habet esse in actu nisi per formam (1).

Forma est quodam modo causa materiæ in quantum dat ei esse actu, quodam verò modo materia est causa formæ, in quantum sustentat ipsam (2).

CAPUT XXX

DE CAUSA FINALI

536. **Causa finalis; ejus species.** — Causa finalis est *id cujus gratiâ aliquid fit*, seu id propter quod causa efficiens operatur: unde terminat opus in ordine *executionis*, sicut illud incepit in ordine *intentionis*.

Causa finalis non differt a *fine;* finis autem est *bonum*. Igitur divisio causæ finalis erit ipsa divisio finis vel boni.

a) Porro finis est vel *ultimus*, vel *intermedius*, vel *proximus*. Finis proximus est primus in ordine executionis, id est, primò obtinetur, sed est ultimus in ordine intentionis. E converso, finis ultimus, primò intenditur, quamvis ultimò obtineatur; nam ceteri fines ad illum tanquam media ordinantur. Finis autem ultimus est *absolute* vel *relative* ultimus. (Ex. gr. Deus est finis ultimus absolute; sanitas pro infirmo est finis ultimus relative).

b) Finis dicitur *objectivus* seu finis *qui*, *cujus gratiâ*. vel *formalis* seu finis *quo*. Ille est bonum quod agens intendit (ex. gr. avarus quærit pecuniam; vir sanctus, Deum). Finis autem formalis est consecutio seu possessio hujus boni (avarus vult pecuniam possidere; sanctus autem unionem cum Deo intendit). Distinguitur etiam finis *cui*, seu persona cui bonum intentum destinatur. Huic fini finis *qui* et finis *quo* quasi media ordinantur. Ex. gr. pater thesaurizat ut filius suus (finis cui) magna bona (finis cujus grâtiâ vel finis qui) possideat (finis quo).

c) Finis est *principalis* seu primarius, vel *secundarius*. Ille

(1) *Opusc. de principiis naturæ.*
(2) *De Veritate*, q. 9, a. 3, ad 6.

primariò et directe intenditur, ita ut solus sufficeret ad agentis determinationem.

d) Alius est *finis operis* et alius *finis operantis*. Ille est finis ad quem opus naturâ suâ ordinatur; hic est finis quem agens sibi præstituit. Ex. gr. puer medicinam sumit ut matri placeat (finis operantis), et sic ejus sanitas restituitur (finis operis).

e) Tandem alius est finis *naturalis* et alius finis *supernaturalis*, scilicet, quem agens solis viribus naturæ obtinere nequit.

De causâ finali hæc asseruntur :

Thesis : *Finis est vere et proprie causa, distincta a causâ efficiente — et quidem præstantior, saltem sub quodam respectu. — Ejus efficientia est universalis; — unde casus vel fortuna absolute non est. — Quærere autem causas finales non est supervacuum in scientiis. — Ad causam finalem reduci potest causa exemplaris seu idea, quatenus est principium operandi* (idéal).

537. **Finis est vere et proprie causa**. — Hoc asserimus contra Epicurum sensìstam, Spinosam pantheistam mysticum, etc., qui contendunt finem esse tantummodo effectum, ut vox ipsa innueret (*finis*). Exinde tollunt ordinem intentionis aut non distinguunt realiter ab ordine executionis. Hic error involvit, ut patet, determinismum seu negationem libertatis ; et ex hoc capite jam confutatur. Sed etiam directe confutandus est. Unde sic arguimus :

Illa est vere et proprie causa quæ vere et proprie in effectum influit. Atqui finis vere et proprie in effectum influit. Finis enim est bonum ; bonum autem est id quod omnia appetunt ; entia non agunt quidquam nisi quia alliciuntur et determinantur bono vero aut apparenti.

Speciatim homo non operatur nisi quia cognovit et sibi præstituit aliquod bonum obtinendum, quod non licet confundere cum effectu secuto, præsertim cùm effectus secutus nunquam aut fere nunquam adæquet id quod erat intentum. Sane quasi in circulo movetur appetitus noster, transiens a bono intento ad bonum obtentum ; sed aliud est bonum qua-

tenus allicit et intenditur, et aliud bonum quatenus obtinetur : bonum est principium et terminus operationis nostræ, sed non sub eodem respectu. Ad rem S. Th. :

Appetibile dat appetitui primò quidem quamdam coaptationem ad ipsum, quæ est quædam complacentia appetibilis, ex quâ sequitur motus ad appetibile. Nam « appetitivus motus circulo agitur », ut dicitur (*De animâ*). Appetibile enim movet appetitum, faciens quodammodo in eo ejus intentionem, et appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, ut sit ibi finis motûs ubi fuit principium (1).

538. **Causa finalis est distincta a causâ efficiente.** — Causa finalis est distincta non solùm ab effectu, sed etiam a causâ efficiente. Quod sic patet :

Finis seu bonum non agit nisi quatenus cognitum et amatum a causâ efficiente. Bonum igitur est radix causalitatis finis; bonum cognitum est progressus hujus causalitatis; tandem bonum amatum, volitum seu intentum est perfectio seu actus hujus causalitatis. Porro hic actus est omnino distinctus ab actu proprio causæ efficientis ideoque a causalitate propriâ hujus causæ, quæ non incipit agere nisi cùm jam bonum fuerit volitum et intentum.

Hæc distinctio præsertim suadetur ex eo quòd actio causæ finalis est moralis (câusa finalis agit enim quatenus amata), actio autem causæ efficientis est physica. Sed etiamsi causa finalis ageret physice et necessariò in causam efficientem, non ideo ejus actio esset eadem ac actio causæ efficientis. Sane causa finalis determinat amorem, sed sola causa efficiens amat formaliter, vult, et opus volitum exequitur.

539. **Præstantia causæ finalis.** — Ex his patet jam causam finalem esse *primam* et *præstantiorem*.

Est *prima*. Nam illa causa est prima, quâ subtractâ, ceteræ causæ esse aut agere non possunt. Atqui, subtracto fine, ceteræ causæ non sunt aut non agunt; siquidem causa materialis non est sine formali, causa formalis non est sine efficiente, quæ non est aut non agit sine fine. Ad rem S. Th. :

Prima inter omnes causas est causa finalis. Cujus ratio est, quia materia non consequitur formam, nisi secundùm quòd

(1) I^a 2^æ, q. 26, a 2.

movetur ab agente : nihil enim reducit se de potentiâ in actum. Agens autem non movet nisi ex intentione finis : si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc quam illud. Ad hoc ergo quòd determinatum effectum producat, necesse est quòd determinetur ad aliquid certum, quod habet rationem finis (1).

Est *præstantior*. Nam illa causa est præstantior quæ per se est perfectior, nobilior. Atqui finis est per se perfectior, nobilior causâ efficiente, quæ agere debet propter aliquid melius obtinendum. Aliunde causa efficiens est nobilior causâ materiali et causâ formali, siquidem causa est nobilior effectu. Ergo.

Adhuc. Illa causa est præstantior ex quâ oritur ordo præstantior. Ordines enim derivantur a variis causis, ut observat S. Th. (2). Atqui ex fine oritur ordo nobilissimus, scilicet ordo intentionis, qui est ordo moralis, cùm finis intentus sit fons totius moralitatis. Ex causis efficientibus autem non oritur ordo nisi physicus.

540. **Causæ finalis universalitas**. — Causa finalis est universalis. Nam *omne agens agit propter finem*, sive illum cognoscat et intendat, sive ad illum dirigatur, ut explicat S. Th. (3). Unde causa finalis non minùs extenditur quàm causa efficiens, de quâ absolute dicitur : *Non fit aliquid* (seu *nihil incipit) sine causâ*. Nihil fit ergo sine causâ finali. Quod sic demonstratur :

1° *A priori seu metaphysice*. Nam, sicut jam dicebatur supra, cum S. Th., si agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc quàm illud ; determinatur autem per finem. Eamdem rationem, cum pluribus aliis, affert alibi S. Th., his verbis :

Si agens non tenderet ad aliquem effectum determinatum, omnes effectus essent ei indifferentes. Quod autem indifferenter se habet ad multa non magis unum eorum operatur quàm aliud ; unde a contingente ad utrumque non sequitur aliquis effectus nisi per aliquid quod determinetur ad unum. Impossibile igitur esset quòd ageret. Omne igitur agens ten-

(1) 1a 2æ, q. 1, a. 2.
(2) 1a, q. 105, a. 6 et q. 106, a. 3.
(3) 1a, 2æ, q. 26, a. 1. in ultimâ parte.

dit ad aliquem determinatum effectum, quod dicitur finis ejus (1).

2° *Experientiâ seu physice.* Videmus enim in mundo omnia constanter tendere ad determinatas actiones et certos effectus. Sane plurimos fines particulares nescimus et in vanum quærimus ; sed judicandum est ex cognitis, præsertim cùm multa quæ olim videbantur esse sine ratione sufficiente, hodie utilia et necessaria comprobantur.

3° *Ex sapientiâ Dei,* qui, cùm sit aliunde causa universalissima, omnes effectus prævidere et ordinare debuit.

4° Denique sic argumentatur S. Th. :

Omne agens vel agit per naturam vel per intellectum. De agentibus autem per intellectum non est dubium quin agant propter finem ; agunt enim præconcipientes in intellectu id quod per actionem consequuntur, et ex tali præconceptione agunt; hoc enim est agere per intellectum. Sicut autem in intellectu præconcipiente existit tota similitudo effectûs, ad quam per actiones intelligentis pervenitur, ita in agente naturali præexistit similitudo naturalis effectûs, ex quâ actio ad hunc effectum determinatur : nam ignis generat ignem et oliva olivam. Sicut igitur agens per intellectum tendit in finem determinatum per suam actionem, ita agens per naturam. Omne igitur agens agit propter finem (2).

541. **De casu. De fato.** — Ex his sequitur non esse casus absolute, id est, respectu Causæ primæ et universalissimæ, quæ omnia condidit et omnia gubernat infinitâ sapientiâ; sed dantur casus, id est, effectus improvisi vel sine causâ cognitâ, respectu hominis et aliarum creaturarum. Apposite S. Th. :

Aliter est de causâ universali et de causâ particulari. Ordinem enim causæ particularis aliquid potest exire, non autem ordinem causæ universalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causæ particularis, nisi per aliquam aliam causam particularem impedientem : sicut lignum impeditur a combustione per actionem aquæ. Unde, cùm omnes causæ particulares concludantur sub universali causâ, impossibile est aliquem effectum ordinem causæ universalis effugere. In quantum igitur aliquis effectus ordinem alicujus causæ particularis effugit, dicitur esse casuale vel fortuitum respectu

(1) Cg. l. III, cp. II.
(2) *Ibid.*

causæ particularis; sed respectu causæ universalis, a cujus ordine subtrahi non potest, dicitur esse provisum. Sicut et concursus duorum servorum, licèt sit casualis in quantum ad eos, est tamen provisus a domino, qui eos scienter sic ad unum locum mittit ut unus de alio nesciat (1).

Item non adest fatum proprie dictum, id est, suprema et ineluctabilis necessitas omnium causarum et effectuum; sed adest Providentia quâ ordinantur causæ secundæ ad quosdam effectus, modò necessarios, modò liberos, infallibiliter a Deo prævisos.

542. **Causarum finalium inquisitio.** — Non solùm illi omnes qui causas finales negaverunt, earum inquisitionem tanquam inutilem et deceptoriam habuerunt, sed etiam alii non pauci : ita Baco, Cartesius, etc. Leibnizius autem, cùm extolleret principium rationis sufficientis, hanc inquisitionem laudare debuit. Revera, quamvis methodo inquisitionis causarum finalium veteres philosophi abusi sint, præsertim in disciplinis naturæ, non ideo est inutilis nec parvi pendenda.

Nam ex fine rebus præstituto argumentum desumi potest ad earum naturam determinandam ; siquidem res se habent ad finem suum sicut mensuratum ad mensuram. Cùm scientia sit cognitio rerum per causas, et aliunde causa finalis sit prima et præstantior, certum est cognitionem hujus causæ præcipuæ multùm conferre ad scientiam perfectam. Nulla igitur disciplina abstinere debet inquisitione causarum finalium, neque disciplina naturalium, neque præsertim disciplinæ morales et historicæ ; sed omnes sapientes in eas incumbere oportet.

543. **De causâ exemplari.** — Causa exemplaris, quæ ad causam finalem præsertim reducitur, dicitur etiam *idea* (idéal). Idea enim non est solummodo principium cognitionis, sed est etiam principium operationis. Hoc sensu accepta, idea est vere *causa exemplaris*, siquidem influit in effectum, utpote similitudo rei efficiendæ in mente artificis existens.

At reducitur etiam quodam modo, sub aliis respectibus, ad *causam efficientem* et ad *causam formalen* : ad causam

(1) I[a], q. 22, a. 2, ad 1.

efficientem, siquidem causa efficiens non agit nisi informata ideâ exemplari ; ad causam formalem, siquidem forma rei debet esse similis quantùm fieri potest ideæ exemplari. Unde causa exemplaris dicitur etiam *causa formalis extrinseca.*

Causa exemplaris, cùm sit vere finis, omnibus proprietatibus causæ finalis vestitur : est nempe causa prima et universalis. Deus enim, cujus respectu natura est quasi opus artificiale, omnia secundùm ideas suas perfectissimas operatus est.

CAPUT XXXI

DE PULCHRO

544. **Pulchrum. Æstheticæ locus.** — Pulchrum est *id cujus apprehensio placet*, seu id quod cognitione placet; nam, ut ait S. Th. : « Pulchrum respicit vim cognoscitivam : pulchra enim dicuntur quæ visa placent » (1).

Pulchrum, cùm sit essentialiter particeps veri et boni et ex utroque oriatur, siquidem *cognitione placet*, meritò inter perfectiones supremas numeratur. Unde tractatus Pulchri, quem *Æstheticam* vocant, pertinet ad metaphysicam. Ejus locus conveniens esse videtur vel post tractatus veri et boni, vel post alias perfectiones, vel forsan meliùs in fine metaphysicæ, per modum appendicis. Æsthetica enim, quoniam versatur circa pulchrum sensibile, de quo judicant facultates cognoscitivæ, tam sensibiles quàm intellectuales, non solùm metaphysicam ingreditur, sed etiam plures alias disciplinas : psychologiam, pulchras artes, etc.

545. **Pulchrum est objectivum et absolutum.** — Etenim pulchrum est aliquo modo verum et aliquo modo bonum, importat ordinem mediorum ad finem, proportionem partium et alia ejusmodi quæ prorsùs a libitu hominis non dependent, sed sunt objectiva et absoluta. Revera pulchrum,

(1) 1a, q. 5, a. 4, ad 1. — Cf. supra, n. 449.

essentialiter spectatum, est aliquid universale; unde proprietatibus universalium non destituitur (cf. cp. xv). Pulchrum est essentialiter objectum intellectûs, non autem sensuum, nisi propter intellectum, qui sensibus utitur; unde animalia non proprie percipiunt pulchritudinem. Objectum autem intellectûs proprium et directum sunt essentiæ seu intelligibilia. Ergo.

Sed quatenus pulchrum varias formas accidentales suscipere potest atque variis modis significatur vel exprimitur secundùm tempora et mores, aliquid subjectivum et mutabile importare videtur.

546. **Pulchrum quatenus est objectum philosophiæ.** — Hìc autem agendum est de pulchro quatenus est objectum philosophiæ. Investigabimus igitur ejus naturam, principia constitutiva, leges generales et alia ejusmodi.

547. **Pulchrum cum vero et bono comparatur.** — Pulchrum quasi medium tenet inter verum et bonum. Accipit quidem a vero, quia solum verum est pulchrum; accipit etiam a bono, quia placet.

At pulchrum non placet propter sui possessionem, sed propter sui cognitionem. Unde cognitio pulchri non est mera conditio placendi sed ipsa causa placendi; et ideo pulchrum non est pulchrum quia placet, sed placet quia pulchrum est, ut observat Augustinus. Itaque pulchrum differt a bono, præsertim a bono delectabili. Ad rem S. Th.:

Pulchrum est idem bono solâ ratione differens. Cùm enim bonum sit quod omnia appetunt, de ratione boni est quòd in eo quietetur appetitus. Sed ad rationem pulchri pertinet quòd in ejus aspectu seu cognitione quietetur appetitus... Et sic patet quòd pulchrum addit supra bonum quemdam ordinem ad vim cognoscitivam; ita quòd bonum dicatur id quod simpliciter complacet appetitui, pulchrum autem dicatur id cujus ipsa apprehensio placet (1).

Differt etiam a vero; nam non omne verum est pulchrum. Attamen, cùm omnis cognitio sit perfectio intellectùs et bona, sub hoc respectu, videtur veritas esse inseparabilis a quadam

(1) 1a, 2æ, q. 27, a. 1, ad 3.

pulchritudine, quæ in eâ radicatur. Unde pulchrum etiam dicitur quasi flos et *splendor* veri.

548. **Pulchrum et unitas ; ordo**. — Sicut pulchrum efflorescit ex vero, ita etiam ex unitate. Nam quæ bene ordinantur et aliquid unum referunt ex multis et variis conflatum, ea dicuntur pulchra atque revera placent. Unde pulchrum describitur etiam : *unitas in varietate*, vel : *splendor ordinis.*

549. **Pulchri characteres.** — Hinc jam plures et præcipuos characteres pulchri colligimus : 1° propter se amatur, siquidem cognitione sui placet, non autem possessione ; 2° est integrum sive unum ; 3° est igitur proportionatum, sibi consonans ; 4° quodam splendore fulget. Ad rem S. Th. :

Ad pulchritudinem tria requiruntur : primò quidem integritas sive perfectio, quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt ; et debita proportio, sive consonantia; et iterum claritas. Unde quæ habent colorem nitidum pulchra esse dicuntur (1).

550. **Leges pulchri secundùm Kantium.** — His dictis, intelliguntur vel corriguntur leges pulchri quales Kantius proposuit, scilicet : 1° Pulchrum non *amatur* amore concupiscentiæ sed *propter se ;* 2° Pulchrum est id quod placet *universaliter et sine conceptu ;* 3° Pulchrum *est finalitas sine fine ;* 4° Pulchrum placet non solùm universaliter, sed etiam *necessariò.*

Quoad 2^m, non concedimus pulchrum esse id quod placet *sine conceptu*, id est, incognitâ plus minusve ejus naturâ ; nam rei pulchræ natura potest esse omnino cognita. Quoad 3^m, concedimus pulchrum non esse idem ac utile, quamvis in re pulchrâ nihil sit inutile. Aliis verbis, in re pulchrâ omnes partes finalitatem seu ordinem habent, sed ipsa res pulchra non essentialiter ordinatur ad finem extrinsecum. Quoad 4^m, concedimus pulchrum esse *id quod debet placere* potiùs quàm *id quod placet.* Nam pulchrum est objectivum et absolutum. Unde id quod placet cognitione et placere non debet est pulchrum apparens, seu falsum.

(1) 1^a, q. 39, a. 8. — Cf. etiam Opusc. *de Pulchro.*

551. **Pulchrum et utile.** — Pulchrum utili nimis opposuit Kantius. Nam aliqua ratio utilitatis et pulchritudinis est eadem, scilicet ordo ad finem. Itaque res pulchra non invenitur quæ utilis non sit aut non fuerit aut non esse possit. Generatim quantò magis res est utilis naturâ suâ, tantò magis est capax pulchritudinis : ita oculi et os in homine, columna in templo, vestimenta, arma, etc.

His quæ sequuntur de pulchri speciebus, ejus natura ampliùs explicabitur.

552. **Pulchrum ideale ; pulchrum reale.** — Pulchrum *ideale* (idéal) mente concipitur tanquam exemplar rei pulchræ. Pulchrum autem *reale* est ipsa res pulchra, quæ ab illâ causâ exemplari procedit.

553. **Pulchrum naturale, artificiale, morale.** — *Pulchrum naturale* invenitur in naturâ et in singulis creaturis, quæ, respectu Dei, sunt quasi opus artificiale. Duplex distingui potest : *sensibile* seu corporale, et *spirituale* seu intelligibile. Pulchrum dicitur sensibile non ex eo quòd sensus possint illud percipere, sed ex eo quòd intellectus utitur quibusdam sensibus ad pulchrum exprimendum vel percipiendum. Sensus autem quibus utitur intellectus sunt *visus* et *auditus*, qui propterea dicuntur *sensus æsthetici*. Ad rem S. Th. :

Ad rationem pulchri pertinet quòd in ejus aspectu seu cognitione quietetur appetitus ; unde et illi sensus præcipue respiciunt pulchrum qui maxime cognoscitivi sunt, scilicet visus et auditus rationi deservientes; dicimus enim pulchra visibilia et pulchros sonos. In sensibilibus autem aliorum sensuum non utimur nomine pulchritudinis; non enim dicimus pulchros sapores aut odores (1).

Deinde *pulchrum artificiale* est illud quod est objectum pulchrarum artium et invenitur plus minusve in operibus hominum. Adhuc duplex distingui potest : sensibile et intelligibile.

Tandem *pulchrum morale*, quod etiam dicitur *spirituale* et definiri potest « splendor ordinis in moralibus », est pulchrum

(1) 1a, 2æ, q. 27, a. 1, ad. 3.

excellentissimum, non differens ab honesto, quod est bonum optimum, ut explicat S. Th. :

Pulchritudo spiritualis in hoc consistit quòd conversatio hominis, sive actio ejus, sit bene proportionata secundùm spiritualem rationis claritatem. Hoc autem pertinet ad rationem honesti, quod diximus idem esse virtuti, quæ secundùm rationem moderatur omnes res humanas. Et ideo « honestum est idem spirituali decori » (1).

554. **An pulchrum sit essentialiter sensibile?** — Ex dictis patet pulchrum inveniri non solùm in sensibilibus, sed etiam et præsertim in spiritualibus. Attamen plures contendunt pulchrum non esse in spiritualibus nisi metaphorice, scilicet propter analogiam cum rebus pulchris, revera autem non differre ullo modo a vero vel bono. Sed, quamvis pulchrum proprie dictum et homini maxime connaturale, sit pulchrum sensibile, quod est objectum pulchrarum artium, tamen ratio essentialis pulchri invenitur præsertim in spiritualibus, scilicet : unitas, varietas, ordo, proportio, claritas seu fulgor veritatis et virtutis. Sane homo hæc omnia non exprimit nec percipit nisi adminiculo sensuum, speciatim imaginationis ; non sunt tamen sensibilia per se atque eorum cognitio est maxime amabilis. Unde dicit Tullius : « Si oculis cerneretur (facies honesti), mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientiæ. » (2)

555. **Pulchrum sublime.** — Pulchrum præstantissimum est sublime, quod differt a pulchro in genere sive *propter se*, sive *propter effectum :* propter se, quia excedit facultatem apprehensivam, imaginationem aut intuitionem ; propter effectum, quia non tantùm admirationem, sed timorem ingenerat. Variis modis dividi potest, sicut ipsum pulchrum : aliud est sensibile, aliud spirituale, etc. Sublime sensibile facultatem apprehensivam excedit vel propter magnitudinem (ita montes, mare), vel propter vim (ita terræ motus et procellæ fragor). Illud *mathematicum*, hoc verò *dynamicum* vocant.

(1) 2a, 2æ, q. 145, a. 2. Cf. etiam a. 4.
(2) *De off.* Cf. S. Th., *ibid.* a. 2, ad 1.

556. **Æsthetica. Ejus leges præcipuæ.** — Pauca adjicienda sunt de legibus æstheticæ, quas ex prædictis colligere licet. Æsthetica est scientia ad quam pertinet characteres pulchri dignoscere in operibus naturæ vel artis humanæ. Disciplinis philosophicis aliena esse non potest, sed principia sua debet mutuari a metaphysicâ, necnon a logicâ, psychologiâ et morali. Ad recte judicandum utitur variis facultatibus et inprimis quodam *gustu*, qui revera non solùm est sensitivus, sed etiam intellectivus. Gustus autem et æsthetica his legibus præcipuis reguntur :

Pulchrum intelligibile præest pulchro sensibili, et pulchrum morale seu honestum omnibus præstat. Pulcherrimum entium Deus est. Quævis pulchritudo inferior ordinari debet ad superiorem ; alioquin est imperfecta, imò mala, propter fæditatem admixtam.

Res quæcumque, sive sit naturalis, sive artificialis, tantò est pulchrior quantò est clarior imago nobilioris perfectionis.

557. **Ars propter artem.** — Ergo rejicimus theoriam *artis propter artem*, juxta quam, ars non ordinaretur ad aliquid sibi superius. Sane pulchrum amatur propter se, quatenus amatur propter sui cognitionem ; sed pulchrum inferius ordinatur ad supremum, quod est *honestum* seu *morale*, ut vidimus. Unde quæcumque inhonesta, simpliciter turpia sunt.

558. **Realismus et idealismus**, — Rejicimus etiam theoriam *naturalismi* seu *realismi*. Nam supra pulchritudines rerum naturalium nobiliores quærere et exprimere oportet. Non ideo tamen adhæremus *idealismo;* quia pulchritudo idealis quasi radices habet in pulchritudine reali et sensibili. Unde artem et naturam, sicut intelligibile et sensibile, nunquam omnino separare licet.

COSMOLOGIA

CAPUT XXXII

DE MUNDI CHARACTERIBUS ESSENTIALIBUS QUIBUS A DEO DISTINGUITUR. PANTHEISMI CONFUTATIO

559. **Hujus tractatûs locus.** — Absoluto tractatu de metaphysicâ generali seu de ente in genere, dicendum est de præcipuis entibus, quæ ad tria præsertim revocantur, scilicet : *naturam*, *animam humanam* et *Deum*. Hinc cosmologia, psychologia et theodicea. Primò quidem tractandum est de cosmologiâ seu philosophiâ naturæ ; nam ex cognitione sensibilium devenimus in cognitionem spiritualium et ipsius Dei, qui utramque substantiam condidit, corporalem et spiritualem, visibilem et invisibilem.

560. **De mundo et scientiis quæ illum spectant.** — Mundus, græce *cosmos*, idem sonat ac *ornatus* et *ordo*. Revera, quamvis substantia terrestris, quæ a creatione ortum habuit, primùm fuerit « inanis et vacua », tamen postea, mirabiliter perfecta est, mediantibus multis mutationibus et generationibus. Unde legitur in Genesi : « Viditque Deus cuncta quæ fecerat; et erant valde bona... Igitur perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum » (1). Hic mundus ergo adspectabilis optimis scientiis materiem præbet, præsertim cosmologiæ, quæ in primis principiis rerum sensibilium occu-

(1) Cf. S. Th., 1a, q. 70.

patur. Aliæ vero disciplinæ causas vel principia plus minusve proxima rerum quærunt et contemplantur : ita cosmographia, quæ motus siderum describit ; astronomia, quæ horum motuum leges statuit ; cosmogonia, quæ corporum cælestium generationes enarrat ; geologiam, quæ formationem hujus terræ explicat ; historia naturalis, quæ varias species plantarum et animalium dignoscit et ordinat, etc.

561. **Cosmologiæ divisio.** — Cosmologiam dividimus in tres partes. Prima pars tractat de mundo in genere, scilicet de ejus characteribus, origine, fine et legibus ; secunda pars, de corporibus inorganicis ; tertia, de viventibus. De mundo in genere hæc primùm statuuntur :

THESIS : *Mundus est ens undequaque compositum, — mutabile, — finitum, — contingens — et ab alio. — Absurdum est igitur dicere, cum pantheistis, Dei et mundi esse eamdem essentiam, vel eamdem naturam, vel eamdem substantiam.*

562. **Mundus est compositus.** — Mundus est compositus et quidem omnimodo.

1° Quoad *entitatem*. Nam mundus constat ex essentiâ et existentiâ, siquidem non est de essentiâ mundi ut existat. Totus mundus et singulæ partes ejus possent non existere.

2° Quoad *essentiam*. Nam essentia rerum sensibilium est composita ex materiâ et formâ, siquidem omnia entia hujus mundi corrumpuntur et generantur, id est, substantialiter mutantur.

3° Quoad *accidentia*. A fortiori igitur omnia entia hujus mundi mutantur accidentaliter, scilicet propter qualitates amissas vel acquisitas, propter actiones et passiones, propter relationes in tempore vel spatio, etc.

4° Speciatim quoad *quantitatem*. Singula corpora suscipiunt varias dimensiones et sunt divisibilia quasi in infinitum. Ceterùm, *numerus* eorum semper crescere potest et crescit. Quis unquam poterit corpora cælestia dinumerare? Hoc autem facilius esset quàm dinumerare homines, plantas et animalia, quæ tam brevi tempore prætereunt.

563. **Mundus est mutabilis.** — Probatur ex dictis ; nam quantò magis res sunt compositæ, tantò magis sunt muta-

biles, id est possunt transire a potentiâ ad actum, ab unâ formâ substantiali vel accidentali ad aliam. Et revera videmus omnia entia hujus mundi perpetuò mutari et quàm velociter pertransire.

564. **Mundus est finitus.** — Nam, ut vidimus (n. 464), infinitum non potest coalescere ex finitis. Mundus autem coalescit ex partibus finitis omnimodo, sive ratione quantitatis, ut patet, sive præsertim ratione perfectionis.

Partes mundi sunt quidem finitæ ratione perfectionis; nam quæcumque perfectio hujus mundi continetur aliquo genere et aliquâ specie ; unde est circumscripta seu limitata. Præterea, cum pars perficiatur toto, nulla pars potest esse perfecta in se ; unde infinitum non potest esse pars aliqua.

Insuper quæcumque pars mundi est corporalis. Porro nihil corporale potest esse infinitum perfectione seu ens nobilissimum. Apposite S. Th. :

Impossibile est aliquod corpus esse nobilissimum in entibus. Quia corpus aut est vivum, aut non vivum. Corpus autem vivum manifestum est quod est nobilius corpore non vivo. Corpus autem vivum non vivit in quantum corpus ; quia sic omne corpus viveret. Oportet igitur quòd vivat per aliquid aliud, sicut corpus nostrum vivit per animam. Illud autem per quod vivit corpus est nobilius quam corpus (1).

Tandem etiamsi mundus esset infinitus ratione quantitatis (scilicet ratione spatii et temporis), ex hoc non sequeretur mundum esse infinitum simpliciter et indistinctum a Deo. (v. n. 470-473).

565. **Mundus est contingens.** — Nam mundus posset non existere, cùm sit compositus ex essentiâ et existentiâ, ex potentiâ et actu. Revera concipere possumus mundum solummodo intelligibilem, non vero existentem.

Præterea, cùm unaquæque pars mundi sit contingens et mutabilis omnino, non videtur cur mundus ipse necessarius esset. Sane pars una potest esse necessaria alteri et omnes partes sunt necessariæ ad totum constituendum. Sed hæc ne-

(1) 1a, q. 3, a. 1.

cessitas est relativa. Igitur absolute mundus et singulæ partes ejus sunt contingentes.

566. **Mundus est ab alio.** — Mundus est ab alio, id est, mundus est essentialiter dependens. Hæc assertio fluit ex præcedentibus. Nam :

1° Cùm mundus sit contingens, oportet ut existentiam acceperit et sic dependeat ab ente necessario.

2° Cùm mundus sit finitus, id est, ens participatum, mensuratum, determinatum, oportet ut mensuram, determinationem et speciem acceperit et sic dependeat ab ente infinito.

3° Cùm mundus sit mutabilis, oportet ut moveatur ab ente immutabili et sic ab eo dependeat.

4° Cùm mundus sit compositus, oportet ut dependeat non solùm a suis partibus, sed etiam a causâ extrinsecâ et simplici, quæ partes composuit in unum. Ad rem S. Th. :

Omne compositum causam habet. Quæ enim secundùm se diversa sunt non conveniunt in aliquod unum nisi per aliquam causam adunantem ipsa (1).

567. **Conclusio.** — Igitur omnes partes theseos strictissime colligantur. Si mundus est contingens, hoc ipso est dependens, mutabilis, finitus. Si mundus est mutabilis, hoc ipso est finitus, dependens, contingens, etc. Ergo characteres mundi essentiales sunt inseparabiles, sicut attributa Dei : imperfectio imperfectionem invocat, sicut perfectio perfectionem. (Cf. caput xxv de perfectionibus.)

568. **De Pantheismo.** — His omnibus jam confutantur pantheistæ quicumque, sive dicant : « Omnia sunt Deus », sive dicant : « Deus est omnia ». Utraque enim propositio negat distinctionem essentialem Dei et mundi.

569. **Emanatio. Pantheismus indicus.** — Pantheismus, ut patet, tollit creationem proprie dictam, id est productionem rerum ex nihilo. Porro, in locum creationis, pantheistæ indici emanationem suffecerunt, ad explicandam originem rerum. A voce *emanare* (fluere), emanatio pantheistica esset productio æterna rerum vi alicujus extensionis

(1) Iª, q. 3, a. 7.

substantiæ divinæ; ita ut creaturæ a Deo procederent quasi arbor ex radice, vel pluvia ex nube, vel ignis ex fornace. Eumdem errorem variis modis professi sunt philosophi Persarum, gnostici et neo-platonici.

570. **Pantheismus realis**. — Alii pantheistæ contendunt res mundanas esse modos reales ipsius Dei, sicut figura est modus corporis figurati ; ita ut substantia divina seipsam evolveret, et, seipsam evolvendo, produceret tam spiritus quam materiam, tam cogitationes quam extensiones, quæ non essent aliud nisi modi et attributa ipsius immanentia. Ita Spinosa.

Ad hunc pantheismum reduci possunt pantheismus scholæ eleaticæ et pantheismus stoicorum, necnon realismus exaggeratus quorumdam realium, tempore medii ævi. Eleates enim (Xenophanes, Parmenides) dicebant *ex nihilo*, id est, sine præexistente materiâ, *nihil fieri*, sed omnia esse unum, et unum esse omnia. Stoici dicebant Deum esse causam formalem et animam totius mundi. Pantheistæ verò medii ævi dicebant Deum esse naturam, vel substantiam, vel ens commune omnibus (ita Scotus Erigena), vel etiam materiam primam (ita David a Dinando).

571. **Pantheismus idealis**. — Tandem alii pantheistæ rigidiores contendunt res mundanas esse meras illusiones vel apparentias, mera phænomena, ita ut supersit unica realitas, ens absolutum, diversis modis se manifestans. Ita philosophi Germaniæ (Fichte, Schelling, Hegel).

572. **Pantheismi confutatio in genere**. — Pantheismus, quicumque sit, affirmat Dei et mundi esse eamdem naturam vel substantiam. Atqui hujus identitatis affirmatio est absurda, utpote involvens multa contradictoria. Absurdum est enim quòd idem sit simplex (Deus) et compositum (mundus), immutabile (Deus) et mutabile (mundus), infinitum (Deus) et finitum (mundus), necessarium (Deus) et contingens (mundus), independens seu omnino primum (Deus) et dependens (mundus). Adde alia multa contradictoria quæ prioribus implicantur : juxta pantheistas, idem ens, seu eadem natura vel eadem substantia, esset vivens et non vivens, intelligens et

non intelligens, virtuosa et vitiosa, bona et mala, etc., etc. Sane contradictoria possunt tribui quamdoque eidem subjecto propter diversas naturas vel diversa principia : ex. gr. mortalitas tribuitur homini propter corpus, et immortalitas propter animam. Sed contradictoria non possunt convenire in uno et eodem subjecto propter eamdem naturam, propter idem esse. Pantheismus igitur est quasi acervus contradictionum; unde non pauci pantheistæ ipsum principium contradictionis negaverunt, dicentes *ens esse nihilum* (ita Hegel).

2° Pantheismus inducit non solùm in negationem principii contradictionis, quod est veritas abstracta et notissima, sed etiam in negationem propriæ personalitatis, ideoque facti omnibus notissimi. Procul dubio omnis homo conscius est suæ existentiæ et suæ distinctionis a ceteris hominibus et præsertim ab ipso Deo.

3° Pantheismus, cùm asserat identitatem naturæ humanæ cum naturâ divinâ, negat hoc ipso libertatem humanam, meritum et peccatum. Deus enim solus ageret quidquid homo operari videtur.

4° Pantheismus tollit etiam religionem proprie dictam, cùm religio fundetur in distinctione Dei et creaturæ : Dei, qui adorandus est, et creaturæ quæ Deo servire debet. Hinc meritò Pius IX pantheismum sic damnavit :

Insigni improbitate ac pari stultitiâ haud timent asserere nullum supremum sapientissimum providentissimumque Numen divinun existere ab hac rerum universitate distinctum, ac Deum idem esse ac rerum naturam, et idcirco immutationibus obnoxium, Deumque reapse fieri in homine et mundo, atque omnia Deum esse, et ipsissimam Dei habere substantiam, ac unam eamdemque rem esse Deum cum mundo, ac proinde spiritum cum materiâ, necessitatem cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi et excogitari unquam potest (1).

Nunc pauca adjiciemus de pantheismo in specie.

573. **Pantheismus Spinosæ. Critica.** — Spinosa hæc principia statuit : Substantia est id quod in se est et per se

(1) Alloc. *Maxima quidem*, 9 Jun. 1862.

concipitur, hoc est id cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei... Una substantia non potest produci ab aliâ substantiâ... Omnis substantia est necessariò infinita... Præter Deum nulla dari neque concipi potest substantia. Cùm autem nihil existere queat quòd non sit substantia vel modus substantiæ, sequitur res mundanas esse modos ipsius substantiæ divinæ. Res autem mundanæ reducuntur ad cogitationes (seu spiritus) et extensiones (seu corpora), secundùm Cartesium, cujus Spinosa erat plus minusve discipulus. Ergo spiritus et corpora sunt modi substantiæ divinæ.

Critica. — Spinosa abutitur methodo a priori et speciatim methodo geometricâ, quæ philosophiæ est aliena (v. n. 368 et 377). Gratis affirmat independentiam absolutam esse de ratione substantiæ, ut inde inferat unicam esse substantiam. Ceterùm, pantheismus Spinosæ omnibus vitiis pantheismi in genere laborat.

574. **Fichte.** — Pantheismus idealis Germanorum a Kantio ortus est. Secundùm Fichte, ejus discipulum, nihil existit reale et substantiale præter cogitantem seu *to ego* purum ; cetera omnia non sunt nisi quatenus cognoscuntur et affirmantur a cogitante. Principium absolutum et primum scientiæ est judicium illud : *Ego sum ego*, seu A = A. *To ego*, dum hoc principium affirmat, ponit seipsum modo absoluto per actum spontaneum et primitivum ; *ponit*, inquam (hinc *thesis*), quia judicare est agere. Hoc ego, quod vocatur purum, quia non habet adhuc conscientiam sui, acquirit deinde hanc conscientiam per reflexionem, limitat seipsum et ponit se tanquam subjectum et tanquam objectum, id est, tanquam *ego* et tanquam *non-ego* (hinc *antithesis*). Sed reapse *ego subjectum* (id est anima cogitans) et *ego objectum* seu *non-ego* (id est, res mundanæ) non sunt nisi manifestationes *tou ego puri* (hinc synthesis).

Critica. — 1o Falsum est dari unicum principium scientiæ humanæ (v. n. 314). Scientia igitur transcendentalis qualis nobis proponitur, est impossibilis.

2o Falsum est scientiam non haberi nisi per identitatem objecti cogniti cum subjecto cognoscente; nam sufficit simi-

litudo seu idea cogniti in cognoscente. Alioquin homo non posset cognoscere naturam et Deum, nisi ipse esset Deus et natura. Quo certe nihil absurdius.

3° Alia principia hujus pantheismi gratis vel etiam absurde affirmantur. Quomodo *to ego* potest ponere et producere seipsum? Judicare et judicium exequi sunt diversa valde. Quomodo *to ego* purum, cùm sit infinitum, potest seipsum limitare et aliquid sibi opponere? etc. Hæc omnia rationi adversantur necnon testimonio conscientiæ certissimo.

575. **Schelling**. — Iste constituit unicam realitatem Dei et mundi non in *to ego*, sed in re aliquâ superiori, scilicet in *Absoluto*, quod esset simul spiritus et materia, subjectum et objectum, esse et cognoscere, finitum et infinitum. In ipso idem sunt ordo realis et ordo idealis, unum et plura, mundus et *To ego*. Ipsum solum vere existit; sed explicatur per ea quæ sunt relativa, ex implicito fit explicitum et personale.

Critica. — At Schelling gratis vel etiam absurde affirmat: 1° absolutum esse simul spiritum et corpus, finitum et infinitum; 2° hoc absolutum fieri personale, id est, ex imperfecto perfectum; 3° præter hoc absolutum nihil existere; 4° hoc absolutum nos intueri, etc., etc.

576. **Hegel**. — Iste constituit unicam realitatem non in *To ego*, neque in *absoluto*, sed in *Ideâ purâ;* quo pacto totam philosophiam reducit non ad psychologiam, neque ad ontologiam, sed ad logicam. Logicæ autem sunt tres partes: 1° Logica intellectûs (seu incipientium), cujus conclusio est *thesis :* Ens existit et non-ens non existit; 2° Logica rationis negativæ (seu proficientium), cujus conclusio est *antithesis :* Ens non existit et non-ens existit; 3° Logica rationis positivæ (seu sapientium), cujus conclusio est *synthesis :* Ens est et non est; non-ens non est et est. Cùm theologia ad logicam revocetur, Deus Hegelii est Idea pura, Absolutum negativum, non existit, sed *fit*.

Critica. — 1° Impossibile est reducere omnem realitatem ad ideas, et metaphysicam ad logicam. Idea enim non est id quod ipsa exprimit. Logica autem non versatur proprie circa res ipsas sed circa modum eas cognoscendi (v. n° 18).

2° Impossibile est ideam in absoluti locum sufficere, supra substantiam et ens ipsum. Idea enim est essentialiter relativa, utpote imago seu similitudo alicujus rei. Absolutum non est nisi ens ipsum. Sane idea entis est prima idea; sed non est prima nisi quia exprimit id quod est primum. Ens autem aliud est a se seu necessarium, et aliud contingens, aliud substantiale et aliud accidentale, etc. : omnia quidem ad unitatem revocantur, sed viâ *analogiæ*, non autem viâ *identitatis*.

3° Ut cetera omittamus, pantheismus Hegelii conclusiones ejusmodi importat : Ens est nihilum — Spiritus sunt corpora — Idea Dei est Deus — Abstractum est concretum. Quibus certe nihil absurdius

577. **Objectiones**. — 1° Ubi agitur de characteribus mundi, sæpe fit transitus a partibus ad totum, hoc modo : Singula entia hujus mundi sunt contingentia, finita, etc. ; ergo totus mundus est contingens, finitus. Atqui hoc est sophisma.

Resp. — Id prædicare de toto quod prædicatur de partibus non est sophisma, si prædicatum est de naturâ partium. Ex. gr. singuli homines sunt mortales ; ergo omnes homines sunt mortales.

2° Nobis compertæ non sunt omnes partes mundi. Ergo nobis non licet aliquid decernere de toto mundo.

Resp. — Neque etiam novimus omnes homines : scimus tamen omnes homines esse mortales, cùm natura humana sit semper eadem. Ita, propter legitimam inductionem, concludimus totum mundum esse contingens, mutabile, etc. ex eo quòd partes mundi sunt essentialiter contingentes, mutabiles, etc.

3e Infinitum est id extra quod nihil est. Atqui extra mundum nihil est. Mundus ergo est infinitus.

Resp. — Infinitum est id extra quod aliquid non est nec esse potest. Porro extra mundum aliquid esse potest, scilicet mundi possibiles. Præterea, etiamsi mundus esset infinitus quantitate et spatio, non ideo esset infinitus perfectione.

Ceterùm hæc propositio : « Infinitum est id extra quod aliquid non est nec esse potest », non est omnino vera de Deo.

Nam mundus dici potest extra Deum, quatenus distinctus a Deo, quamvis Deus sit infinitus. Infinitum enim absolutum est id extra quod nihil esse potest ejusdem perfectionis.

4° Sed contra, si infinitum, seu Deus, non absorbet finitum, seu mundum, jam infinitum crescere potest; cùm infinitum et finitum sint aliquid majus quam infinitum solum.

Resp. — Infinitum æquat seipsum et omnia finita possibilia simul sumpta. Finitum enim addit infinito pluralitatem entium, sed non plus entis sive perfectionis.

5° Vel Deus continet mundum vel non continet. Si continet mundum, ab eo non distinguitur; si non continet, jam non est infinitus, ideoque non est Deus.

Resp. — Deus continet mundum, scilicet omnes perfectiones creaturarum, non *formaliter*, sed *eminenter*, tanquam causa efficiens et causa exemplaris; unde remanet distinctus et infinitus. Deus continet etiam mundum propter immensitatem suam, non autem propter spatium, quod fundatur in extensione rerum et de Deo prædicari non potest.

6° Admitti potest series infinita effectuum et causarum in mundo; quo pacto mundus esset æternus et independens.

Resp. — Æternitas proprie dicta, quæ est attributum divinum, non est tempus infinitum (v. caput XXVIII). Igitur, etiamsi mundus esset sine initio temporali (quod non admitimus v. n. 470-473 et caput seq. *de Antiquitate mundi*), non ideo esset æternus, id est immutabilis et independens a Deo Creatore.

7° Sic arguit Spinosa : Per substantiam intelligo id quod in se est et per se concipitur. Unica ergo est substantia Deì et mundi.

Resp. — Omnis substantia quidem in se est et per se concipitur, scilicet independens a subjecto inhæsionis, sed non concipitur tanquam independens ab omni causâ. Totus pantheismus Spinosæ ex hac æquivocatione profluit.

8° Pergit Spinosa : Una substantia aliam producere nequit, tum quia substantia est per seipsam, tum quia ex nihilo nihil fit.

Resp. — Primò falsum est omnem substantiam esse per sè, id est, independentem a causâ efficiente. Deinde gratis ne-

gatur creationis possibilitas, id est, productio a causâ efficiente et causâ exemplari, sine materiâ præexistente (v. n. 586).

9° Si plures substantiæ existerent, haberent eadem vel diversa attributa. Porro neutrum dici potest. Primò, non haberent eadem attributa ; alioquin ipsæ non essent differentes inter se. Secundò, non haberent diversa attributa. Nam ista attributa vel essent accidentalia, vel essentialia. Si essentialia, omnes substantiæ illa haberent; unde non essent differentes essentialiter inter se. Si accidentalia, substantiæ non essent differentes inter se nisi accidentaliter ; unde una esset substantia.

Resp. — Plures substantiæ possunt habere simul eadem et diversa attributa : eadem, quibus conveniunt in uno genere ; diversa, quibus differunt inter se. A fortiori plures substantiæ possunt existere non habentes aliquid commune, similes tamen aliquo modo propter analogiam, et diversæ propter oppositionem.

CAPUT XXXIII

DE ORIGINE MUNDI ET DE CREATIONE

578. **Opiniones de origine mundi.** — Ad explicandam originem mundi multas hypotheses excogitaverunt philosophi :

1° Thales, Anaximenes, Anaximander arbitrati sunt materiam ex quâ mundus constat esse æternam atque insuper pollere quadam vi ingenitâ et vitali per quam varietas rerum effecta est. Inde cognonem *hylozoistarum* acceperunt (v. Lexicon). — At falsò dixerunt materiam esse essentialiter vitæ præditam. Sane vis quædam est proprietas omnium corporum, sed vita est corporibus organicis propria.

2° Leucippus, Democritus, Epicurus aliique atomistæ existimabant atomos semper extitisse atque ordinem rerum mundanarum ab illarum *fortuitâ concursione* effectum esse. Quæ sententia a non paucis modernis renovata est.

3° Plato, ab his commentis abhorrens, admisit quidem materiam chaoticam improductam, sed ostendit hanc materiam infimam ordinatam fuisse et ornatam ab intellectu divino. Quam sententiam jam Anaxagoras protulerat.

4° Aristoteles videtur existimasse non solùm materiam esse improductam, sed etiam ordinem rerum materialium semper fuisse, Deum autem in centro mundi ita consistere ut moveret quidem et attraheret omnia, tanquam bonum perfectum, sed non gubernaret providentiâ.

5° Patres et philosophi christiani doctrinam Platonis perfecerunt, profitentes mundum fuisse ordinatum a Deo et productum per creationem liberam.

6° Neo-platonici, eclectismo addicti, sententias diversas componere conati sunt, dicentes mundum esse æternum et a Deo ordinatum, processisse autem a Deo viâ emanationis.

7° Antiquorum sententias moderni renovaverunt. Cartesius hypothesim novam atomorum excogitavit atque eam cum doctrinâ catholicâ composuit, dicens Deum esse creatorem atomorum primumque motorem earum.

8° Plurimi moderni, sententiæ hylozoistarum plus minusve adhærentes, contendunt mundum ex vi ipsis moleculis insitâ evolutum paulatimque efformatum fuisse. — Veram autem doctrinam de primâ origine mundi sic statuimus :

Thesis : *Materia ex quâ mundus constat non existit a seipsa ; — unde mundus qualis hodie videtur non est effectus concursionis fortuitæ atomorum. — Neque possibile est mundum emanasse a substantiâ divinâ. — Sola hypothesis creationis admitti potest. — Insuper creatio est libera — et, in hypothesi creationis, mundus absolute perfectissimus non est necessarius.*

579. **Materia non est a se.** — Etenim 1° quidquid diximus de contingentiâ mundi valet a fortiori de contingentiâ materiæ, quæ mundi est pars ignobilior. Concipi potest materia tanquam non existens ; est essentialiter mutabilis, dependens, etc.

2° Materia a se existens repugnat intrinsece. Nam materia a se existens esset simul finita et infinita quoad essentiam,

— finita et infinita quoad quantitatem ; — esset insuper neque in motu neque in quiete.

Primò, esset simul finita et infinita quoad essentiam : finita quidem, cùm aliquid melius materiâ concipi possit ; infinita tamen, quia existeret a se, ideoque esset necessaria, immutabilis, etc. : omnes enim perfectiones divinæ ex aseitate profluunt.

Secundò, esset simul finita et infinita quoad quantitatem : finita quidem, quia omnis quantitas, actu existens, est determinata, figurata vel numerata ; infinita tamen, quia materia ex seipsa est indeterminata quoad quantitatem, non habens limites.

Tertiò, non esset in motu nec in quiete. Nam materia ex se est indifferens sive ad motum sive ad quietem.

3° Ut patet ex dictis, si materia esset a se, jam essent duo dii ; nam aseitatem consequitur divinitas. Hinc dualismus manichæorum. Quam consequentiam legitimam sæpe ostenderunt Patres aliique philosophi christiani.

580. **Objectiones**. — 1° Secundùm Cartesium, ad explicandam originem mundi, sufficiunt materia et motus. Cur ergo mundus non esset effectus materiæ vi quadam essentialiter præditæ ?

Resp. — Cartesii opinio, etiam admissá creatione materiæ, et motione atomorum a Deo, rejicienda est ; quia motus localis non sufficit ad explicandam originem vitæ. Ceterùm, materia, etiam vi quadam essentialiter prædita, agere nequit nisi determinetur et gubernetur aliquâ causâ efficiente et aliquâ causâ exemplari seu finali.

2° Ut putabat Plato, omnis actio præsupponit materiam ex quâ opus perficiatur. Ergo mundus a Deo factus est ex materiâ improductâ.

Resp. — Actio imperfecta, sicut nostra, supponit quidem materiam. Operatio enim creaturarum est accidentalis : unde primum esse producere non potest in suis effectibus. Sed actio divina est substantialis ; unde ejus effectus potest esse subjectum totum, substantia tota. Hinc creatio. Ad rem S. Th. :

Unumquodque agens sibi simile agit ; agit enim secundùm quòd actu est. Illius igitur agentis erit producere effectum, causando aliquo modo formam materiæ inhærentem, quod est actu per formam sibi inhærentem et non per totam substantiam suam... Deus autem non est ens actu per aliquid sibi inhærens, sed per totam suam substantiam... Igitur proprius modus suæ actionis est ut producat rem subsistentem totam, non solùm rem inhærentem, scilicet formam in materiâ... Deus igitur materiam præjacentem non requirit in suâ actione (1).

581. **Mundus non est effectus concursionis fortuitæ atomorum.** — Etenim 1°, cùm materia non sit a se, oportet ut dependeat omnino a causâ primâ perfectissimâ; unde quævis concursio atomorum erit aliquid prævisum simul ac productum.

2° Ordo rerum mundanarum est ejusmodi ut solummodo causæ maxime intelligenti tribui possit. Ergo mundus non casu factus est.

3° Concursio fortuita atomorum seu casus non potest esse causa nisi per accidens. Sed omnis causa per accidens reducitur ad aliquam causam per se.

Hæc ratio maxime urget, si considerantur motus et operationes naturæ præsentis, quæ non procedunt a causis fortuitis, seu per accidens et indeterminatis, sed a causis per se et determinatis. Ergo a fortiori formatio mundi et prima distinctio rerum non sunt a causâ per accidens et indeterminatâ, id est, a casu, cùm causa per se sit prior eâ quæ est per accidens. Ad rem S. Th. :

Causa per se prior est eâ quæ est per accidens. Si igitur posteriora sint a causâ per se determinatâ, inconveniens est dicere priora esse a causâ per accidens indeterminatâ. Distinctio autem rerum præcedit naturaliter motus et operationes rerum. Determinati enim motus et operationes sunt rerum determinatarum et distinctarum. Motus autem et operationes rerum sunt a causis per se et determinatis, cùm inveniantur aut semper aut in pluribus ex suis causis eodem modo procedere. Ergo et distinctio rerum est a causâ per se et determinatâ, non a casu, qui est causa per accidens indeterminata (2).

(1) *Cg.*, l. II, cp. XVI.
(2) *Cg.* lib. II, cp. XXXIX.

582. **Mundus oriri non potuit per emanationem divinæ substantiæ.** — Emanatio duplex præsertim distinguitur ; alia *immanens* seu indivisa, et alia *transiens* seu divisa. Illa, quæ non est emanatio proprie dicta, eo modo fit ut substantia emanata non dividatur a substantiâ emanatrice, quæ seipsam expandit in seipsa : ita emanatismus Spinosæ jam confutatus.

Emanatio autem transiens et proprie dicta, eo modo fit ut substantia emanata dividatur ab emanatrice, quæ se expandit extra seipsam. Sed hæc emanatio non minùs repugnat quam altera.

Nam 1° si substantia mundi est ipsa substantia divina emanata, Dei et mundi erit una natura et unum esse : inde pantheismus jam confutatus.

2° Insuper absurdum est dicere substantiam divinam esse divisibilem, id est, compositam, mutabilem, finitam, etc.

583. **Objectiones.** — 1° Nobis objiciunt textus Patrum necnon S. Thomæ ubi emanatio creationi æquiparari videtur.

Resp. — Equidem emanatio quam professi sunt majores nostri non differt ab ipsâ creatione. Hæc emanatio enim, ut ait S. Th., est « emanatio *totius entis* a causâ universali, quæ est Deus » (1). Porro emanatio totius entis a causâ universali est productio effectûs a causâ efficiente et finali sine materiâ seu substantiâ prexistente, id est, creatio. Igitur attendere oportet ad significationem vocis potiùs quàm ad vocem ipsam.

2° Entia hujus mundi dicuntur a scholasticis orta fuisse per participationem divinæ substantiæ. Sed participatio est ipsa emanatio.

Resp. — Semper attendere oportet ad sensum potiùs quàm ad vocem. Omnis effectus recte dici potest participatus, respectu suæ causæ, cujus perfectiones plus minusve refert. Ad rem S. Th. :

Primus actus est universale principium omnium actuum, quia est infinitum virtualiter, in se omnia præhabens... Unde

(1) 1a, q. 45, a. 1

participatur a rebus non sicut pars, sed secundùm diffusionem processionis ipsius (1).

584. **Sola hypothesis creationis admitti potest.** — Ceteris rejectis utpote repugnantibus, nobis occurrit hypothesis creationis.

Quid est ergo creatio ? — Creatio est productio totius entis, id est, sine materiâ vel substantiâ præexistente. Differt igitur a transformatione, a generatione, ab omni mutatione substantiali vel accidentali. Creatio non est mutatio proprie dicta, quia non habet nisi unum terminum realem ; tamen concipitur ad modum mutationis, scilicet tanquam transitus a nihilo ad existentiam. In creaturis spectata, non est nisi relatio quædam ad creatorem, ut ad principium earum (2) ; quæ relatio eas non constituit, sed ab eis est inseparabilis. Actus verò creationis est in ipso Deo, quamvis objectum hujus actûs sit ipsa essentia creaturæ, quæ fit realis. Proprie loquendo solæ substantiæ creantur; nam creare est producere primum esse, scilicet esse subsistens. Unde accidentia et etiam formæ substantiales non subsistentes, non proprie creantur sed concreantur. Apposite S. Th. :

Creari est quoddam fieri... Fieri autem ordinatur ad esse rei. Unde illis proprie convenit fieri et creari quibus convenit esse : quod quidem convenit proprie subsistentibus, sive sint simplicia, sicut substantiæ separatæ, sive sint composita sicut substantiæ materiales. Illi enim proprie convenit esse, quod habet esse et est subsistens in suo esse. Formæ autem et accidentia et alia hujusmodi non dicuntur entia quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est; ut albedo eâ ratione dicitur ens, quia eâ subjectum est album. Unde, secundùm Philosophum (Metaph.), accidens magis proprie dicitur entis quàm ens. Sicut igitur accidentia et formæ et hujusmodi quæ non subsistunt, magis sunt coexistentia quam entia, ita magis debent dici concreata quam creata. Proprie vero creata sunt subsistentia (3).

Hinc rejiciuntur creationis omnes definitiones falsæ. Ex. gr. falsum est dicere absolute : Deus creat sicut homo cogitat.

(1) 1a, q. 75, a. 5, ad 1.
(2) 1a, q. 45, a. 3.
(3) 1a, q. 45, a. 4.

Nam cogitatio est modificatio et perfectio hominis, dum creatio non est modificatio neque perfectio Dei.

Sed, bene intellectâ notione creationis, asserimus : 1° creationem non repugnare; 2° creationem admittendam esse.

1° *Creatio non repugnat.* Etenim neque repugnat ex parte effectûs (id est, invenitur possibilitas intrinseca), neque repugnat ex parte causæ (id est, invenitur possibilitas extrinseca). Non repugnat ex parte effectûs, cùm conceptus alicujus entis finiti simpliciter novi, id est, transeuntis a possibilitate ad existentiam, non importet contradictionem. Sed neque repugnat ex parte causæ, cùm causa sit universalis et infinita, et ideo possit producere totum ens et quidquid intrinsece non repugnat.

2° *Creatio admittenda est.* Nam, rejectis omnibus aliis hypothesibus, prima origo mundi nonnisi per creationem explicari potest. Ut vidimus, mundus non est a se; aliunde non potest esse pars aut aliquid divinæ substantiæ : quid ergo superest nisi ut creetur? Inter dualismum et pantheismum aliud non est nisi doctrina christiana de creatione.

Hoc etiam adjiciamus :

Non solùm non est impossibile a Deo aliquid creari ex nihilo, sed necesse est ponere a Deo omnia creata esse... Quicumque enim facit aliquid ex aliquo, illud ex quo facit præsupponitur actioni ejus, et non producitur per ipsam actionem : sicut artifex operatur ex rebus naturalibus, ut ex ligno et ære, quæ per artis actionem non causantur, sed causantur per actionem naturæ. Sed et ipsa natura causat res naturales quantùm ad formam, sed præsupponit materiam. Si ergo Deus non ageret nisi ex aliquo præsupposito, sequeretur quod illud præsuppositum non esset causatum ab ipso. Ostensum est autem supra quòd nihil potest esse in entibus quod non sit a Deo, qui est causa universalis totius esse. Unde necesse est dicere quòd Deus ex nihilo res in esse producit (1).

585. **Potestas creandi est omnino incommunicabilis.** — Hìc occurrit quæstio non levis, quamvis secunda, scilicet : Utrùm creatio ita sit propria Deo ut nulli creaturæ, ne instrumentaliter quidem, convenire possit? Sane de fide est (speciatim ex conc. Vaticano) Deum omnia per seipsum

(1) 1a, q. 45, a. 2.

immediate creasse. Sed quæstio movetur de possibilitate creationis, mediantibus creaturis. Sic autem plene solvitur a S. Th. :

Creare non potest esse propria actio nisi solius Dei. Oportet enim universaliores effectus in universaliores et priores causas reducere. Inter omnes autem effectus universalissimum est ipsum esse. Unde oportet quòd sit proprius effectus primæ et universalissimæ causæ, quæ est Deus... Producere autem esse absolute, non in quantum est hoc vel tale, pertinet ad rationem creationis. Unde manifestum est quòd creatio est propria actio ipsius Dei — Contingit autem quòd aliquid participet actionem propriam alicujus alterius non virtute propriâ sed instrumentaliter, in quantum agit in virtute alterius; sicut aer per virtutem ignis habet calefacere et ignire. Et secundùm hoc aliqui opinati sunt quòd, licèt creatio sit propria actio universalis causæ, tamen aliqua inferiorum causarum, in quantum agit in virtute primæ causæ, potest creare. Et sic posuit Avicenna quòd prima substantia separata creata a Deo creat aliam post se, et substantiam orbis et animam ejus ; et quòd substantia orbis creat materiam inferiorum corporum. Et secundùm hunc etiam modum. Magister dicit (dist. v, lib. iv Sentent.), quòd Deus potest creaturæ communicare potentiam creandi, ut creet per ministerium, non propriâ auctoritate. Sed hoc esse non potest : quia causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis. Si enim nihil ibi ageret secundùm illud quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum ; nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Sic enim videmus quòd securis, scindendo lignum, quod habet ex proprietate suæ formæ, producit formam scamni, quæ est effectus proprius principalis agentis. Illud autem quod est proprius effectus Dei creantis, est illud quod præsupponitur omnibus aliis, scilicet esse absolute. Unde non potest aliquid aliud operari dispositive et instrumentaliter ad hunc effectum ; cùm creatio non sit ex aliquo præsupposito quod possit disponi per actionem instrumentalis agentis. Sic igitur impossibile est quòd alicui creaturæ conveniat creare ; neque virtute propriâ, neque instrumentaliter, sive per ministerium. Et hoc præcipue inconveniens est dici de aliquo corpore quòd creet ; cùm nullum corpus agat, nisi tangendo vel movendo ; et sic requirit in suâ actione aliquid præexistens quod possit tangi et moveri. Quod est contra rationem creationis (1).

(1) Ia, q. 45, a. 5.

586. **Contra creationem objectiones.** — 1° Creatio est aliquid incomprehensibile. Ergo non est admittenda.

Resp. — Creatio aliquo modo cognoscitur, quamvis imperfecte; eam quidem concipere et demonstrare possumus, saltem indirecte. Sed alia multa captum nostrum superant, quæ tamen sunt certissima.

2° Creare est aliquid facere ex nihilo. Sed ex nihilo nihil fit, ut aiebant veteres philosophi. Ergo creatio est impossibilis.

Resp. — Nihil fieri potest ex nihilo ideali et ex nullâ virtute, id est, sine causâ exemplari et sine causâ efficiente ; sed aliquid fieri potest virtute divinâ, sine causâ materiali, id est, Deus aliquo non indiget ad operandum. Aliis verbis, sicut passim explicat S. Th. :

Agens cui accidit agere requirit materiam in quam agat. Sed Deo non accidit agere, imò sua actio est sua substantia. Ergo non requirit materiam in quam agat, et ita potest ex nihilo aliquid facere... Præterea virtus divina est potentior quàm virtus naturæ. Sed virtus naturæ facit aliquod ens ex hoc quòd erat in potentiâ. Ergo virtus divina aliquid amplius facit, et ita facit ex nihilo (1).

3° Infinitam distantiam non est pertransire, ut ait Philosophus. Atqui non entis simpliciter ad ens est infinita distantia. Ergo impossibile est transire de non ente simpliciter ad ens, id est, creari.

Resp. — Creatio non est proprie motus nec mutatio, quamvis eam concipiamus ad modum motùs et mutationis. Unde inter non ens simpliciter et ens non datur distantia localis, sed differentia entitatis, quæ est finita. Deus autem potest facere quidquid finitum est.

4° Creatio repugnat. Nam vel fit in uno instanti, vel in duobus. Si fit in uno instanti, res quæ transit a non esse ad esse, simul non est et est. Si vero fit in duobus instantibus, id est, si res non existit in primo instanti sed existit in secundo, cùm inter duo instantia sit semper aliquod instans medium, in hoc medio instanti res neque erit neque non erit.

(1) Cf. *De Potentia*, q. 3, a. 1, et 4 etc.

Resp. — Cavillationes hujusmodi facillime solvuntur si ad veram notionem creationis necnon temporis attendimus. Sane creatio repugnaret si fieret per motum realem et continuum a non esse ad esse. Insuper non est motus neque tempus ante creationem : tempus autem nonnisi cum creatis incepit.

587. **Creatio est libera.** — Non solùm mundus videtur contingens, si spectatur ejus natura, sed etiam si spectatur ejus Causa seu Deus a quo procedit. Præter pantheistas, non pauci hanc libertatem denegaverunt Creatori, dicentes illum creasse quidem spontanee, non coacte, sed tamen necessariò, id est, ex naturâ suâ ; quos alibi confutabimus (v. cp. LXVI).

Hæc pauca nunc sufficiunt. Si creatura esset Deo necessaria, jam Deus indigeret aliquo, ideoque non esset infinitus, perfectus, immutabilis, etc., perficeretur per ipsam creaturam et ab ipsâ imperfecte distingueretur (sicut, ex. gr. cogitatio differt a cogitante). Inde pantheismus — His erroribus affinis est optimismus absolutus.

588. **Optimismus ; ejus formæ seu species.** — Alius est optimismus absolutus et alius relativus. Juxta optimismum relativum, Deus, suppositâ electione et creatione alicujus mundi inter plures plus minusve perfectos absolute, hunc debuit facere optimum in suo genere. Quem optimismum admittimus ; nam Deus non potest condere et ordinare mundum quem elegerit nisi cum infinitâ sapientiâ : Deus enim divine semper operatur ; unde opera ejus sunt optima. Ad rem S. Th. :

Universum, suppositis istis rebus, non potest esse melius, propter decentissimum ordinem his rebus attributum a Deo, in quo bonum universi consistit ; quorum si unum aliquod esset melius, corrumperetur proportio ordinis : sicut si una chorda plus debito intenderetur, corrumperetur citharæ melodia (1).

At, juxta fautores optimismi absoluti, Deus, suppositâ creatione, debuisset condere mundum absolute optimum inter omnes mundos possibiles. Ita Leibnizius, qui contendebat rationem sufficientem non esse eligendi creationem mundi

(1) 1a, q. 25, a. 6 ad 3.

non absolute optimi. Illis autem qui objiciebant aliquem mundum perfectiorem quocumque alio posse excogitari, respondebat dicens mundum esse indefinite perfectibilem, ideoque perfectissime exprimere attributa divina et a nullo alio esse secundum. Optimismo adhæsit Malebranchius, sed dicendo hunc mundum esse absolute optimum propter Verbi divini incarnationem.

589. **Optimismi absoluti confutatio**. — Optimismus absolutus confutatur his rationibus :

1° Optimismus absolutus supponit seriem mundorum possibilium esse finitam ; nam, ultra mundum absolute optimum non esset alius mundus possibilis. Sed series possibilium finita esse nequit. Aliis verbis, quodcumque perfectum finitum potest esse minus altero, sicut quicumque numerus potest esse minor altero ; unde mundus absolute optimus est impossibilis.

2° Ille mundus absolute optimus vel habet omnes perfectiones cujuscumque generis, vel habet solummodo perfectiones alicujus generis. Si primò, est Deus, et occurrit pantheismus vel dualismus. Si secundò, jam potest habere perfectiones alterius generis ; unde non est absolute optimus.

3° Impossibilitas mundi absolute optimi apparet etiam ex ipsâ bonitate divinâ, quæ est infinita et ideo semper potest manifestari modo perfectiori. Apposite S. Th. :

Finis naturalis divinæ voluntatis est Ejus bonitas, quam non velle non potest. Sed fini huic non commensurantur creaturæ, ita quòd sine his divina bonitas manifestari non possit, quod Deus intendit ex creaturis. Sicut enim manifestatur divina bonitas per has res quæ nunc sunt et per hunc rerum ordinem, ita potest manifestari per alias creaturas et alio modo ordinatas ; et ideo divina voluntas absque præjudicio bonitatis, justitiæ et sapientiæ potest se extendere in alia quàm quæ fecit. Et in hoc fuerunt decepti errantes: æstimaverunt enim ordinem creaturarum esse quasi commensuratum divinæ bonitati, quasi absque eo esse non posset. Patet ergo quòd absolute Deus potest facere alia quàm quæ fecit (1).

590. **De progressu indefinito**. — Iisdem rationibus perstringuntur optimismi fautores qui putant mundum fieri

(1) *De Potentia,* q. 1, a. 5.

posse absolute optimum propter progressum indefinitum. Nam, etiam in hypothesi progressûs indefiniti, mundus potuisset creari perfectior absolute et progredi velociùs, etc. Ceterùm, progressus indefinitus absolute, seu per se, repugnat. Nam progressus sine fine esset progressus sine bono, cùm bonum sit finis ; unde dicitur : « Qui infinitum faciunt auferunt naturam boni » (1). Insuper ille progressus transformismum et confusionem specierum importat, ut infra dicetur de evolutionismo (v. cap. xxxv).

4° Tandem optimismus absolutus minuit et etiam tollit omnipotentiam et libertatem divinam. Nam Deus non posset creare nisi unum mundum ; imò, juxta plures optimismi fautores, Deus non posset non creare, sed naturâ suâ determinaretur ad creandum. Hinc iterum pantheismus cum determinismo et fatalismo.

591. **Objectiones contra libertatem Creatoris.** — 1° « Bonum est diffusivum sui », id est, bonitas est naturâ suâ communicabilis. Sed Deus est summa bonitas. Ergo Deus est naturâ suâ communicabilis, seu naturâ suâ creat, non autem voluntate liberâ.

Resp. — Bonitas suprema est communicabilis naturâ suâ, id est, aptitudine et libere; sed non est communicabilis actu et necessitate. Alioquin jam non esset perfecta, cùm aliquo indigeret et ad aliud ordinaretur, nec crearet nisi reportando incrementum. Sane ea bonitas major est quæ alteri se communicat nihil inde accipiens.

2° Deus unico actu vult propriam bonitatem et alia extra se, scilicet creaturas, quæ divinam bonitatem participant. Atqui vult necessarie suam bonitatem. Ergo necessarie etiam vult creaturas.

Resp. — Deus unico actu vult omnia sed diversâ ratione, prout fert eorum natura. Unde infinitum vult necessarie, finitum autem vult libere.

3° Libertas est indifferentia, indeterminatio, potentia aliquid faciendi vel non faciendi. Sed in Deo nihil est indeterminatum, potentiale, cùm sit actus purus.

(1) 1a, 2æ, q. 1, a. 4

Resp. — In Deo libertas non est aliquid potentiale, sed actus purus, cujus objecta sunt contingentia. Sed propter debilitatem nostri intellectûs, eam concipimus ad modum libertatis humanæ.

4° Vis activa in Deo est semper in actu. Ergo Deus creat semper, id est ab æterno.

Resp. — Sane Deus creat ab æterno, si spectetur ejus actus ; sed effectus hujus actûs est temporalis, prout Deus disposuit.

5° Sive actus creans sit ab æterno, sive non, Deus potuisset non creare ; sed hæc potentia importat mutabilitatem in Deo.

Resp. — Actus creans non differt realiter ab actu puro quo Deus vult infinitum. Terminus hujus actûs est infinitum ; terminus autem illius actûs est etiam infinitum et finitum tanquam medium ad infinitum. Sed medium potest adesse vel abesse sine mutatione objecti adæquati actûs, ac proinde sine mutatione reali ipsius actûs. Deus ergo non creans non differt realiter a Deo creante.

6° Deus causa mundi est ens necessarium. Sed effectus necessarius sequitur causam necessariam.

Resp. — Deus est *ens* necessarium, sed *causa* libera. Ei præcise est causa libera, quia solus est ens necessarium, cetera autem sunt contingentia.

592. **Objectiones optimistarum**. — 1° Si Deus inter mundos possibiles non creasset optimum, sine ullâ ratione sufficienti egisset. Ita Leibnizius adversùs Clarkium.

Resp. — Deus rationem sufficientem creationis non quæsivit in ipso mundo, cùm nullus mundus eam præbere possit; sed habuit in seipso, in suâ bonitate infinitâ, quam omnes mundi manifestare possunt perfecte secundùm suum modum.

2° Si Deus crearet mundum non optimum, eligeret minus bonum, quod est aliquo modo malum, et ita derogaret saltem bonitati et sapientiæ suæ.

Resp. — Deus creavit cum sapientiâ infinitâ ; quod sufficit et est solum possibile. Ceterùm, minus bonum non est malum, nisi sit illud quod improprie vocant malum metaphysicum, ab omni creaturâ inseparabile.

3° Mundus noster est absolute optimus propter Incarnationem Verbi.

Resp. — Sane Incarnatio est opus divinum absolute præstantissimum, sed liberum. Ceterùm, ipse mundus remanet finitus et alius absolute perfectior est semper possibilis.

CAPUT XXXIV

DE ANTIQUITATE MUNDI

593. **Utrùm mundus inceperit?** — De fide est mundum incepisse. Sed quæritur insuper utrùm mundus potuisset creari ab æterno. Quâ hypothesi admissâ, mundus non haberet initium, primam diem vel primum momentum, sed semper fuisset, ab omni tempore; unde alius mundus eo antiquior non esset possibilis.

594. **Opinio sancti Thomæ.** — Maxime attendens ad doctrinam Aristotelis, qui putabat materiam extitisse ab æterno, S. Thomas existimavit « quòd mundum non semper fuisse solâ fide tenetur et demonstrative probari non potest ». Quam sententiam etiam professus est in opusculo *De æternitate mundi adversùs murmurantes*, ubi legitur : « Mirum est quomodo Augustinus et nobilissimi philosophi non viderint hanc repugnantiam. » At, solvendo objectiones, sententiam suam mitigasse videtur, dicendo aliquam saltem creaturam spiritualem, id est, aliquo modo immutabilem et sùpra tempus proprie dictum, potuisse creari ab æterno. Huic sententiæ, sic temperatæ, adhæserunt non pauci : Suarezius, Durandus, et, nostrâ ætate, Sanseverino, Liberatore, Zigliara. Sed præstat ut ipsum sanctum Doctorem audiamus :

Respondeo dicendum quòd mundum non semper fuisse solâ fide tenetur et demonstrative probari non potest; sicut et supra de mysterio Trinitatis dictum est. Et hujus ratio est, quia novitas mundi non potest demonstrationem recipere ex parte ipsius mundi. Demonstrationis enim principium est *quod quid est* (1). Unumquodque autem secundùm rationem

(1) Id est, essentia seu definitio ejus rei de quâ quidpiam demonstratur.

suæ speciei abstrahit ab *hic et nunc;* propter quod dicitur quòd universalia sunt ubique et semper. Unde demonstrari non potest quòd homo, aut cælum, aut lapis non semper fuit. Similiter etiam neque ex parte causæ agentis, quæ agit per voluntatem. Voluntas enim Dei, ratione investigari non potest nisi circa ea quæ absolutè necesse est Deum velle. Talia autem non sunt quæ circa creaturas vult, ut dictum est. Potest autem voluntas divina homini manifestari per revelationem, cui fides innititur. Unde mundum incepisse est credibile, non autem demonstrabile vel scibile. Et hoc utile est ut consideretur, ne fortè aliquis quod fidei est demonstrare præsumens, rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter hujusmodi rationes credere quæ fidei sunt.....

Ad octavum... Posset dicere aliquis quòd mundus fuit æternus, vel saltem aliqua creatura, ut angelus, non autem homo. Nos autem intendimus universaliter an aliqua creatura fuerit ab æterno (1).

595. **Opinio cardinalis Zigliaræ**. — Card. Zigliara statuit duas theses sequentes : « Probabile est repugnare aliquam creaturam esse ab æterno. — Probabile est non repugnare aliquam creaturam esse ab æterno » (2). Concedit quidem æternitatem mundi qualis est hodie esse impossibilem : « Existimo, inquit, mundum uti nunc est non potuisse ab æterno creari, quidquid in contrarium suadere conetur P. Guerinois, Ord. Præd., in suo *Clypeo* philosophiæ thomisticæ » Sed remanet anceps de possibilitate creationis ab æterno alicujus creaturæ.

Porro hæc opinio impugnari potest rationibus hujusmodi : Quæcumque sit creatura ab æterno, erit subjecta quibusdam mutationibus ac proinde alicui tempori ; tempus autem non potest esse infinitum, id est, sine initio et sine fine. Deinde etiamsi hæc creatura supponatur immutabilis, Deus potuisset condere aliam creaturam antiquiorem : nulla enim creatura dari potest absolute antiquissima inter omnes creaturas possibiles, quemadmodum nulla creatura dari potest absolute optima.

596. **Opinio opposita**. — Unde prævalere videtur opinio

(1) 1^a, q. 46, a. 2.
(2) *Cosmol.* lib. I, cp. III, a. 2.

opposita, quæ negat simpliciter possibilitatem cujuscumque creationis *ab æterno*. Ita opinati sunt Albertus Magnus, S. Bonaventura, etc. ; ita etiam opinantur multi philosophi moderni, qui conati sunt demonstrare, contra athæos, existentiam Creatoris, ex eo quòd mundus incepit.

597. **Mundus ab æterno existens repugnat**. — Quæ sententia nobis videtur certa, quamvis prudentiùs sit demonstrare aliunde Creatoris existentiam.

Etenim 1° Si mundus semper extitisset, numerus dierum vel momentorum præteritorum esset infinitus. « Sed infinita non est pertransire. Ergo nunquam fuisset perventum ad hunc diem » vel momentum (1). Nec solvitur hæc ratio dicendo quòd, in hypothesi creationis ab æterno, non fuisset primus dies; unde inter quemcumque diem præteritum et diem hodiernum esset numerus dierum finitus. Nam series seu numerus sine aliquo primo repugnat, quemadmodum repugnat materia sine formâ, vel numerus sine specie. In vanum etiam objicerent infinitatem dierum præteritorum esse *successivam*, non autem *simultaneam*. Nam etiam infinitas successiva et præterita repugnat, siquidem hæc infinitas non est in potentiâ, sed tota fuit aut est; porro quodcumque infinitum actu magnitudine vel multitudine repugnat (v. n. 470-474). Præterea, etiamsi infinitas successiva et præterita non repugnaret, non esset possibile eam pertransire. Unde non solvitur argumentum.

2° Alia contradictio quam importat hypothesis creationis ab æterno hæc est : series dierum vel successionum præteritarum esset infinita et nihilominus crescere non desineret. Sed repugnat infinitum crescere. — In vanum responderent seriem vel tempus esse infinitum *a parte ante*, sed finitum *a parte post*. Nam agitur de eâdem serie vel quantitate, de eodem tempore.

3° Ratio directa et præcipua hæc est : Omnis creatura alicui tempori vel successioni subjicitur. Porro omnis successio, omne tempus est necessariò aliquid determinatum,

(1) Cf. S. Th., ibid., ad 6.

numeratum et ideo finitum. Sicut omne spatium reale est finitum, et omnis quantitas figuram vel limitem habet, ita omnis creatura quodam tempore mensuratur. Sane aliqua creatura potest limitari tantùm per seipsam in spatio (ita totus mundus) vel in tempore ; sed limitatur tamen vere. Unde alia creatura major vel antiquior existere potest.

598. **Objectio**. — Æternitas mundi non repugnat ex parte Dei creantis, neque ex parte creaturæ. Primò non ex parte Dei; nam Deus est æternus et absolute liber. Secundò, non ex parte creaturæ; nam essentia creaturæ abstrahit a tempore (1).

Resp. — *Creatio ab æterno* intelligi potest duplici modo. Primò, quatenus tempus non fuit ante creationem ; et hoc modo prima creatura condita fuit ab æterno, cùm tempus non inceperit nisi per ipsam. Secundò, quatenus duratio creaturæ fuit revera infinita et non potuit alteri esse secunda. Hoc autem repugnare videtur, ut dictum est.

599. **Rationes non demonstrativæ contra creationem ab æterno**. — Rationes quas supra attulimus seligendæ sunt a sequentibus et aliis similibus, quæ non sufficiunt :

1° Creaturæ ex nihilo factæ sunt, id est, priùs non existebant et deinde extiterunt. Ergo conditæ sunt in tempore, seu durante tempore, non autem ab æterno.

Resp. — Creaturæ dicuntur factæ ex nihilo, non quòd fuerit tempus reale ante creationem et conditæ sint *post* nihilum, sed quia factæ sunt sine materiâ præexistente. Revera non fuit tempus reale ante primam creationem ; unde prima creatura non fuit condita in tempore, sed potiùs concreatum est tempus cum ipsâ. Ceterùm, semper imaginamur tempus ante creationem, quæ fuit initium temporis.

2° Si mundus fuisset creatus ab æterno, esset Deus, cùm æternitate divinâ frueretur. Ergo mundus creatus fuit in tempore.

Resp. — Hæc æternitas mundi esset solummodo accidens

(1) Cf. S. Th., art. cit.

seu tempus sine initio, sed non esset immutabilitas absoluta et æternitas proprie dicta, quæ soli Deo convenit (1).

3° Mundum incepisse scimus ex historiâ generis humani necnon ex historiâ naturali animalium, plantarum et ipsius terræ quam incolamus.

Resp. — Non agitur de origine particulari et proximâ hujus mundi quem occupat genus humanum, sed de origine primâ totius universi seu de creatione. Jam solvebat hanc rationem S. Th., cum Aristotele (2).

CAPUT XXXV

DE ULTIMO FINE MUNDI NECNON DE EVOLUTIONE

600. **Hujus capitis objectum**. — Nunc agendum est de fine mundi, et quidem non solùm de fine ultimo et extrinseco, qui Deus est, sed etiam de fine proximo et intrinseco, scilicet de modo quo res mundanæ ordinantur et perficiuntur. Speciatim quæritur an finis mundi sit quidam progressus indefinitus per evolutionem absolutam et specierum transformationem. Hinc thesis :

Thesis. — *Finis ultimus mundi est gloria Dei, scilicet bonitatis et aliarum perfectionum divinarum communicatio et manifestatio. — Finis autem proximus non est evolutio absoluta vel progressus indefinitus quo tollerentur distinctio et immutabilitas omnium specierum ; — sed ille finis consistit potiùs in ordine generali rerum, in intimis et mutuis relationibus quibus omnia et singula entia simul perficiuntur. — Unde hypothesis plurium mundorum non nisi cum temperamento admitti potest.*

601. **Finis ultimus mundi est Deus**. — Nam finis ultimus mundi non potest esse ipse mundus, cùm mundus non sit principium sui ipsius et aliunde finis ultimus sit pri-

(1) Cf. cp. xxviii de spatio et tempore.
(2) Cf. 1a, q. 46, a. 2, ad 4.

mum principium. Igitur Deus creans mundum sibi præstituit finem mundo nobiliorem et actioni divinæ adæquatum, scilicet ipsam bonitatem divinam. Deus enim non esset Deus si ordinaretur ejus actio ad mundum tanquam ad finem ultimum. Sane quod majus est bonum id ordinari potest aliquo modo ad minus bonum (ita totum ordinatur ad partes, corpus ad membrum, civitas ad civem), sed minus reducitur absolute ad majus tanquam medium ad finem. Deus ergo est finis ultimus ad quem omnia sunt ordinata, secundùm illud Scripturæ : *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (1). Prima causa efficiens et universalis, Deus est etiam causa finalis omnium entium, id est, bonum supremum quod omnia appetunt, et appetendo imitantur, bonitatem et alias perfectiones divinas manifestantes et glorificantes, prout fert natura singulorum.

Si velimus hanc doctrinam magis scrutari, audiatur S. Th. :

Omne agens agit propter finem ; alioquin ex actione agentis non magis sequeretur hoc quàm illud, nisi in casu. Est autem idem finis agentis et patientis in quantum hujusmodi ; sed aliter et aliter. Unum enim et idem est quod agens intendit imprimere, et quod patiens intendit recipere. Sunt autem quædam quæ simul agunt et patiuntur, quæ sunt agentia imperfecta. Et his convenit quòd etiam in agendo intendant aliquid acquirere. Sed primo agenti, qui est agens tantùm non convenit agere propter acquisitionem alicujus finis ; sed intendit solùm communicare suam perfectionem, quæ est ejus bonitas. Et unaquæque creatura intendit consequi suam perfectionem, quæ est similitudo perfectionis et bonitatis divinæ. Sic ergo divina bonitas est finis rerum omnium (2).

Ex his liquet solum Deum esse maxime liberalem, cùm non agat propter indigentiam et utilitatem, sed solùm propter suam bonitatem. Hinc facile solvuntur objectiones.

602. **Objectiones**. — 1° « Agere propter finem videtur esse alicujus indigentis fine. Sed Deus nullo est indigens. Ergo non competit ei agere propter finem ».

Resp. — Sane, si agens est imperfectum, id est, simul agens et patiens, non quærit finem nisi propter aliquam indigen-

(1) *Prov.*, XVI, 4.
(2) 1^a, q. 44, a. 4.

tiam. Sed Deus est agens perfectum, ut dictum est. Aliunde, non agere propter finem esset maxime imperfectum, imò impossibile (1).

2° Finis creationis est forma creaturæ. Atqui forma creaturæ differt a Deo. Ergo Deus non est finis creationis.

Resp. — Finis intermedius creationis seu potiùs actûs creantis est forma vel perfectio omnium et singularum creaturarum. Sed creatura perfecta non est nisi quatenus perfectiones divinas manifestat, id est, quatenus ordinatur ad Deum tanquam ad finem ultimum.

3° Omnia finem appetunt. Sed Deum non omnia appetunt. Ergo Deus non est omnium finis.

Resp. — Omnia appetunt Deum ut finem, appetendo quodcumque bonum, intellegibile vel sensibile ; quia nihil habet rationem boni et appetibilis, nisi secundùm quòd participat Dei similitudinem (2).

4° Causa finalis est prior causâ efficiente. Unde, si Deus esset simul causa efficiens et causa finalis rerum, in eo esset prius et posterius : quod est impossibile.

Resp. — Hæc prioritas est mere logica. « Cùm Deus sit causa efficiens, exemplaris et finalis omnium rerum, et materia prima sit ab ipso, sequitur quòd primum principium omnium rerum sit unum secundùm rem » (3).

603. **De evolutionismo**. — Nunc agendum est de modo quo mundus perficitur et finem suum attingit. Occurrit hypothesis evolutionismi et transformismi, nova quidem quoad vocem, sed olim cognita plus minusve sub nomine *progressûs indefiniti* necnon *legis continuitatis*. Etenim, vi hujus continuitatis, non esset ullus hiatus inter species seu essentias rerum, sed infimæ evadere possent supremæ paulatim et per quamdam evolutionem.

604. **Species æquivocæ**. — Inde species æquivocæ, scilicet species mediæ quæ convenirent partim cum unâ et partim cum alterâ ex duabus speciebus vicinis. Ita, inter supre-

(1) Cf. S. Th., ibid., ad 1.
(2) Cf. S. Th., ibid., ad 3.
(3) Cf. S. Th , ibid., ad. 4.

mam speciem mineralium et infimam speciem plantarum esset *crystallum*, quod esset simul minerale et organicum; item inter supremam speciem plantarum et ultimam speciem animalium esset species animalium-plantarum; ita etiam inter bruta et homines esset quidam simius-homo; ita adhuc inter homines et angelos.

605. **De transformismo : ejus historia.** — Transformismus non est nisi pars evolutionismi, siquidem est theoria transformationis specierum viventium. Hanc transformationem esse possibilem plus minusve non pauci antiqui et recentiores existimaverunt.

606. **Lamark.** — Sed verus transformismi conditor fuit Lamark, præsertim in opere cui titulus : *Philosophie zoologique*. Theoriam suam transformationis specierum fundat in duplice lege, scilicet : *lex adaptationis* organorum et *lex hæreditatis*. Vi adaptationis organa viventium modificarentur pro usu et circumstantiis; vi autem hæreditatis, modificationes acquisitas progenies hæreditaret.

607. **Geoffroy-Saint-Hilaire** transformismo nimis favisse videtur, ostendendo analogiam seu similitudinem omnium animalium propter idem exemplar, quod multis et variis modis referunt. Insuper existimavit animalia perfectiora ita generari hodie, mediantibus formis inferioribus, ut transformatio individualis, in decursu generationis, transformationem specierum reproduceret.

608. **Cuvier** opinionem maxime oppositam professus est, existimans species esse immutabiles et distribui in quatuor genera suprema (embranchements) omnino dissimilia. Loco transformationis specierum, destructiones et creationes successivas admittebat.

609. **Darwin** novam theoriam transformationis specierum proposuit, dicens causam evolutionis specierum ab infimis ad supremas esse duplicem, scilicet : *selectionem naturalem* et *lucta pro existentiâ*. Vi utriusque, animalia optima cujusque speciei sola subsisterent et ab eorum stirpe nova et meliora

generarentur. Hanc theoriam amplexati sunt Hæckel, Huxley aliique multi.

610. **Evolutionismus hodiernus et absolutus**. — At transformismus est pars evolutionismi, ut dictum est. Porro evolutionismum universalem et absolutum proposuit Spencer, dicens mundum originem duxisse a materiâ diffusâ, homogeneâ et indeterminatâ (quam nebulosam vocant), quæ paulatim sese evolvit et distinxit in varios globos cælestes et in varias species mineralium, donec vita appareret in hac terrâ. Tunc vita perfecta est paulatim, secundùm eamdem legem evolutionis, ab infimis viventibus usque ad hominem. Deinde incepit evolutio societatis humanæ necnon artium, scientiarum, linguarum, religionis, morum, etc. Postquam autem consummata fuerit evolutio, mundus solvetur ut iterum evolvatur. Igitur omnes vicissitudines rerum ad *evolutionem* et *dissolutionem* reducuntur.

611. **Evolutionismus mitigatus**. — Evolutionismum mitigarunt non pauci philosophi, ut illum cum fide catholicâ componerent, dicentes Deum condidisse materiam primitivam eique vim et motum dedisse; item Deum esse auctorem immediatum primi viventis necnon animarum hominum. De formatione autem corporis primi hominis, quidam dubitaverunt utrùm fuerit fructus evolutionis an verò fuerit formatus ex limo terræ, secundùm sensum litteralem Scripturæ sacræ (1).

612. **Sententia de possibilitate evolutionis**. — Alii concedunt quidem hypothesim evolutionis, seu transformationis specierum, factis observatis et scientiis experimentalibus non consonare, sed existimant tamen eam esse possibilem in se (2).

613. **Evolutionismus a quibusdam veritatibus distinguendus est**. — Antequam evolutionismum confutemus, oportet illum sedulò distinguere a non paucis veritatibus

(1) Cf. P. Leroy O. P., l'*Evolution restreinte aux espèces organiques*.

(2) Cf. Farges, *La vie et l'évolution des espèces*.

quas injuste sibi vindicat. Sane indubium est naturam non fuisse conditam sicuti est hodie, sed gradatim perfectam et ornatam fuisse. In principio materia erat « inanis et vacua », scilicet constans elementis confusis et indeterminatis; deinde apparuerunt successive omnes formæ seu species mineralium, plantarum et animalium. Insuper unaquæque species viventium evoluta est intra suos limites; inprimis species humana, cùm sit maxìme perfectibilis. De hac evolutione mirabili specierum et præsertim generis humani non est controversia inter nos et evolutionismi fautores. Sed quæritur an species viventium ortæ sint ex aliquâ infimâ specie, viâ generationis proprie dictæ.

614. **Evolutionismi critica phlosophica**. — Uno verbo : evolutionismus (simul cum progressu indefinito, transformismo et lege continuitatis) principiis certissimis logicæ et metaphysicæ adversatur nec vere fundatur in scientiis experimentalibus.

Adversatur, inquam, principiis logicæ et metaphysicæ. Etenim 1o Species mediæ et æquivocæ quas evolutionismus importat, repugnant, utpote attributa contradictoria habentes : siquidem adesset species simul non vivens et vivens, non sentiens et sentiens, irrationalis et rationalis, etc. Omne genus enim proprie dictum, dividitur in duas species, quarum una habet et altera non habet talem proprietatem ; unde non est species media et æquivoca.

615. **De specie mediâ quæ a scholasticis admittitur**. Concedimus quidem inveniri aliquo modo species medias inter minus perfectas et perfectiores : ex. gr. inter minerale et animale invenitur vegetabile seu substantia corporalis vivens. Sed species hujusmodi sunt mediæ quatenus sunt genera respectu specierum quæ minùs extenduntur, et species respectu generum quæ magis extenduntur : ita substantia corporalis vivens est genus respectu animalium et plantarum et species respectu substantiæ corporalis. Unde species mediæ hujusmodi non sunt contradictoriæ, sed connotant gradus perfectionum indivisibilium ; quod excludit legem continuitatis.

616. **Animadversiones contra Leibnizium**. — 2° Hæc etiam animadvertamus contra hypothesim continuitatis qualem proposuit Leibnizius : Primò, si linea specierum esset continua, inter duas species vicinas semper adesset species media ; unde numerus specierum esset infinitus : quod repugnat.

Secundò, continuitas specierum nullo modo requiritur vi principii rationis sufficientis, ut putabat Leibnizius. Nam ratio sufficiens existentiæ duarum specierum vicinarum potest esse unius vel utriusque utilitas, identitas finis, etc.

Tertiò, neque specierum continuitas probari potest axiomate : *natura non facit saltum*. Natura quidem ordinate et gradatim operatur, sed non est necesse ut gradus et operationes ejus sint in infinitum divisibiles ; imò divisibilitas est sæpe impossibilis.

617. **Tranformismus adversatur principio causalitatis**. — 3° Gravissima ratio quâ transformismus urgetur hæc est : Admisso transformismo, dicere oportet species nobiliores viventium ortas esse ex infimis, mediantibus multis generationibus. Hoc autem est impossibile.

Etenim vel species supremæ et species infimæ habent eamdem naturam vel non habent. Porro, in secundâ hypothesi, repugnat ut species supremæ fuerint generatæ ex infimis. Nam causa generans est causa efficiens principalis ; unde non potest producere aliquem effectum alterius et præsertim superioris naturæ : quidquid enim est perfectionis in effectu invenitur formaliter vel eminenter in causâ efficiente principali. Sane, si causa generans esset solummodo causa materialis vel instrumentalis, ordinari posset ad effectum sibi naturâ superiorem ; sed est vere causa efficiens principalis, quamvis sit secunda repectu Dei, qui solus est absolute prima omnium causa.

Superest ergo altera hypothesis, scilicet : species infimæ et species supremæ sunt ejusdem naturæ ; unde una esset natura omnium entium. Sed hoc admitti nequit, utpote inducens in scepticismum metaphysicum et etiam in pantheismum. Inducit in scepticismum, quia sequeretur naturas rerum nullo

modo cognosci posse ex proprietatibus earum. Inducit etiam in pantheismum, qui negat distinctionem naturarum.

618. **Evolutionismi mitigati critica**. — Profectò, evolutionismus seu transformismus mitigatus non tantis vitiis laborat : vi tamen ejusdem principii causalitatis confutatur, cùm species inferior, etiam Deo existente et omnia gubernante, speciem superiorem generare non valeat. Et in vanum supponerent Deum dedisse speciebus infimis vim generandi supremas; nam proprietas vel virtus recipi non potest nisi in subjecto proportionato : proprietas enim conveniat naturæ oportet. Unde, sicut Deus non potest efficere ut lapis vegetet, aut planta sentiat, aut brutum ratiocinetur, ita efficere nequit ut species inferior vere generet speciem superiorem. Ex hoc autem non minuitur divina Potestas, sed magis ostenditur creaturæ debilitas.

619. **De notione speciei relata ad transformismum. —** Cùm tota confutatio transformismi innitatur notioni naturæ vel speciei, ad eam maxime attendere oportet.

Philosophice, species est natura ipsa seu essentia pluribus individuis communis ; in individuis autem est id quo res est id quod est et intelligitur tanquam principium omnium proprietatum. Dignoscitur species ex proprietatibus, potentiis et operationibus. Ex. gr. species humana seu humanitas tribuitur omnibus hominibus, quia omnes homines quamdam similitudinem referunt et utuntur iisdem organis et facultatibus : ratiocinantur, artibus et scientiis plus minusve perficiuntur, divinitatem colunt, virtutis et vitii sunt capaces, etc.

Pariter in scientiis naturalibus, species plantarum et animalium dignoscuntur ex figurâ, organismo aliisque proprietatibus, quarum præcipua videtur esse generatio. Unde species, qualis consideratur in scientiis, id est, spectata materialiter seu collective et ab extrinseco potiùs quàm formaliter et ab intrinseco, definitur : « Collectio individuorum quæ eumdem typum referunt et ab iisdem primis genitoribus orta sunt aut progeniem suâ unione edere possunt ». Hæc definitio, ut patet, non est priori contraria, sed eam complere

et determinare potest, cùm sit strictior. Unde, si transformatio specierum, quales definiuntur in scientiis naturalibus, demonstrari non potest, a fortiori non poterit demonstrari transformatio specierum, quales a philosophis definiuntur.

620. **Evolutionismi critica scientifica.** — Porro scientia experimentalis transformismo non favet. Etenim 1° species mediæ et æquivocæ de quibus supra dictum est nunquam inventæ sunt, cùm tamen numerus quasi infinitus specierum quæ olim et ab antiquissimis temporibus terram incolabant hodie sit cognitus. Non inventus est simius-homo; non inventus est animal-planta, quamvis sæpissime sit dubitandum de verâ naturâ quorumdam viventium.

Quod ad hominem spectat, differt generice ab omnibus animalibus propter animam rationalem et ea quæ rationem consequuntur, scilicet honestatem, religionem, scientias et artes, etc. Differt etiam specifice, scilicet propter organa, ab animalibus quæ videntur ei proxima et aliquo modo similia. Etenim solus homo utitur manibus et pedibus proprie dictis; solus stat et ambulat; unde dicit poeta : *Os homini sublime dedit...*; solus vocem articulatam et sermonem edere potest; ejus cerebrum est maximum et perfectissimum, etc.

Quod spectat ad species animalium quæ arti humanæ subduntur, nunquam produci potuerunt species æquivocæ; sed si aliquando ex duabus speciebus vicinis oritur progenies, non est fecunda aut in typum paternum mox revertitur.

Nonnullas adhuc rationes afferre expedit, quæ a scientiis experimentalibus mutuantur :

2° Quædam genera plantarum vel animalium, quorum vestigia inveniuntur in visceribus terræ, videntur fuisse integra et perfecta statim ac extiterunt, nullâ specie minùs perfectâ præeunte ex quâ oriri potuissent.

3° Si viventium species decursu temporum mutarentur, omnes species antiquissimæ fuissent immutatæ. Sed contra, species infimæ quorum vestigia antiquissima inspicimus, a suo typo non recesserunt. (1).

(1) Cf. *Mélanges philosophiques : le Transformisme et les controverses récentes.* — Duilhé de Saint-Projet, *Apologie scientifique de la foi chrétienne.*

621. **Quæstio de evolutionismo est præsertim philosophica.** — Ex prædictis videmus quæstionem de evolutionismo esse præsertim philosophicam. Sane ad scientias naturales spectat species ultimas circumscribere, a meris varietatibus distinguere necnon quasdam objectiones solvere ; sed non nisi ad philosophiam pertinet principia fundamentalia transformismi et evolutionismi perscrutari et confutare. Sola enim philosophia demonstrat evolutionem specierum esse impossibilem, eam nempe vi cujus species infimæ, decursu temporis, species nobiliores et etiam supremas possent generare.

622. **Objectiones.** — 1° Natura seipsam imitatur. Porro individua evolvuntur a statu germinis usque ad statum perfectum, induentes et exuentes successive omnes formas intermedias. Ergo a pari species.

Resp. — Falsum aut saltem dubium est quòd germen animalium perfectorum, in decursu evolutionis suæ, per omnes formas intermedias ascendat. Ceterùm, hæc ascensio velox et mirabilis, nullo modo incerta, demonstrat formam substantialem seu essentiam specificam jam adesse ab initio sub formis accidentalibus. Cur enim ex uno germine fit animal perfectum, leo vel equus, ex altero autem piscis vel etiam vermis, nisi quia animantur germina formis substantialibus diversis ?

2° Transformatio quorumdam animalium, præsertim insectorum, quam metamorphosim vocant,est signum transformationis specierum.

Resp. — Nego paritatem. Etenim in metamorphosi, sicut in evolutione germinis, unum et idem individuum, una et eadem natura, cum suâ formâ substantiali, permanet sub variis formis accidentalibus, quæ ex ipsâ naturâ successive et unaquæque in suo tempore oriuntur. In hypothesi autem transformismi, naturæ superiores oriuntur ex infimis.

3° Natura non facit saltum, sed formæ viventium sunt continuæ ab infimis ad supremas. Ergo istæ ab illis oriuntur.

Resp. — Formæ quidem accidentales viventium continuæ dici possunt intra eamdem speciem ; sed etiamsi formæ acci-

dentales omnium viventium essent continuæ ab infimis ad suprema, non ideo essentiæ vel species essent continuæ.

4° Omnes species animalium eumdem typum generalem referunt ; imò omnia et singula organa aliquo modo inveniuntur in singulis speciebus sub variis formis. Porro hæc analogia vel similitudo omnium animalium optime explicatur per originem communem. Ergo.

Resp. — Comparatio non est demonstratio. Similitudo vel analogia specierum et organorum manifestat quidem eumdem fuisse conceptum Creatoris, sed non demonstrat omnes species ortas esse ex unâ et infimâ specie.

623. **Quomodo mundus finem suum attingit**. — Finem suum mundus non attingit per transformationem specierum, cùm ista confusionem essentiarum importet. Igitur oportet quærere finem mundi ideoque ejus pulchritudinem in aliâ unitate, quæ non sit identitas essentialis omnium rerum, sed earum distinctio et ordinatio perfecta. Hæc autem ordinatio postulat ut inferiores creaturæ ad nobiliores, atque omnes simul ad Deum revocentur.

624. **Ordo generalis entium**. — Porro quantùm possibile est homini videre, ordinatione perfectâ non destituitur mundus. In infimo gradu entium, jacent corpora terrestria et cælestia, quæ tamen suâ magnitudine, suo splendore aliisque qualitatibus jam gloriam Dei celebrant. Succedunt innumeræ species plantarum et animalium. Hæc omnia sunt quasi *vestigia* Dei, cujus homo est *imago*, propter animam spiritualem, intellectum et honesti amorem. His omnibus quæ sibi subjiciuntur eo magis utitur et fruitur genus humanum quo magis est ornatum scientiis et virtutibus. Ex sensibilibus bonis ad divina sapiens assurgit fitque totius universi sacerdos et pontifex.

625. **Unitas ex causâ exemplari**. — Non solùm omnes gradus creaturarum ordinantur ad Deum, mediante homine, sed etiam unaquæque creatura, secundùm genus suum et speciem suam, repræsentat Dei bonitatem, quæ, utpote infinita, semper alio modo et perfectiùs repræsentari potest. Ad rem S. Th. :

Deus produxit res in esse propter suam bonitatem communicandam creaturis et per eas repræsentandam. Et quia per unam creaturam sufficienter repræsentari non potest, produxit multas creaturas et diversas; ut quod deest uni ad repræsentandam divinam bonitatem, suppleatur ex aliâ. Nam bonitas, quæ est in Deo simpliciter et uniformiter, in creaturis est multipliciter et divisim. Unde perfectiùs participat divinam bonitatem et repræsentat eam totum universum quàm alia quæcumque creatura (1).

626. **Unitas dynamica**. — Adhuc aliam unitatem animadvertere oportet, quam vocant *dynamicam*, quia exsurgit ex viribus et actionibus omnium entium, quæ vicissim agunt et patiuntur, et sic alia aliis perficiuntur.

627. **Moralitas, totius naturæ finis**. — Perfectio autem suprema est perfectio moralis, quæ non nisi in homine, inter omnes creaturas sensibiles, invenitur. Igitur tota natura sensibilis ordinatur ad hominem; ipse autem, virtute et sanctitate ordinatur ad Deum.

628. **Unitas ex fine. De causis finalibus**. — Hic ordo totius universi ad Deum demonstratur a priori et a posteriori.

Primò, a priori. Nam ordo causarum finalium ordini causarum efficientium respondeat oportet. Atqui omnes causæ efficientes procedunt ordinatim a Deo, qui est absolute prima causa. Ergo omnes fines particulares vel intermedii reducuntur ad Deum tanquam ad finem ultimum.

Secundò a posteriori. Nam quantùm assequi possumus, omnia et singula videntur ad finem ordinari : ita potentiæ ordinantur ad actum, oculus est ad videndum, auris est ad audiendum, etc.; actus sensibiles ordinantur ad intellectum et vox ad veritatem. In unoquoque ente, partes ordinantur ad totum ; membra sunt ad corpus ; corpus hominis est ad animam. Fines autem per se non excludunt fines speciales aut particulares; sed omnia reducuntur multis et variis modis ad finem universalem et ultimum.

629. **Hypothesis de mundorum pluralitate**. — Nunc videtur quid certum aut impossibile et quid probabile inclu-

(1) 1a, q. 47, a. 1.

dat hypothesis de pluralitate mundorum. Profectò indubium est omnes mundos, si revera plures mundi adsint, ordinari ad creaturas spirituales, quæ sanctitate et suâ beatitudine Deum celebrent. Certum est etiam creaturas spirituales esse absolute præstantiores toto cœlo materiali quantumvis magno et immenso; imò unus spiritus, una anima humana toto cœlo major est. An verò sint plures mundi, quorum nullus in alios agat et ab eis influxum recipiat, non videtur probabile, præsertim si mundos hujusmodi creaturæ rationales occupant. Nam opus Dei est unum. Quidquid sit, eâdem lege morali essentiali omnes spiritus reguntur, cùm lex moralis ex ipsâ veritate et essentiâ divinâ profluat. Absurdum esset autem supponere animas hominum, absolutâ hac vitâ, in alios mundos transire ut ibi nova corpora induerent et perficerentur. Nam, cùm unio animæ et corporis sit substantialis, hæc transmigratio animarum non solùm fidei, sed etiam psychologiæ principiis, adversatur.

CAPUT XXXVI

DE LEGIBUS NATURÆ NECNON DE MIRACULO

Postquam dictum est de fine ultimo creationis, qui est Deus, necnon de fine proximo seu de nexu et colligatione rerum, agendum est de *legibus* quibus res mundanæ reguntur finemque obtinent, necnon de *miraculis*, quæ legibus naturæ subtrahi videntur.

THESIS : *Quamvis existant leges naturæ, — unde exsurgit ordo naturalis, — hic ordo est contingens, — eique supervenire potest ordo superior et supernaturalis. — Unde miracula sunt possibilia — Quæ confundere non licet cum portentis vel præstigiis magnetismi, spiritismi et hypnotismi.*

630. **Naturæ notio. Ordo naturalis ; ordo supernaturalis.** — Natura particularis est essentia quatenus principium agendi ; natura in genere omnes res mundanas complectitur, quatenus vim habent determinatos effectus producendi ;

natura dicitur etiam illa vis universalis quâ omnia ad finem impelli videntur. Ita dicimus : *Natura nihil frustra molitur... Natura refugit superflua et non denegat necessaria.*

Natura autem legibus regitur, id est, agit constanter et uniformiter. Hinc *ordo* seu *cursus naturæ.*

Naturæ opponitur gratia; ordini naturali ordo supernaturalis. Gratia vel supernaturale dicitur illud quod totius naturæ creatæ proprietates viresque prætergreditur; unde gratia non constituit naturam, neque concomitatur vel sequitur necessariò, sed ei adjungi potest.

631. **Natura legibus regitur.** — Indubium est naturam regi legibus. Nam, licèt multæ causæ nos fugiant, scimus tamen nihil incipere et nihil fieri sine causâ; causæ autem semper agunt secundùm suam naturam, quæ est constans et uniformis. Hinc leges naturæ.

632. **Est ordo naturalis**. — Inde oritur etiam ordo naturalis. Cujus existentia demonstratur *a priori* et *a posteriori*. A priori, admissâ scilicet Dei sapientiâ. A posterisri, seu experientiâ; nam experimur leges naturæ, quibus omnia mundana gubernantur, ordinari inter se sicut et ipsæ causæ unde vim habent. Revera in tantum proficit scientia humana in quantum effectus explicantur per causas et leges universaliores. Itaque, etiam respectu scientiæ humanæ, jam non est casus, id est, effectus præter causam et legem, sed solummodo effectus cujus causa vel lex particularis est adhuc incognita. Scimus ergo ordinem esse universalem, quamvis non penitùs cognoscatur.

633. **Ordo naturæ est contingens**. — Sed quæritur nunc : Utrùm hic ordo sit contingens an verò neeessarius et absolute immutabilis? Primùm animadvertamus ordinem naturalem fieri posse contingentem triplici modo : 1° vel quia aliquæ saltem leges naturæ essent aliæ; 2° vel quia istæ leges regerent alias naturas et alia corpora; 3° vel quia istæ leges aliis legibus et viribus superioribus subjicerentur. Sane una vel altera hypothesis ex his tribus sufficit ut ordo naturæ sit contingens. Porro contendimus tres illas hypotheses, præsertim tertiam, esse possibiles.

Etenim, quoad primam, incertum est omnes leges naturæ fluere ex ipsâ essentiâ rerum. Ex. gr. quis unquam demonstrare poterit attractionem esse vim in ipsis corporibus et ipsâ naturâ eorum expostulari ?

Quoad secundam, corpora quæ legibus præsentibus reguntur possent esse alia seu alterius naturæ, aut saltem alterius quantitatis ; unde cursus rerum naturalium plus minusve mutaretur.

Quoad tertiam, videtur quòd leges et vires præsentes hujus mundi subjici possent legibus et viribus superioribus, ita ut novi et mirabiles effectus producantur. Nam quemadmodum leges et vires physicæ, quibus reguntur mineralia, legibus et viribus vitæ, quibus reguntur plantæ et animalia, subjiciuntur, ita tota natura subjici potest legibus et viribus superioribus ; unde ordini naturali supervenire potest ordo supernaturalis.

634. **Ordo naturalis cum ordine supernaturali conjungi potest**. — Hæc conclusio est indubia, sive spectentur potentia et sapientia Dei, quæ creatione istius mundi non exhauriuntur ; sive spectentur ipsæ creaturæ. Non repugnat enim ut creatura per virtutem divinam ad majora erigatur. Nec ideo natura tollitur aut corrumpitur, sed potiùs perficitur.

635. **De miraculo**. — Porro totius ordinis supernaturalis signum et quasi initium est miraculum (a voce *mirari*), quod definitur : effectus *supernaturalis*, *insolitus* et *sensibilis*.

Dicitur *supernaturalis*, id est, totius naturæ creatæ vires prætergrediens, etiam angelorum. Hinc differt ab effectibus supra-humanis qui a dæmonibus vel etiam ab angelis bonis, jussu Dei, fieri possunt. Attamen, lato sensu, effectus ab angelis bonis producti, Deo jubente, dicuntur miracula. Imò etiam opera mirabilia dæmonum dicuntur aliquo modo miracula (1). Ad rem S. Th. :

Si miraculum proprie accipiatur, dæmones miracula facere non possunt, nec aliqua creatura, sed solus Deus ; quia mira-

(1) Tunc habetur id quod vocant *le surnaturel diabolique*.

culum proprie dicitur quod fit præter ordinem totius naturæ, sub quo ordine continetur omnis virtus creata. Dicitur tamen quandoque miraculum large, quod excedit humanam facultatem et considerationem; et sic dæmones possunt facere miracula, quæ scilicet homines mirantur, in quantum eorum facultatem et cognitionem excedunt (1).

Deinde dicitur *insolitus*, id est, præter ordinem communiter servatum, seu meliùs, præter naturæ cursum. Miraculum enim « *insolitum* dicitur, non quia frequenter non eveniat, sed quia est præter naturalem consuetudinem » (2) Hinc differt a quibusdam operibus divinis, excedentibus quidem vires totius naturæ, sed ad ordinem naturæ non pertinentibus : ex. gr. creatio mundi et animarum, justificatio, etc. Ad rem S. Th. :

Creatio et justificatio impii, etsi a solo Deo fiant, non tamen, proprie loquendo, miracula dicuntur; quia non sunt nata fieri per alias causas; et ita non contingunt præter ordinem naturæ, cùm hæc ad ordinem naturæ non pertineant (3).

Tertiò dicitur *sensibilis*. Nam miraculum est *signum;* unde dicitur etiam *prodigium* (a voce prodico, *annoncer*) et *portentum* (portendo, *indiquer*).

Hìc autem sedulò animadvertamus miraculum esse quidem præter ordinem vel etiam contra ordinem totius naturæ, sed ingredi tamen ordinem universalem Providentiæ. Deus enim agere non potest contra ordinem absolute universalem. Hanc doctrinam sic explanat S. Th. :

Respondeo dicendum quòd a qualibet causâ derivatur aliquis ordo in suos effectus, cùm quælibet causa habeat rationem principii; et ideo secundùm multiplicationem causarum multiplicantur et ordines, quorum unus continetur sub altero, sicut et causa continetur sub causâ. Unde causa superior non continetur sub ordine causæ inferioris, sed e converso. Cujus exemplum apparet in rebus humanis; nam ex patrefamilias dependet ordo domûs, qui continetur sub ordine civitatis, qui procedit a civitatis rectore, cùm et hic contineatur sub ordine regis, a quo totum regnum ordinatur. Si ergo ordo rerum consideretur prout dependet a primâ causâ, sic contra rerum ordinem Deus facere non potest; si enim

(1) 1a, q. 114, a. 4.
(2) 1a, q. 105, a. 7, ad 2.
(3) 1a, q. 105, a 7, ad 1.

sic faceret, faceret contra suam præscientiam, aut voluntatem, aut bonitatem. Si verò consideretur rerum ordo prout dependet a qualibet secundarum causarum, sic Deus potest facere præter ordinem rerum; quia ordini secundarum causarum ipse non est subjectus : sed talis ordo ei subjicitur, quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturæ, sed per arbitrium voluntatis. Potuisset enim et alium ordinem rerum instituere. Unde et potest præter hunc ordinem institutum agere, cùm voluerit; puta, agendo effectus secundarum causarum sine ipsis, vel producendo aliquos effectus ad quos causæ secundæ non se extendunt. Unde Augustinus dicit quòd « Deus contra solitum cursum naturæ facit; sed contra summam legem nullo modo facit, quia contra seipsum non facit » (1).

636. **Miraculorum species.** — Clarkius putavit omnia miracula esse æqualia, cùm sint omnia supra vires totius naturæ atque ad Dei potentiam referantur. At diversitas miraculorum non accipitur ex parte potentiæ divinæ, sed ex parte potentiæ naturæ.

1° Hoc pacto S. Th. tres species seu gradus miraculorum distinguit : miraculum quoad substantiam facti; — miraculum quoad subjectum; — miraculum quoad modum et ordinem.

Respondeo dicendum quòd nihil potest dici miraculum ex comparatione potentiæ divinæ; quia quodcumque factum divinæ potentiæ comparatum est minimum, secundùm illud (Isa., XL, 15) : *Ecce gentes quasi stilla situlæ et quasi momentum stateræ reputatæ sunt.* Sed dicitur aliquid miraculum per comparationem ad facultatem naturæ, quam excedit. Et ideo secundùm quòd magis excedit facultatem naturæ, secundùm hoc majus miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturæ tripliciter : uno modo quantùm ad substantiam facti, sicut quòd duo corpora sint simul, vel quòd sol retrocedat, aut quòd corpus humanum glorificetur ; quod nullo modo natura facere potest; et ista tenent summum gradum in miraculis. Secundò aliquid excedit facultatem naturæ, non quantùm ad id quod fit, sed quantùm ad id in quo fit, sicut resuscitatio mortuorum, et illuminatio cæcorum, et similia. Potest enim natura causare vitam, sed non mortuo; et potest præstare visum, sed non cæco; et hæc tenent secundum locum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ quantùm ad modum et ordinem faciendi ; sicut cùm aliquis subitò per virtutem divinam a febre curatur

(1) 1ª, q. 105, a. 6.

absque curatione et consueto processu naturæ in talibus; et cùm statim aer divinâ virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis, sicut factum est ad preces Samuelis et Eliæ .., et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis. Quælibet tamen horum habent diversos gradus, secundùm quòd diversimode excedunt facultatem naturæ (1).

2° Distinguuntur etiam miracula *supra naturam*, *contra naturam* et *præter naturam*. Sed hæc divisio ad priorem recidere videtur.

637. **Miraculi notiones falsæ.** — His explanatis, facilè rejiciuntur quædam falsæ definitiones miraculi. Miraculum non est effectus cujus causam explicare non possumus exemplo alterius rei solitæ, ut putavit Spinosa; nam miraculum non est idem ac mirabile. Neque miraculum est consecutio quarumdam legum generalium quæ aliquando miros effectus producunt; nam hæc explicatio tollit miraculum.

638. **Possibilitatis miraculi negatores.** — Plurimi ipsam possibilitatem miraculi directe negaverunt : ita pantheistæ, positivistæ et generatim fatalismi et determinismi fautores; ita etiam plures rationalistæ (Jules Simon, Saisset) qui libertatem humanam agnoscunt quidem, sed ipsi Creatori denegant libertatem miracula operandi, quasi potentia divina legibus naturæ omnino vinceretur. Contra quos asserimus :

639. **Miraculum est possibile.** — Etenim 1° Miraculum non repugnat, cùm ordo naturalis sit contingens; effectus naturales impediri possunt virtute divinâ eique subjiciuntur multis aliis modis Deus operari potest sive id quod natura nullo modo præstare potest, sive id quod natura præstare posset sed non in tali subjecto vel tali modo. Unde legibus et ordine naturali rerum non vincitur Deus. Quemadmodum homo potest agere in proprium opus et etiam in totam naturam sensibilem ei subjectam, ita ut novos et miros effectus producat, ita Deus, a fortiori, agere potest in totam naturam creatam; unde miracula quæcumque sunt possibilia. Nisi negetur distinctio Dei et mundi, non videtur cur Deus tali potestate non frueretur.

(1) 1^a, q. 105, a. 8.

2° Patet historiâ et traditione nunquam genus humanum dubitasse de possibilitate miraculorum, sed viros sapientissimos omnesque populos religioni addictos fuisse multaque opera tanquam divina habuisse. Sæpe quidem lapsi sunt homines in omnimodas superstitiones; sed, sepositis erroribus, mendaciis vel fictionibus, olim sicut hodie non defuerunt prodigia aliaque mirabilia quæ Deo vel dæmonibus erant adscribenda. Sane, si dæmon quædam opera sensibilia patrare potest, a fortiori Deus.

640. **Objectiones.** — 1° Leges mundanæ sunt ab intellectu divino. Atqui ea quæ sunt ab intellectu divino sunt necessaria et immutabilia.

Resp. — Profectò leges mundi sunt quædam ordinationes intellectûs divini, qui est immutabilis et necessarius in se ; attamen intellectus divinus contingentia et mutabilia cognoscere et efficere potest. Porro leges mundi aut saltem effectus earum sunt aliquid contingens et mutabile.

2° Ordo naturæ est sicut ordo moralis. Hic autem est absolute immutabilis.

Resp. — Uterque ordo procedit quidem a Deo, sed diversâ ratione. Ordo enim moralis necessariò connectitur cum essentiis rerum necnon cum Dei sapientiâ et justitiâ : legibus enim moralibus ordinantur creaturæ ad Deum tanquam ad finem ultimum. Ceterùm, etiam in ordine morali, inveniuntur multæ leges omnino positivæ, ideoque contingentes, quibus non raro derogatur.

3° Ordo naturæ est a Deo sicut ordo rationis nostræ. Sed ordo rationis nostræ est immutabilis sicut ipsa veritas. Ergo pariter ordo naturæ.

Resp. — Ordo naturæ et ordo rationis procedunt a Deo sed secundùm indolem uniuscujusque. Unde, cùm ordo rationis sit aliquid intelligibile et versetur circa essentias et necessaria, sub hoc respectu est immutabilis. Sed ipsa ratio est contingens, utpote creata, et versatur etiam circa contingentia. Ordo autem naturæ est contingens ; eum tanquam undique necessarium ratio apprehendere non potest.

4° Ordo universi est bonum optimum, ideoque ceteris om-

nibus anteponendum. Miraculum autem est perturbatio hujus ordinis. Ergo Deus miraculum patrare non debet.

Resp. — Miraculum non est contra ordinem universalem, sed potiùs ingreditur ordinem universalem divinæ Providentiæ, ut dictum est.

5° Tota natura est a divinâ sapientiâ sicut opus artis est ab artifice. Sed Deus, cùm sit perfectus artifex, opus suum corrigere non debet proindeque non patrat miraculum.

Resp. — Deus non corrigit opus suum sed opera creaturarum ; perficit autem opus suum secundùm ordinem suæ sapientiæ.

6° Deus cursum naturæ instituit suâ voluntate, quæ est immutabilis. Ergo et ipse cursus naturæ est immutabilis.

Resp. — Divina voluntas est immutabilis, sed libera. Unde ab æterno Deus miracula voluit et ordinavit ad finem ; sed non ideo cursus naturæ est necessarius.

641. **De mirabili : magnetismo, hypnotismo**, etc. — Nunc breviter dicendum est de falsis miraculis et speciatim de operibus mirabilibus magnetismi, spiritismi et hypnotismi.

Magnetismus seu mesmerismus, cujus auctor præcipuus est Mesmer (1), describitur : Ars producendi mira, præsertim in homine, adhibendo media quædam, sive physica et corporalia, sicut gestus et motus, sive moralia et spiritualia. Magnetismi effectus sunt : convulsiones, insensibilitas partialis vel totalis. vel contra mira sensibilitas et mira cognitio, somnambulismus lucidus et alia multa quæ hodie spiritismo vel hypnotismo adscribuntur. Medium autem præcipuum quo effectus hujusmodi producerentur, esset quoddam fluidum magneticum.

642. **De spiritismo.** — Eodem vel simili fluido explicantur a pluribus tabularum rotatio aliique motus extraordinarii, levitatio corporum, etc., certis in quibusdam adjunctis. Sed spiritismus proprie dictus consistit in commercio viventium cum mortuis aut aliis spiritibus, mediantibus tabulis rotan-

(1) *Hist. de la phil.*

tibus vel personis (quæ dicuntur *mediums*) in statu somnambulismi positis, vel aliis signis. Unde spiritismus est superstitio.

643. **De hypnotismo.** — Valde affines sunt magnetismo et spiritismo plures effectus qui hypnotismo adscribuntur. Generatim hypnotismus comprehendit omnia phænomena quæ, mediante hypnosi, producuntur. Hypnosis verò est quidam somnus artificialis. Qui ab hypnosi occupatur, est in *lethargiâ*, vel in *catalepsiâ*, vel in *somnambulismo*. In somnambulismo positus, ita obedit hypnotizanti seu magnetizanti ut sentiat, imaginetur, velit et agat, quidquid ei imperatur seu *suggeritur* (1). De his alibi in psychologiâ et in morali iterum dicendum erit. Nunc autem ad causam vel explicationem horum phænomenorum attendere debemus.

644. **Variæ sententiæ.** — 1° Alii omnia miracula, sive proprie dicta sive lato sensu dicta, negaverunt, proindeque omnia prodigia tanquam illusiones imaginationis aut fallacias testium habuerunt (ita Littré, Ad. Franck). — Sed negatio universalis et absoluta omnium præternaturalium ducit in scepticismum historicum ; imò tollit ipsam scientiam experimentalem. Unde, hodie, etiam increduli et positivistæ, phænomena quæ videntur miraculosa non diffitentur a priori, sed illa explicare conantur.

2° Igitur non desunt qui effectus præternaturales causis naturalibus, physiologicis aut sensibilibus, adscribunt, scilicet organis, imaginationi et aliis sensibus, qui, certis in quibusdam adjunctis, nullâ virtute, ut ita dicam, destituerentur. Existimant, exempli gratiâ, organa emittere quoddam fluidum, quo mediante, aliquis idoneus sentire et agere posset extra corpus. — At hypotheses hujusmodi sunt incredibiliores quàm ipsa miracula, nec ea tamen, saltem præcipua, explicare valent.

3° Alii, more platonicorum, dicunt animas humanas facultatibus incognitis quandoque frui ; unde his facultatibus uterentur occasione somni hypnotici, vel in aliis circum-

(1) Cf. *Mélanges philosophiques.*

stantiis. — At scimus ex psychologiâ animas non gaudere scientiâ innatâ nec aliquid agere posse extra corpus et sine corpore : anima enim est corporis forma.

4° Tandem plurimi existimant effectus mirabiliores hypnotismi et spiritismi produci non posse nisi a spiritibus bonis vel malis. Sed alii, superstitionem neo-platonicorum renovantes, putant hos spiritus esse animas defunctorum vel quosdam genios beneficos. Alii verò putant hos spiritus esse malos angelos ; sed sæpe dubitant de naturâ plurimorum effectuum mirabilium, quæ modò tribui possunt naturæ, modò dæmonibus, et modò angelis. Sæpe enim vera causa non nisi ex circumstantiis moralibus dijudicari potest.

645. **Conclusio. Miraculi criterium.** — Non obstantibus his dubiis particularibus, patet effectus mirabiles de quibus dictum est omnino differre a veris miraculis, quorum causa sufficiens est solus Deus.

Sed tunc occurrit gravis quæstio : Quomodo distinguenda sunt vera miracula a falsis ? Suntne criteria certa miraculi ?

Respondeo affirmative. Nam ad cognoscendum verum miraculum hæc tria sufficiunt : 1° ut effectus mirabilis sit certus ; 2° ut ejus causa sufficiens non possit esse natura ; 3° ut ejus causa sit Deus;

Porro 1° constare potest de effectu mirabili sicut de ceteris effectibus et de aliis factis historicis.

2° Quandoque certum est tales effectus esse supra vires naturæ : ejusmodi sunt resurrectio mortui, multiplicatio panis, etc.

3° Unde scire possumus etiam effectum mirabilem esse a Deo, quando nempe effectus hujusmodi evidenter superat etiam vires angelorum. De effectibus autem æquivocis, scilicet quæ fortè non superant vires angelorum, bonorum vel malorum, judicatur secundùm circumstantias morales.

646. **Objectiones.** — 1° Semper dubitandum est utrùm effectus mirabiles sint a Deo an verò a spiritibus. Nam quid valeant virtutes angelicæ nescimus.

Resp. — Scimus tamen a nullâ creaturâ vitam dari posse

præter leges naturæ; scimus etiam a nullâ creaturâ quantumvis perfectâ futurum liberum posse prævideri.

2° Saltem apparentiam veri miraculi, ex. gr. resurrectionis mortui, spiritus præbere possunt.

Resp. — Verum ab apparentiâ homo sapiens discernere potest, præsertim cùm sit adjutus a Deo, qui neminem derelinquit.

CAPUT XXXVII

DE CORPORUM PRIMIS PRINCIPIIS : DE ATOMISMO, DE DYNAMISMO NECNON DE SYSTEMATE MATERIÆ ET FORMÆ

Nunc agendum est de essentiâ corporum, et quæritur : Quænam sint principia prima et intrinseca corporum, scilicet ea, ut ait Aristoteles, « quæ nec ex se invicem, nec ex aliis, sed ex quibus omnia fiunt » ? Respondebimus stabiliendo systema materiæ et formæ, quod alibi jam innuimus (n. 535), sed nunc diffusiùs explicandum est.

THESIS. — *Neque atomismus purus — neque atomismus chimicus — neque dynamismus essentiam corporum explicant. — Atomismus verò dynamicus reduci potest ad systema materiæ et formæ, — quo solo solvitur quæstio de compositione corporum. — Quo solo etiam explicantur generationes aliæque rerum transformationes substantiales.*

647. **De atomismo puro.** — Præcipui fautores atomismi sunt Epicurus, Gassendus, Cartesius et Newtonius.

Epicurus existimat corpora constare ex corpusculis minutissimis et invisibilibus, quæ secari nequeunt et ideo *atomi* vocantur. Omnes autem differentiæ et proprietates corporum ex variâ dispositione atomorum profluerent.

Epicuri sententiam renovat Gassendus, sed corrigit, dicens atomos non esse increatas neque mundum ex earum concursu fortuito ortum habuisse.

Alium etiam atomismum professus est Cartesius, qui essen-

tiam corporum ab eorum extensione non distinxit; unde putavit vacuum non esse et atomos dividi posse in infinitum. Insuper supponit materiam esse inertem, sed ab initio motam fuisse a Deo motibus circularibus. Hinc *atomismus mechanicus*.

In locum hypothesis motuum circularium, Newtonius sufficit hypothesim *attractionis universalis* : hinc jam dynamismus. Insuper supponit atomos esse vere indivisibiles et diversæ speciei : hinc jam atomismus chimicus.

648. **Atomismi nechanici critica**. — Atomismus mechanicus essentiam corporum non explicat. Nam :

1° Atomi quadam extensione et figurâ pollent, ex partibus constant, varias proprietates habent ; unde nullo modo sunt simplices. Ergo nequeunt esse prima principia corporum ; nam primum principium sit simplex oportet. Omne compositum principiis ulterioribus explicandum est ; atomi autem sunt compositæ, ipsæ sunt corpora seu corpuscula. Porro quærimus prima principia corporum. Igitur atomismus non solvit quæstionem de compositione essentiali corporum. Ceterùm, atomi admitti possunt tanquam ultimæ limites divisionis materiæ.

2° Systema atomicum explicare nequit differentias corporum, quæ non raró maximæ sunt. Etenim, admisso atomismo, corpora non differrent inter se nisi propter dispositionem atomorum, id est, propter merum accidens. Unde non essent generationes et corruptiones proprie dictæ, sed solummodo modificationes. Hoc autem admitti nequit, præsertim quoad corpora viventia. Equidem nonnulli concedunt atomos omnino primas esse diversæ speciei. Sed, in hac hypothesi, atomi habent aliquid commune et aliquid specificum ; porro hoc vocamus *formam*, illud autem vocamus *materiam*. Unde atomi jam habentur tanquam principia plus minusve proxima corporum, non autem tanquam prima principia, et sic atomismus systema scholasticum materiæ et formæ non excludit, sed potiùs supponit.

3° Hypothesis atomorum gratis asseritur et non eodem modo proponitur. Explicat quidem quasdam proprietates vel operationes corporum, non autem eorum essentiam.

4° Adde atomismum Cartesii repugnare propter peculiarem rationem. Nam, secundùm Cartesium, atomi extensione pollent, sed omni activitate destituuntur, cùm tamen frangunt et franguntur. Unde Cartesius non solùm occasionalismo viam sternit, sed etiam sibi contradicit. Nam frangere et frangi quamdam vim resistendi et agendi, proindeque activitatem important.

649. **De atomismo chimico**. — Atomismo puro affinis est atomismus chimicus, cujus dogmata præcipua sunt sequentia :

Materia alia est ponderabilis, alia imponderabilis. Hæc non solùm immiscetur corporibus, sed etiam omnia spatia occupat : ab eâ repetuntur phænomena lucis, caloris, electricitatis, etc. Corpora autem alia dicuntur *simplicia* et alia *composita* seu mixta. Illa in plura corpora diversæ naturæ resolvi non potuerunt usque ad hoc tempus (ita aurum, argentum, oxygenium, hydrogenium et alia sexaginta). Composita autem sunt ea quæ in corpora diversæ naturæ et ultimò in corpora simplicia resolvuntur.

Corpora simplicia constant ex atomis indivisibilibus mechanice sed non absolute. Istæ atomi sunt homogeneæ, similes inter se et ejusdem naturæ. Quando duo corpora simplicia uniuntur combinatione, unaquæque atomus unius corporis unitur cum unâ atomo vel pluribus atomis alterius corporis ad efformandam *moleculum*. Moleculæ igitur sunt ultimæ partes corporis compositi.

Atomi essentialiter pollent extensione, vi resistendi et aliis viribus quæ dicuntur *cohæsio* et *affinitas*. Vi cohæsionis, atomi ejusdem naturæ sese mutuò attrahunt ; vi affinitatis, atomi diversæ naturæ uniuntur ad efformandum corpus compositum. Cohæsio minuitur, crescente calore ; inde triplex status corporum : *solidus*, *liquidus* et *aeriformis*. Si corpus fit solidum sponte et solis viribus attractionis molecularum et atomorum, induit formam polyedricam et dicitur *crystallum*. Formæ autem omnium crystallorum ad sex typos revocantur.

Insuper omne compositum constat semper ex binis compo-

nentibus, quæ sunt vel substantiæ simplices vel compositæ pariter ex binis. Hinc *lex* quæ dicitur *dualismi chimici*. Deinde, in omni composito, proportio componentium est semper eadem : ita in aquâ, pondus hydrogenii se habet ad pondus oxygenii sicut unum ad octo. Hinc *lex proportionum determinatarum*. Succedunt *lex multiplorum* et *lex æquivalentium*, etc. (1).

Ex his chimici inferunt atomos esse indivisibiles, cùm in omnibus compositis permanere videantur ; atomos ejusdem corporis simplicis pollere eodem pondere iisdemque proprietatibus, cùm aliæ in locum aliarum suffici possint ; atomos diversorum corporum simplicium pollere diverso pondere, diversis proprietatibus diversisque formis, ut videtur innuere diversitas crystallorum. Breviter, secundùm atomismum chimicum, corpora non sunt nisi systemata atomorum ; atomis omnia explicantur ; solæ atomi unitate essentiali et individualitate potiuntur.

650. **Compositorum species secundùm scholasticos.** — Huic sententiæ de compositione corporum comparanda est doctrina scholastica. Scholastici distinguunt compositum accidentale, compositum mixtum seu combinationem, compositum substantiale.

1° *Compositum accidentale.* In hoc composito, componentia seu partes sunt substantiæ integræ, quæ remanent actu in composito cum propriâ substantiali perfectione : ita lapides in acervo vel etiam in domo.

2° *Mixtum* seu *combinatio.* In mixto seu combinatione, partes sunt integræ substantiæ, sed non remanent cum propriâ formâ seu perfectione substantiali, quia transmutantur : ita, juxta plurimos scholasticos, oxygenium et hydrogenium in aquâ. Equidem plurimi chimici putant aquam et alia composita hujusmodi esse systemata atomorum ideoque composita accidentalia ; sed hoc non demonstratur. Imò hypothesis scholasticorum feliciùs explicat distinctionem compositorum quorum alia dicuntur *combinaisons* et alia *mélanges* vel *amal-*

(1) Cf. Tongiorgi, *Institutiones philosophicæ*, Vol. II, ubi atomismus chimicus exponitur et defenditur.

games. Quidquid sit, juxta scholasticos, in mixtis tria observantur : 1° partes unitæ, ad invicem transmutantur ; 2° compositum non est simile ulli miscibilium sed aliam speciem induit; 3° inter componentia est quædam proportio.

3° *Compositum substantiale seu integrale*. In hoc composito, partes non sunt integræ substantiæ neque permutantur in unione ad efformandam substantiam completam, sed remanent distinctæ post unionem : ita anima et corpus in homine ; ita etiam membrum in corpore. Ad rem S. Th. :

Tripliciter aliquid unum ex duobus vel pluribus constituitur : uno modo ex duobus integris perfectis remanentibus ; quod quidem fieri non potest nisi in iis quorum forma est compositio, vel ordo, vel figura; sicut ex multis lapidibus abque aliquo ordine adunatis, per solam compositionem fit acervus ; ex lapidibus autem et lignis secundùm aliquem ordinem dispositis et etiam ad aliquam figuram redactis, fit domus... — Alio modo fit aliquid unum ex perfectis, sed transmutatis ; sicut ex elementis fit mixtum... Id quod est commixtum nulli miscibilium est idem specie... — Tertio modo fit aliquid ex aliquibus non permixtis vel permutatis, sed imperfectis ; sicut ex animâ et corpore fit homo ; et similiter ex diversis membris unum corpus constituitur (1).

651. **Atomismi chimici critica**. — His præmissis, asserimus atomismum chimicum non solvere quæstionem de primis principiis corporum.

Nam, sicut atomismus antiquus, atomismus chimicorum explicat corpora per alia corpora, scilicet per corpuscula seu atomos, extensione et vi resistendi præditas. Quænam autem sint hujus extensionis et hujus vis resistendi principia, atomismus chimicus non dicit nec dicere potest. Ad chimiam enim non pertinet assignare nisi principia proxima vel sensibilia corporum, non autem principia metaphysica et omnino prima.

Ceterùm, hypotheses chimicæ de principiis proximis corporum sunt arbitrariæ. Omnes atomi suntne ejusdem speciei, an verò diversæ? Nesciunt. Sane, si sunt diversæ speciei, habent aliquid commune, scilicet *materiam*, et aliquid specificum, scilicet *formam*. Hinc systema scholasticum, quod

(1) 3a, q. 2, a. 1.

feliciùs explicat compositiones quæ dicuntur *combinaisons* et videntur esse substantiales, ut jam observatum est.

652. **De dynamismo. Sententia Leibnizii.** — Secundùm dynamistas, corpora constarent ex substantiis simplicibus. Has autem Leibnizius dixit esse *monades*, scilicet entia simplicia, dissimilia inter se et numero infinita. Monades quæ corpora ingrediuntur et componunt, quamvis sint minùs perfectæ, non destituerentur tamen quadam perceptione confusâ et appetitione; unde viverent. Sed actio earum esset omnino immanens; igitur non agerent aliæ in alias. Verumtamen ordo rerum mundanarum servaretur vi *harmoniæ* a Deo *præstabilitæ*.

653. **Boscovich**, etc. — Sententiam Leibnizii nonnulli (Boscovich, etc.) correxerunt, dicentes monades esse numero finitas et quibusdam viribus attractionis et repulsionis non destitui. Hinc corruptiones et generationes corporum.

Item Kantius explicat corpora, vel potiùs corporum apparentias, per vires attractionis et repulsionis sparsas per omnia spatia.

654. **Dynamismi critica.** — Quæcumque sit forma dynamismi, admitti non potest.

1° Monadismus Leibnizii his vitiis laborat: confundit genera rerum, scilicet viventia cum non viventibus et evolutionismo viam aperit; — occasionalismum importat; — atomorum numerum esse infinitum asserit; — corporum extensionem explicare nequit, si quidem extensio exsurgere non potest ex entibus simplicibus; — tandem nullo modo solvit quæstionem de primis principiis corporum. Nam monades aliquo modo sunt similes et aliquo modo differentes; porro hujus similitudinis et hujus differentiæ principia assignare oporteret.

Dynamismus Boscovichii his difficultatibus est obnoxius: subaudit differentiam inter corpora non esse nisi accidentalem; — extensionem non explicat, cùm extensio exsurgere nequeat ex punctis simplicibus seu mathematicis; — subaudit vires materiales oppositas, attractionem nempe et repul-

sionem in uno puncto residere ; — tandem actionem in distans importat, cùm puncta mathematica non se tangant et tamen alia aliis attrahantur vel repellantur.

3° Kantius vero contendit explicare solummodo apparentias corporum, sed in vanum. Nam vires, quæ spatium occuparent, non subsistunt, cùm sint qualitates, sed existere non possunt nisi in subjecto, scilicet in corpore.

655. **Quid de atomismo dynamico ?** — Atomismus dynamicus est quoddam systema ex atomismo et dynamismo conflatum : admittit nempe atomos extensas et vi quadam præditas (1). Jamvero hoc systema, quamvis sit incompletum, concordare potest cum systemate scholastico. Nam, si illa vis atomorum est eis essentialis ita ut sine eâ atomus consistere non possit, fluit ex ipsâ formâ substantiali aut est ipsa *forma substantialis*. Atomus autem, quatenus est extensa et distinguitur a vi cujus est subjectum non videtur aliud esse quam extensio, quæ fluit ex materiâ primâ aut est ipsa *materia prima*. Atomorum verò existentiam systema scholasticum aliquo modo postulat vel subaudit, negando materiam esse in infinitum divisibilem.

656. **Materiæ et formæ systema expositum et vindicatum.** — Rejectis falsis systematibus de primis principiis corporum, systema scholasticum materiæ et formæ proponendum est; quod quidem, si bene distinguitur a quibusdam adjunctis dubiosis, certissimum videbitur.

Inprimis sciendum est materiam primam et formam substantialem ex quibus constare corpora dicuntur esse prima principia corporum, scilicet metaphysica, proindeque non esse sensibilia, sed solummodo intelligibilia, præsertim si sejunctim spectentur. Unde ea concipere possumus ; imaginari autem aut videre nullo modo.

657. **De materiâ primâ.** — Sic autem concipitur et demonstratur materia prima. Innumeræ sunt mutationes substantiales quæ quotidie fiunt in mundo : nascuntur animalia, germinant plantæ, producuntur novæ substantiæ et

(1) Cf. Th.-H. Martin, *Philosophie spiritualiste de la nature.*

nova individua. Porro subjectum mutationum ejusmodi debet esse *aliquid reale*, cùm nihilum nequeat esse subjectum ullius mutationis ; — *aliquid substantiale*, quia ex accidente nequit produci substantia ; — *aliquid in potentiâ*, siquidem transit ab uno statu ad alium. Unde sic describi potest : Realitas substantialis et incompleta, nullum actum seu nullam formam ex se habens, sed capax suscipiendi talem talemve formam. Hoc subjectum dicitur a scholasticis *materia prima*. Dicitur *materia*, quia ex eo omnia fiunt; dicitur *prima*, quia non præsupponit aliam materiam, aliud subjectum, ex quo fiat.

Hinc intelligitur descriptio materiæ primæ ab Aristotele tradita : *Materia non est quid* (scilicet, non est ens completum) *neque quantum* (id est, non extenditur nisi per formam), *neque quale* (qualitates enim fluunt ex formâ), *neque aliquid eorum quibus ens determinatur* (nam est indeterminata, determinatur autem per formam).

Quidam scholastici (scotistæ generatim) putaverunt materiam primam existere posse sine ullâ formâ. Sed hoc repugnat, nam materia habet primum esse ex formâ substantiali. Unde scribit S. Th. : « Quod aliquid sit et non sit, a Deo fieri non potest, neque aliquid involvens contradictionem et hujusmodi est materiam esse sine formâ ».

Materia prima dici potest *homogenea negative*, quia una pars non discriminatur ex se ab alterâ, sed solùm propter formam, sine quâ non existit.

Insuper materia prima dici potest et debet radix quantitatis vel extensionis, sicut forma substantialis est prima radix virtutis, quia extensio vel divisibilitas corporibus inesse concipitur propter materiam.

658. **De formâ substantiali.** — Pari modo forma substantialis concipitur et demonstratur. Etenim, mutationes substantiales de quibus dicebamus, non solùm fiunt ex aliquo, sed etiam ad aliquid. Unde, præter materiam ex quâ res fiunt, oportet assignare aliud principium quod actuet materiam, determinando ejus potentialitatem et cum ipsâ constituendo novam substantiam. Porro hoc principium actuans materiam

debet esse *aliquid reale*, cùm nihilum non possit actuare, — *aliquid substantiale*, cùm ex illo substantia constituatur, — *aliquid incompletum*, cùm materiam actuandam supponat, et materiâ indigeat ad constituendam substantiam. Ergo hujusmodi principium seu actus sic describi potest : Realitas substantialis incompleta materiam primam actuans et determinans ad constituendam simul cùm ipsâ substantiam completam.

Ut videtur, forma substantialis dat rei esse simpliciter, hoc est esse fundamentale, primum, substantiale, non autem esse secundum, accidentale, quod a formâ accidentali seu ab accidente accipitur. Forma substantialis (ea nempe quæ non est spiritualis) non proprie creata est, cùm non sit substantia completa, sed concreata est in principio : invenitur enim in substantiâ creatâ, datur simul cum substantiâ creatâ, quam actuat vel potest actuare. Unde materia substantiæ creatæ est in potentiâ eam habendi ; habebit autem actu, si invenitur aliqua potentia activa quâ forma substantialis *educatur ex potentiâ materiæ :* ita granum frumenti quod germinat, virtute suâ activâ educit ex materiâ humi formam plantæ et ultimò formas aliorum granorum. Quemadmodum forma statuæ, quæ est forma accidentalis, educitur ex marmore, arte sculptoris, ita aliquo modo forma substantialis educitur ex materiâ primâ. Unde hæc continet omnes formas in potentiâ, sed in potentiâ passivâ : requiritur enim ut aliqua causa efficiens et proportionata educat formam substantialem, producendo novam substantiam ex materiâ præexistente.

Sic patet discrimen inter *creationem*, *mutationem substantialem* (quæ dicitur etiam generatio), et *mutationem accidentalem.* Prima est productio totius substantiæ; secunda est eductio formæ substantialis ex materiâ primâ; tertia est eductio formæ accidentalis ex materiâ secundâ. Creatio nihilum præsupponit; mutatio autem substantialis et mutatio accidentalis præsupponunt materiam primam vel secundam.

Forma substantialis vere est actus primus materiæ et substantiæ ; est principium primum activum et intrinsecum omnium operationum. Unà cum materiâ constituit unam et eamdem substantiam, unam et eamdem essentiam, unum

et idem compositum substantiale. Forma substantialis et materia prima sunt duæ causæ primæ et intrinsecæ omnium entium corporalium.

De distinctione reali earum dubitandum non est; unde non distinguuntur solùm operatione mentis, sicut genus et differentia, sed una non est altera.

659. **Theoriæ scholasticæ veritas.** — Ex his jam demonstratur theoria scholastica materiæ et formæ. Demonstratur indirecte ex confutatione atomismi et dynamismi; nam vitat contradictiones vel vitia quibus isti laborant : non explicat corpora per corpuscula, neque extensionem per entia simplicia; eodem modo proponitur a multis sapientibus omnium temporum, etc.

Demonstratur directe ; nam in materiâ et formâ inveniuntur omnes conditiones quæ requiruntur et sufficiunt ad naturam primorum principiorum. Etenim :

1° Oportet ut prima principia corporum sint aliquid corporale, id est, spectans ad corpus, sed non corpus tamen. Ita unitas, quæ est principium numeri, est numerica quidem, non autem numerus. Porro materia et forma sunt ejusmodi, scilicet corporales, non autem corpora.

2° Materia et forma explicant omnia quæ experimur in corporibus omnesque eorum proprietates. Hæc omnia enim revocantur ad quantitatem (simul cum extensione et potentiâ passivâ) et ad vires seu potentias activas. Porro materia explicat quantitatem ; forma autem, vires seu potentias activas. Speciatim sola forma substantialis explicat vim specificam quâ crystalla induunt talem talemve formam geometricam; nam forma atomorum, unà cum viribus cohæsionis, affinitatis, attractionis, etc., non videtur sufficere ad hunc effectum.

3° Per materiam et formam optime explicantur similitudines et dissimilitudines rerum corporalium. Dissimiles sunt propter formas ; similes autem sunt propter materiam. Chimici suspicantur omnia corpora posse in quodcumque aliud transmutari ; hoc autem plane concedit theoria scholastica.

4° Per materiam et formam optime explicantur unitas et divisibilitas corporum : hæc explicatur per materiam ; illa autem, per formam. Unitas est stricta et mirabilis præsertim in viventibus perfectis, quæ nullo modo exurgere possunt ex solis organis seu partibus aggregatis. Unitas autem substantialis viventium explicari non potest nisi per formam substantialem.

5° Sola theoria scholastica congruam ac philosophicam rationem tradit diversitatis primariæ spiritus inter et corpora. Nam, juxta atomistas, corpora differunt a spiritibus quia sunt extensa; sed extensio quidquid dicant cartesiani, est mera proprietas seu accidens ontologicum. Juxta dynamistas, multò minor adhuc videtur differentia ; nam corpora exurgerent ex entibus simplicibus ; imò, juxta Leibnizium, monades corporales perceptione et appetitione non destituerentur. Sed contra, scholastici demonstrant essentiam corporum esse compositam ex materiâ et formâ, essentiam verò spirituum esse simplicem.

660. **Ratio petita ex mutationibus substantialibus**. — Subaudivimus, in præcedentibus, mutationes substantiales fieri in hoc mundo. Sane mutationes hujusmodi non semper distinguuntur a mutationibus accidentalibus ; attamen sæpissime sunt indubiæ et nulla earum explicari potest nisi per materiam et formam substantialem.

Indubiæ sunt, inquam. Nam 1° quotidie videmus non solùm novas aggregationes, sed etiam novas substantias produci ex materiâ præexistente : ita saltem plantæ et animalia. Viventia oriuntur generatione ; hæc autem mutationem substantialem importat.

2° Si quis dubitat generationem importare eductionem alicujus formæ substantialis, consideret viventem non oriri ex vivente nisi mediante quodam embryone vel germine, valde tenui et imperfecto. Hoc autem germen (vel *embryo*) evadere non potest vivens perfectum et simile genitori, nisi habeat formam substantialem similem formæ genitoris et ab eâ distinctam.

3° Sed mutationes substantiales fieri aliquando etiam in

corporibus non viventibus indubium videtur, si attenditur ad maximas corporum differentias et ad proprietates omnino novas quæ ex pluribus combinationibus oriuntur.

4° Argumentum peculiare petitur ex crystallorum figurâ, ut jam diximus.

5° Adde rationem convenientiæ : Omnia entia quò magis a Deo recedunt eò magis sunt compositioni et mutabilitati obnoxia. Sed corporales substantiæ magis recedunt a Deo quàm spirituales substantiæ, quæ sunt mutationibus accidentalibus obxoniæ. Ergo mutari possunt etiam quoad substantiam.

661. **Objectiones.** — 1° Dynamismi fautores sic ratiocinantur : Omnia composita exsurgere non possunt nisi ex simplicibus, proindeque ex monadibus aut aliis entibus seu substantiis simplicibus.

Resp. — Omne compositum resolvitur quidem in simplicia, id est, constituitur simplicibus ; et revera corpora constituuntur materiâ et formâ, quæ sunt aliquo modo simplices. Sed compositum extensum resolvi non potest in substantias simplices, monades aut alia ejusmodi.

2° Atomismi fautores sic arguunt : Corporum principia assignanda sunt ea quæ in corporibus deteguntur ope analysis et ex quibus omnia fiunt. Atqui ejusmodi sunt corpora quæ dicuntur a chimicis *corpora simplicia*, quæ constare videntur atomis diversi ponderis.

Resp. — Non diffitemur neque contendimus esse atomos chimicas et corpora quæ in alia absolute resolvi non possint ; sed hæc sunt principia secundaria corporum. Porro agitur de primis principiis.

3° Conceptâ realitate extensâ seu extensione, hoc ipso concipitur corpus. Unde aliud principium non requiritur ad corpus constituendum, præter extensionem.

Resp. — Extensio est accidens et quidem indeterminatum ; unde indiget subjecto, quod extensionem habeat, et formâ, quæ extensionem determinet. Hinc materia et forma.

4° Materia prima est vere nihilum aut mera possibilitas. Nam non potest existere sola; per seipsam non est determinata, non habet actum neque existentiam. Sed nihilum aut mera

possibilitas non potest esse principium intrinsecum corporum.

Resp. — Materia prima non est nihilum neque a fortiori mera possibilitas, sed est vera potentia realis, quamvis formâ indigeat ad existendum.

5º Attamen materia prima non est nisi potentia formæ, id est, formæ possibilitas.

Resp. — Materia prima est potentia realis, subjectiva, quæ recipere potest talem talemve formam ; unde est realitas, quamvis uni formæ vel alteri plane subjiciatur.

6º Saltem materia et forma non sunt realiter distinctæ : una enim non existit sine alterâ ; insuper forma educitur ex materiâ. Unde materia et forma non distinguuntur nisi logice, sicut ex. gr. genus et differentia.

Resp. — Aliud est dependentia unius ab altero quoad esse, et aliud est identitas unius cum altero. Deinde forma educitur ex materiâ, sed non ideo materia fit forma : materia non est causa efficiens et activa formæ. Si materia et forma distinguerentur logice solummodo, jam tolleretur ipsum systema materiæ et formæ.

7º Theoria scholastica materiæ et formæ importat mutationes substantiales fieri in mundo proindeque formas substantiales produci a creaturis ; hæc autem productio seu potiùs creatio admitti nequit.

Resp. — Formæ substantiales non proprie producuntur a creaturis, sed *educuntur ex potentiâ materiæ*, ut explicatum est ; a fortiori ergo non creantur. Terminus enim productionis, sicut creationis, non est forma aut materia seorsim sumpta, sed tota substantia, subjectum ipsum. Unde creaturæ producunt quidem novas substantias virtute suâ, quæ vere mirabilis est, sed nullo modo creant ; neque producunt novas formas nisi quatenus eas educunt ex materiâ præjacente.

8º Sola theoria chimica explicat mutationes corporum, omnes compositiones et decompositiones ; quæ optime et methodice exprimuntur linguâ et signis quæ feliciter a chimicis inventa sunt.

Resp. — Theoria scholastica non excludit theoriam chimicam, saltem quatenus theoria chimica explicat principia

proxima et sensibilia rerum : theoria enim scholastica versatur circa prima principia.

9° Corpora non agunt nisi motibus; unde eorum effectus sunt solummodo mutationes accidentales.

Resp. — Motus videtur esse quidem medium quo corpora agunt et patiuntur; sed principium et terminus actionis corporum sunt qualitates, formæ et substantiæ.

CAPUT XXXVIII

DE PRINCIPIO INDIVIDUATIONIS

662. **Hujus quæstionis difficultas et locus ; ejus objectum.** — Difficillima est inter omnes quæstio de principio individuationis, quæ nimis fuit disputata in scholis. Tota est enim in assignando principio quo substantia est individua, id est, *hæc* et non illa (v. Lexicon, *hæcceitas*), indivisa in se et distincta numerice ab omnibus aliis ejusdem speciei ; unde habet esse incommunicabile.

Hæc quæstio occurrere posset in ontologiâ, ubi agitur de substantiâ ; nam individuatio pertinet præsertim et primò ad substantiam. Sed potiùs tractanda est in cosmologiâ, postquam dictum est de materiâ et formâ ; nam difficultas non est de substantiis simplicibus et completis, sed solùm de substantiis compositis ex materiâ et formâ.

Quæstio igitur non movetur de formis separatis et perfecte subsistentibus (ut sunt angeli), quæ, cùm non habeant corpus nec ordinentur ad corpus, non possunt individuari nisi per seipsas, sed agitur de corporibus et speciatim de homine.

Diversæ sententiæ examinandæ sunt ; deinde nostram aperiemus.

663. **Prima opinio.** — Hæc statuit unamquamque substantiam ex seipsa et ex propriâ entitate esse individuam : ita Durandus et Nominales ; ita etiam Suarez, Leibniz, Fenelon, etc. Nam, ut putant, cùm reale et individuum non differant, oportet ut substantiæ sint individuæ quatenus reales

sunt; unde ex propriâ realitate individuantur; proindeque substantiæ corporales individuantur ex materiâ et formâ simul junctis. Fautores hujus sententiæ generatim non admittunt distinctionem realem inter essentiam et existentiam; unde a solâ existentiâ individuationem quærunt.

At hæc opinio non sufficere, sed potiùs quæstionis solutionem prætermittere videtur. Sane ens est unum et individuum quatenus est; sed quomodo fit ut sit hoc et non illud et distinguatur ab omnibus entibus ejusdem speciei?

664. **Secunda opinio.** — Scotus et generatim realismi fautores contendunt substantiam materialem fieri individuam ex aliquâ entitate quam *hæcceitatem* vocant.

Sed hæc entitas seu hæcceitas duplici modo intelligi potest: vel non est aliud nisi notæ individuantes quæ speciem determinant; vel est entitas superaddita speciei velut accidens substantiæ. Si primò, non dicitur unde oritur hæcceitas; porro quærimus ejus principium, scilicet principium individuationis. Si secundò, cùm species sit aliquid universale proindeque non reale formaliter, ei non potest accedere entitas realiter distincta; insuper repugnat ut species fiat realis et distincta per aliquod accidens. Principium individuationis sit aliquid substantiale oportet.

665. **Tertia opinio.** — Secundùm quosdam veteres scholasticos (Zabarella), principium individuationis, tam in corporalibus quàm in spiritibus puris, esset forma sola. Nam substantiæ sunt individuæ eâdem ratione quâ sunt reales seu in actu. Porro sunt in actu per formam. Insuper principium individuationis non videtur esse aliud quàm principium unitatis; porro principium unitatis est forma, dum principium divisibilitatis est materia.

Sed primò, inividualitas petitur ex incommunicabilitate potiùs quàm ex realitate. Sane sunt multa individua mere possibilia, perfecte tamen distincta. Deinde forma non potest esse in corporibus principium individuationis, quia ex naturâ suâ inveniri potest in multis individuis. Et in vanum responderent formam quæ individuat non ese formam specificam et abstractam (ex. gr. formam plantæ, vel animalis, vel homi-

nis), sed formam concretam et particularem. Nam quæritur cur hæc forma sit concreta et particularis, id est, individua. In vanum etiam dicerent formam esse principium individuationis, quia est principium unitatis. Nam alia est unitas specifica quam dat forma specifica, et alia est unitas individualis, quam dat forma individualis. Sed quæritur præcise cur forma sit individualis, seu quodnam sit principium individuationis.

666. **Quarta opinio**. — Hæc est Aristotelis, S. Thomæ, Alberti Magni et plurimorum scholasticorum, qui tenent principium individuationis esse *materiam signatam quantitate*. Nam, ut aiunt, principium individuationis non potest esse aliquid essentiæ specificæ, cùm ista sit universalis; debet esse tamen aliquid substantiale, cùm ens non possit individuari per aliquid accidentale. Quamvis enim entis individualitas cognoscatur per accidentia, non tamen istis constituitur. Substantia autem corporum est composita ex materiâ et formâ. Igitur principinm individuationis repetendum est ex materiâ vel ex formâ. Porro peti non potest ex formâ substantiali, cùm ista sit specifica et universalis; ergo petendum est ex materiâ. Sed materia, sine quantitate, cujus est principium, est aliquid commune, indeterminatum, proindeque incapax distinctionis. Ergo tandem principium individuationis est *materia signata quantitate*.

Animadvertendum est sedulò quantitatem quæ ingreditur principium individuationis non esse accidens quod terminat materiam et facillime mutatur in eâdem substantiâ, sed esse quantitatem *virtualem*, id est, a materiâ non sejunctam.

Sed in hoc præcise sententia quam expendimus fit obscura et dubiosa. Nam hæc quantitas individuare nequit nisi sit determinata ; determinatur autem per formam ; unde repetenda est individuatio non solùm a materiâ sed etiam a formâ.

667. **Individuatio apud hominem.** — Sententia quæ assignat materiam tanquam solum principium individuationis est difficultatibus obnoxia præsertim quoad hominem. Etenim, secundùm hanc sententiam, homo individuaretur per materiam, id est, per corpus. Sed corpus ipsum quomodo fit individuum et remanet idem per totam vitam, a conceptione

ad ultimam senectutem, non obstantibus mutationibus continuis et maximis? Sane non videtur quòd corpus possit remanere idem in tantis mutationibus nisi propter animam. Nec quantitas virtualis sufficere potest ad individuationem corporis nisi quatenus est proprietas corporis et animæ simul : quantitas enim fundatur in materiâ, sed determinatur per formam. Unde repetendum est principium individuationis non solùm a materiâ sed etiam a formâ substantiali.

Hoc videtur indubium præsertim pro animabus separatis, quæ sunt individuæ propter aliquam dispositionem essentialem ad tale vel tale corpus, sicut corpus est hoc vel illud propter ordinem ad talem vel talem animam. Unde anima et corpus sese mutuò determinant et individuant. Quemadmodum punctum determinatur duabus lineis, quarum una secat alteram, ita individuum determinatur unione materiæ et formæ.

Ut clarior sit conclusio, si possibile est, dicemus principium individuationis repetendum esse a *materiâ signatâ*, quatenus nempe materia signatur per formam. Materia autem signata per formam non videtur differre a *figurâ* virtuali seu figurâ debitâ, quæ profluere debet ex formâ substantiali et recipi in materiâ. Hæc figura non est forma quanti quæ continuò mutatur in viventibus, a conceptione ad mortem, sed est potiùs radix hujus figuræ. Individuantur ergo corporalia (plantæ, animalia, homines) per figuram eis debitam seu virtualem, proindeque a figurâ externâ seu formâ quanti, quatenus ista fluit ex principiis essentialibus, materiâ et formâ. Unde nostra sententia omnino consonat sensui communi placitisque doctorum scientiæ naturalis.

CAPUT XXXIX

DE CORPORUM QUANTITATE : DE CONTINUITATE, DIVISIBILITATE, ETC.

Absoluto tractatu de materiâ et formâ, dicendum est de accidentibus, quæ eas consequuntur. Jam, in ontologiâ, substantiam et accidentia esse realiter distincta ostendimus, necnon

essentiam quantitatis reponendam esse in extensione vel in divisibilitate internâ (nº 494-496). In logicâ autem, jam innuebatur demonstratio objectivitatis seu existentiæ corporum et quantitatis. Superest ergo ut hæc doctrina compleatur. Unde thesim sequentem de quantitate et continuo statuimus :

Thesis. — *Quantitas seu extensio corporum non est merum phænomenon, sed est vere objectiva — et necessariò continua, — saltem in atomo. — Ex hac continuitate autem non sequitur corpora esse in infinitum divisibilia. — Essentia quantitatis sedulò distinguenda est tum a corpore, quod est ejus subjectum, tum a proprietatibus cujus est principium seu fundamentum.*

668. **Quantitatis objectivitas.** — Objectivitas seu realitas quantitatis stabilitur et explicatur in logicâ et in psychologiâ contra scepticos et idealistas. Sola corporum existentia, simul cum extensione corporali, quâ cognoscitur, potest esse causa sufficiens sensationum nostrarum necnon specierum sensibilium quæ sensus nostros informant. Unde species sensibiles sunt, ex naturâ suâ, objectivæ. Sane multi errores nos obrepere possunt; sed ad intellectum pertinet dignoscere verum et apparens. Ceterùm, ipsa apparentia non esset sine aliquâ veritate, id est, repræsentatio quantitatis seu extensionis esse non potest nisi in organo realiter quanto seu extenso. Unde sensus sine organo extenso non sufficit ad explicandam repræsentationem sensibilem. Itaque non licet dicere, cum Kantio, extensionem esse formam subjectivam sensibilitatis. Eo minùs dubitandum est de realitate extensionis seu quantitatis quo magis certi sumus de corporum proprietatibus, cùm istæ in quantitate fundentur. Unde, nisi habeatur certitudo de existentiâ quantitatis, dubitandum est de realitate totiùs mundi sensibilis (n. 231).

669. **Objectiones.** — 1° Sic arguit Kantius : Si quantitas esset objectiva, jam lineæ et figuræ geometricæ essent contingentes, relativæ, cùm tamen, omnibus fatentibus, objectum geometriæ est aliqnid absolutum.

Resp. — Kantius non distinxit objectum abstractum et directum geometriæ ab objecto concreto et indirecto. Hoc

non est absolutum, quamvis legibus absolutis geometriæ subjiciatur. Objectum autem abstractum et directum geometriæ est absolutum, sed non est formaliter nisi in mente, sicut alia universalia, genera, species, etc. — Addere expedit lineas et figuras geometricas (etsi reales sint fortè, ut credimus, ita ut, ex. gr., sphæra realis perfecta et alia ejusmodi possint existere) esse omnino distinctas a conceptibus nostris et etiam a repræsentationibus seu phantasmatibus quibus exhibentur. Unde nihil prohibet lineas et figuras reales esse contingentes, imperfectas et incertas, cùm tamen objectum directum geometriæ est necessarium, perfectum et certissimum.

2° Si quantitas est objectiva, jam materia est extensa et divisibilis in infinitum, aut resolvitur in entia simplicia. Porro utrumque repugnat.

Resp. — Materia non est divisibilis in infinitum, sed solummodo usque ad particulam minimam, atomum, si velis, quæ non est simplex, cùm constet ex materiâ et formâ. Neque materia et forma sunt entia simplicia, quamvis sint aliquo modo simplices, ut elementa, cùm nequeant separatim existere. Quantitas autem abstracta seu continuum abstractum dividi potest in infinitum, sed non est formaliter nisi in mente.

670. **Materiæ continuitas.** — Ex hucusque disputatis liquet esse aliquam materiam continuam. Corpora enim exsurgere nequeunt ex entibus simplicibus ; nam entia simplicia extensionem corporum constituere nequeunt. Extensio non potest constare ex inextensis ; unde nonnisi ex continuis exsurgit.

671. **Variæ hypotheses de continuo.** — Hìc variæ hypotheses occurrunt. Fortè intervallis vacuis separantur corpora ; imò, fortè omnes moleculæ et atomi sunt distantes inter se aguntque invicem impulsionibus ; sed probabile est etiam mundum esse continuum et plenum, ut putabant veteres scholastici. Nam vacuum non videtur esse necessarium ad explicandas dilatationes et condensationes corporum, siquidem potentia occupandi locum crescere vel minui potest sicut calor aliæque proprietates. Quidquid sit, asserimus continuum inveniri saltem in atomo.

672. **Atomi continuitas**. — Ex hoc difficultas non minuitur, sed tota remanet. Nam continuum, sive atomus, habet partes; quæ sunt distinctæ vel indistinctæ. Si sunt indistinctæ, quomodo ex eis potest exurgere continuum proindeque extensio? Si verò sunt distinctæ, sunt numero infinitæ; nam continuum est semper divisibile. Unde atomus partes habet numero infinitas. Porro numerus infinitus repugnat.

Responsio quæ primùm videretur melior esset ejusmodi : Partes continui sunt distinctæ quidem, sed incomplete, et potiùs *virtualiter* quàm *in actu*. Sunt distinctæ, quia una non est altera; pars sinistra atomi, ex. gr., non est pars dextera. Sed hæc distinctio est potiùs virtualis quàm actualis. Nam atomus non est divisa neque divisibilis, licèt quantitas ejus, si sola spectetur, sit semper divisibilis : non dividitur atomus nisi consideratione mentis. Revera partes atomi sunt ita inseparabiles et junctæ ut sint simul aliæ in aliis et aliæ extra alias.

Alii concedunt partes atomi seu continui esse distinctas *actu*, sed distinctione incompletâ; unde numerus infinitus partium non sequeretur. Ita Sanseverino et Liberatore, qui scribit :

Partes in extenso continuo sunt actu distinctæ inter se, licèt distinctione incompletâ.

Quòd partes in continuo sint actu distinctæ, licèt non divisæ, facilè persuadetur. Nam earum quæque est actu extra alias; nequit autem actu esse extra aliud id quod actu ab eo non distinguitur. Sic in pyramide, ex. gr., vertex est extra basim; et, in ipsâ basi, angulus differt ab angulo. Id autem quomodo dici posset, sine distinctione actuali? Profectò, quæ actu distincta non sunt, ex actu sunt idem; identitas enim contradictorie opponitur distinctioni. Quis verò autumabit in corpore extenso, utut exiguo, partem superiorem eamdem esse cum inferiore, et eam quæ jacet sinistrorsum non differre ab eâ quæ jacet dextrorsum?

Præterea, si partes continui distinguerentur tantùm potentiâ, ut volunt nonnulli, effectus formalis quantitatis nullus esset. Effectus enim formalis actu est, non potentiâ; forma enim est actus. Cùm igitur effectus formalis quantitatis sit extendere substantiam in partes extra partes, hæ actu insint oportet. Et sane divisio partes non producit, sed tantùm separat. Ergo signum est eas ante divisionem jam esse in toto, quod dicitur divisibile, et prorsus incredibile est quòd per divisionem producantur.

Nihilominus (quod secundo loco asserebatur in thesi) hæc distinctio non est completa, sed incompleta. Idque locum habet tum respectu totius, siquidem quæque pars in toto est et cum toto confunditur, tum respectu ipsarum partium, siquidem singulæ dimensionibus non terminantibus sed continuantibus constant, et omnes communi circumferentiâ concluduntur. Hinc evenit ut partes singulæ ita sint aliæ extra alias, ut etiam aliquo modo sint intra. Finis enim unius est idem cum initio alterius, et omnes non subsistunt in se, sed in toto. Totum autem, licèt extendatur in plura, tamen unum est et suâ unitate omnia quæ in ipso sunt comprehendit et colligit. Hinc etiam fit ut illæ partes non sint divisæ, nisi in potentiâ, et indeterminatione sic laborent, ut nequeant numerari, nisi unitate quadam mensuræ, quæ ad arbitrium definiatur (1).

Sed non videtur cur partes actu distinctæ nequeant numerari; unde, si omnes partes continui sunt distinctæ, jam sunt infinitæ numero. Quamobrem fortè meliùs respondetur :

Partes quædam continui sunt actu distinctæ et numero subjiciuntur (ex. gr. in atomo summitates angulorum, si atomi forma est polyedrica) ; sed aliæ partes non sunt nisi potentialiter distinctæ, itaque dici possunt infinitæ in potentiâ. Hinc vitarentur omnes difficultates prædictæ : partes actu indistinctæ non constituerent continuum seu extensionem ; neque infinitus esset numerus partium actu distinctarum ; essent tamen infinitæ partes in potentiâ. Sane non plane intelligitur quomodo una pars extrema (A), actu indistincta a parte mediâ (B), quæ non distinguitur ab aliâ parte extremâ (C), possit esse actu distincta ab hac tertiâ; nam quæ sunt identica uni tertio sunt identica inter se. Sed licet respondere partem mediam non esse absolute et sub omni respectu identicam extremis, sed habere fundamentum distinctionis; unde distinctio actualis extremorum non repugnat.

673. **Corpora suntne divisibilia in infinitum ? —** Ex dictis de continuo, cujus partes sunt infinitæ in potentiâ, non sequitur corpora esse divisibilia in infinitum. Jam enim distinximus quantitatem a materiâ, quæ est ejus principium et subjectum, ut soli quantitati, non autem materiæ, tribuere-

(1) *Institutiones phil. Metaph. specialis.*

tur divisibilitas in infinitum. Item nunc distinguere oportet corpus *mathematicum* seu quantum, abstractum, intelligibile, a corpore *physico*, seu materiali. Sane illud est divisibile in infinitum, cùm quantitas sit essentialiter divisibilis; unde numerus, lineæ et figuræ geometricæ concipiuntur in mathesi tanquam divisibiles in infinitum. Sed corpus physicum, cùm constet materiâ et formâ, dividi non potest nisi in quantum divisio unionem materiæ et formæ proindeque existentiam ipsam corporis non impedit. Porro, ad unionem materiæ et formæ, proindeque ad existentiam corporis, videtur requiri quædam quantitas in materiâ. Hæc quantitas minima esset quantitas atomi, in hypothesi atomismi chimici.

Ceterùm concedimus divisibilitatem indefinitam materiæ et corporum non repugnare : sufficit enim ut numerus partium non sit infinitus actu, sed solùm potentiâ.

674. **Quantitatis essentia**. — Jam ostendimus (nº 494-496) essentiam quantitatis consistere in divisibilitate vel extensione internâ. Nunc pauca addenda sunt.

Alii scholastici (Zigliara, Gonzalez) dicunt essentiam quantitatis esse in extensione ; alii verò (Sanseverino) in divisibilitate. Huic sententiæ favere videtur illud S. Thomæ : « Remotâ quantitate, substantia omnis indivisibilis est. » At fortè una sententia non differt realiter ab alterâ. Nam quantitas concipitur exurgere sive ex extensione sive ex divisibilitate. Quantitas enim in hoc est quòd habeat *partes integrales, ejusdem naturæ;* porro substantia est ejusmodi sive propter extensionem, sive propter divisibilitatem. Nec videtur quòd una sit absolute prior alterâ, scilicet non videtur quòd substantia sit extensa quia est divisibilis, aut divisibilis quia extensa. Quidquid sit, non est quantitas sine divisibilitate et extensione, neque est divisibilitas aut extensio sine quantitate. Hæc differt tum a substantiâ, quæ est ejus principium, tum ab ejus effectibus : scilicet extensione locali, impenetrabilitate, etc.

675. **Conclusiones**. — Ergo 1º substantia non habet partes integrales nisi propter quantitatem. Unde, si sola spectatur,

abstrahendo a quantitate, non occupat locum nec mensurari aut limitari potest.

676. **Totum integrale et totum substantiale.** — Ergo 2° totum *integrale* a toto *substantiali* omnino differt. Illud exsurgit ex partibus integralibus; hoc autem, ex partibus substantialibus. Unde totum integrale dividitur, indiviso remanente toto substantiali. Ex. gr. aquæ substantia non solvitur ex eo quòd dividitur aqua in guttas, sed unaquæque gutta est aqua, sicut omnes guttæ simul sumptæ.

677. **Impenetrabilitas.** — 3° Impenetrabilitas non est essentia corporum neque etiam quantitatis; sed, cùm sit tantùm effectus quantitatis, non videtur cur esset necessaria absolute. Concipimus ergo unum locum pluribus corporibus occupatum, sine confusione ipsorum corporum, quorum substantiæ remanent distinctæ; imò, unumquodque corpus servare potest quantitatem suam internam; unde nonnisi quantitas externa seu locus est communis pluribus corporibus.

678. **Bilocatio, multilocatio.** — 4° E converso, non videtur cur unum corpus occupare plura loca non posset, non *circumcriptive* quidem, sed *definitive*, id est, per solam substantiam, non autem per dimensiones. Nam ejus substantia non est ex se limitata per locum, sed ad omnia loca referri potest. Sane corpus non potest existere extra seipsum, sed plura loca occupando, non existit extra propriam substantiam et essentiam.

679. **Corollarium de Eucharistiâ.** — Hinc aliquo saltem modo concipimus præsentiam D.-N. J.-C. in SS. Eucharistiâ. Christi humanitas est in cœlo cum omnibus suis attributis, internis et externis; est autem in SS. Eucharistiâ cum solis attributis quæ suâ perfectione inamissibili requiruntur. Unde est sine extensione externâ. Corporis divini membra sunt distincta inter se, sed non mensurant locum nec loco mensurantur. Itaque hostiæ fractio multiplicat quidem præsentiam Christi, sed corpus divinum non dividit. Nam corpus divinum, cum suis dimensionibus internis, est præsens sub speciebus per modum substantiæ et propter substantiam, non autem propter dimensiones locales.

680. **Objectiones.** — 1° Non videtur quòd substantia sit divisibilis propter quantitatem ; secus enim substantia dependeret a suo accidente.

Resp. — Substantia non dependet a quantitate quoad esse, sed solùm quoad divisibilitatem in partes integrales.

2° Si substantia non est divisibilis nisi propter quantitatem, non poterit esse subjectum quantitatis. Nam simplex non potest esse subjectum extensi.

Resp. — Substantia materialis, spectata abstrahendo a quantitate, non est simplex ad modum spirituum ; nam est composita ex materiâ et formâ; unde est apta ad extensionem suscipiendam. Hæc substantia dat esse quantitati, quæ primò confert substantiæ divisibilitatem seu extensionem internam, deinde divisibilitatem seu extensionem externam.

CAPUT XL

DE ALIIS CORPORUM QUALITATIBUS ; SPECIATIM DE FIGURA ACTIVITATE ET MOTU

681. **Variæ sententiæ de qualitatibus.** — Veteres scholastici dividebant qualitates corporum in *primas* (calor et frigus, humidum et siccum) et *secundas* (durities, mollities, dulcedo, amaritudo, etc.). Has qualitates existimabant esse compositas ex illis, quæ maxime conferre censebantur ad generationem et ad temperamentum efformandum. Postea scholastici diviserunt qualitates secundas in *sensibiles* et *occultas*.

Cartesius omnes qualitates corporum ad quantitatem revocabat. Malebranchius omnes proprietates reales corporum explicabat per distantiam, figuram et motum, alias verò (calorem, colorem, etc.) ut meras affectiones subjecti habebat.

Lockius dividit proprietates corporum in *primarias* et *secundarias*. Illas (soliditatem, extensionem, figuram, motum, etc.), quæ ad quantitatem revocantur, putabat esse

objectivas ; secundarias autem (colores, odores, sapores) existimabat esse subjectivas. Idem sentiunt non pauci philosophi hodierni.

Berkeley omnes qualitates corporum habuit ut meras affectiones subjecti.

Leibnizius admittebat quidem objectivitatem omnium qualitatum ; sed aliunde ipsam existentiam quantitatis, quæ est fundamentum omnium qualitatum, nullo modo explicabat.

Kantius aliique criticismi fautores non curant de proprietatibus corporum in seipsis sed solùm de phænomenis et repræsentationibus.

Galluppius aliique non pauci existimant proprietates corporum esse simul objectivas et relativas : objectivas, quatenus earum causæ seu corpora certissime existunt ; relativæ, quatenus subjectum afficiunt secundùm naturam et dispositionem ejus. Hæc autem sententia, si recte intelligatur, non videtur falsa.

Thesis. — *Qualitatum corporalium objectivitas necnon relativitas sunt indubiæ. — Præcipuæ autem qualitates sunt : figura, quæ fluit ex formâ substantiali eamque significat ; — activitas, quæ est principium motûs omniumque mutationum quæ motu peraguntur. — Motus autem non sufficit ad explicandas corporum qualitates, — ejusque necessitas tanquam medii in omnibus mutationibus corporum demonstrat actionem in distans esse impossibilem.*

682. **Qualitatum corporalium objectivitas et relativitas**. — Huc spectant sive ea quæ dicta sunt in capite præcedenti de objectivitate et realitate quantitatis, sive confutatio scepticorum et idealistarum (v. logicam, cp. XI et seq.), sive demonstratio originis sensationum et idearum (v. psychologiam cp. XLVIII et LV). Sane objectivitas qualitatum corporalium videtur indubia, si admittimus causam sensationum non esse subjectivam, sensus nostros esse criterium certitudinis, cognitiones nostras esse objectivas atque speciatim cognitiones sensibiles per activitatem mentis explicari non posse.

Nec distinguimus inter qualitates secundarias corporum et

qualitates primarias ; nam eadem est ratio asserendi harum et illarum objectivitatem. Verumtamen qualitates secundariæ sunt plus minusve accidentales substantiæ et magis minusve perceptibiles secundùm naturam et dispositionem subjecti cognoscentis. Hinc earum relativitas. Sed quamvis subjectum cognoscens percipiat eas secundùm suum modum, tamen ipsæ percipiuntur unà cum suâ relatione ad subjectum.

683. **De figurâ**. — Inter præcipuas qualitates est *figura* proprie dicta, quæ est forma quanti fluens ex formâ substantiali. Figura videtur esse prima inter omnes qualitates corporum : nam omnis qualitas afficit quantitatem aut ab eâ afficitur ; porro primus modus quantitatis, sine quo quantitas esse non potest, est figura.

Figura fluit ex formâ substantiali potiùs quàm ex materiâ ; nam determinat quantitatem, quæ fluit ex materiâ. Sicut forma substantialis determinat materiam ad esse tale, ita figura determinat quantitatem ad talem formam.

Quatenus fluit ex formâ substantiali, figura est signum manifestum speciei. Ad rem S. Th. :

Inter omnes qualitates, figuræ maxime consequuntur et demonstrant species rerum. Quod maxime in plantis et animalibus patet, in quibus nullo certiori judicio diversitas specierum dijudicari potest quàm diversitate figurarum. Et hoc ideo, quia sicut quantitas propinquissime se habet ad substantiam inter alia accidentia, ita figura, quæ est qualitas circa quantitatem, propinquissime se habet ad formam substantialem (1).

Cùm figura fluat ex formâ substantiali et discriminet individua, determinando quantitatem, fortè habenda est tanquam principium individuationis in corporalibus (v. cp. XXXVIII).

684. **Crystallorum figuræ**. — Etiam in mineralibus figura videtur fluere ex formâ substantiali eamque demonstrare. Unde argumentum petere licet ex formâ crystallorum contra negantes systema scholasticum materiæ et formæ. Nam impossibilis videtur crystallorum generatio per solas vires attractionis et repulsionis. Insuper ipsa figura atomorum

(1) *In VII Physic.*, lect. v.

quæ supponitur immutabilis, formam substantialem esse demonstrat.

685. **De corporum activitate.** — Jam demonstravimus contra fautores occasionalismi, corpora esse veras causas proindeque in eis esse veram activitatem (n. 530). Idem ostensum est ex eo quòd fiunt in mundo generationes aliæque mutationes substantiales. Unde corpora non solùm exequuntur motum, sed ita agunt ut terminus activitatis eorum sint qualitates et novæ substantiæ. Hæc activitas corporum optime explicatur per formam substantialem, quæ est principium activum, sicut materia est principium passivum. Unde corpus, cùm sit constans ex utrâque, agit et patitur.

686. **De mechanismo.** — Itaque rejicienda est opinio cartesiana quæ dicitur *mechanismus*, juxta quem, corpora essent omnino inertia et nonnisi ab extrinseco moverentur. Nam motus localis importat vim, quâ mediante, alia corpora aliis moventur. Non posset enim corpus unum ab alio moveri postquam impulsum recepit (ex. gr. sagitta quæ arcu projecta est), nisi vim recepisset. Sane corpora non agunt nisi motu; sed eorum operationes et activitas non limitantur motu, qui est minimum accidentium. Motus est solummodo medium et mensura actionis corporum.

687. **Corporum qualitates non resolvuntur in motus.** — Errant igitur illi qui omnes qualitates corporum, ex gr. calorem, lumen, etc., imò et ipsa corpora resolvere conantur in motus locales seu vibrationes diversi generis. Ex eo quòd motus localis sit medium quo omnia corpora patiuntur et agunt non sequitur omnes qualitates resolvi in motus. Motus localis, ut vidimus, jam importat vim quamdam ab eo distinctam. Hæc vis autem, seu qualitas activa ex quâ procedit motus localis, potest producere vim aliam seu qualitatem quæ calefacit vel illuminat, etc. Et sic una qualitas converti potest in aliam, vel potiùs una qualitas potest producere aliam, mediante motu et secundùm eamdem mensuram. Sed motus ipsi non sunt qualitates, neque a fortiori sunt ipsa substantia corporalis.

688. **Objectio**. — Teste scientiâ experimentali, omnes qualitates corporum, sive audibiles (sonus, etc.), sive visibiles (lumen, colores, etc.), sive aliæ, non percipiuntur nisi propter motus seu vibrationes plus minusve subtiles. Unde qualitates non sunt aliud nisi motus diversi generis.

Resp. — Ex factis expertis licet concludere qualitates corporum agere, mediantibus motibus, vel etiam unam qualitatem in alias converti aut alias producere, mediante motu et secundùm eamdem mensuram ; sed non licet concludere motus ipsos non differre a qualitatibus et substantiis. Revera, videndo lumen et colores, non videmus motum subtilem qui a lumine procedit aut lumen producit ; item, audiendo sonum ejusque gradum vel intensitatem, non audimus vibrationes quæ sonum producunt aut sono producuntur.

689. **Quid sentiendum sit de unitate virium physicarum**. — Hinc videmus quid sit sentiendum de hypothesi unitatis virium physicarum. Hæc hypothesis, quæ multis arridet, admitti potest, si recte explicatur, quatenus nempe omnes vires seu qualitates activæ corporum possent aliæ in alias converti, mediante motu et secundùm eamdem mensuram. Omnes enim qualitates corporales fundantur in quantitate, sicut cetera accidentia, et ideo mensurari possunt ; nec videtur cur una non posset alias omnes producere. Sed admitti non potest quatenus non esset nisi unica vis corporalis, imò unica substantia, vel etiam unicus motus varios modos suscipiens. Non est admittenda nisi unitas mensuræ, ordinis, principii et finis.

690. **Non datur actio in distans**. — Impossibilitas actionis in distans patet ex eo quòd corpora agere non possunt nisi motu. Communicatio autem motùs quemdam contactum importat, immediatum vel mediatum. Non pauci atomistæ et dynamistæ actiones corporum impulsionibus atomorum explicare conati sunt. Sed perfecta non videtur explicatio, nisi admittatur continuitas universalis rerum, saltem propter quoddam fluidum totum spatium reale replens, ut alibi dictum est (no 671). Quidquid sit, actio in distans repugnat ; nam agens non potest agere ubi non est. Præterea, cùm corpus

non possit agere nisi qualitatibus activis seu viribus, quæ in quantitate fundantur, non potest agere immediate extra dimensiones suas, id est, extra locum ubi est.

CAPUT XLI

DE CORPORIBUS VIVENTIBUS : DE VITA IN GENERE

691. **De vita; quomodo vita sit in motu.** — Vita, quâ discriminantur mineralia a viventibus, duplici modo spectari potest : 1° *in actu secundo*, id est, in motibus seu operationibus vitalibus (ex. gr. respirare, ambulare); 2° *in actu primo*, id est in principio horum motuum, quod est ipsa substantia et speciatim forma substantialis, a quâ procedunt motus vitales.

Vita igitur *est* essentialiter *in motu*. Revera dicuntur vivere omnia entia quæ seipsa movent; alia verò quæ moventur quidem, sed non a seipsis, dicuntur quandoque viva, sed per similitudinem. Apposite S. Th. :

Dicimus animal vivere quando incipit ex se motum habere; et tamdiu judicatur animal vivere, quamdiu talis motus in eo apparet; quando verò jam ex se non habet aliquem motum, sed movetur tantùm ab alio, tunc dicitur animal mortuum per defectum vitæ. Ex quo patet quòd illa proprie sunt viventia quæ seipsa secundùm aliquam speciem motûs movent... Ea verò in quorum naturâ non est ut se agant ad aliquem motum, vel operationem, viventia dici non possunt, nisi per aliquam similitudinem...
Ad tertium dicendum, quòd aquæ vivæ dicuntur quæ habent continuum fluxum. Aquæ enim stantes, quæ non continuantur ad principium continue fluens, dicuntur mortuæ, ut aquæ cisternarum et lacunarum. Et hoc dicitur per similitudinem : inquantum enim videntur se movere, habent similitudinem vitæ. Sed tamen non est in eis vera ratio vitæ; quia hunc motum non habent a seipsis, sed a causâ... sicut accidit circa motum aliorum gravium et levium (1).

692. **Spontaneitas et immanentia. Quædam definitiones examinantur.** — Ex his liquet motum vitalem esse

(1) 1a, q. 18, a. 1.

spontaneum, id est, ab intrinseco principio ; liquet etiam motum vitalem esse *immanentem*, id est, primùm terminari in subjecto, illudque perficere : viventia enim dicuntur ea quæ movent seipsa. Hinc videmus quomodo viventia differunt a mineralibus : hæc enim aliquo modo habent motum a principio intrinseco, cùm non destituantur activitate essentiali, sed non movent seipsa et ideo non perficiuntur ex seipsis.

Et sic concordare videntur quædam definitiones quæ primo intuitu sunt oppositæ. Dicit enim card. Zigliara : « Notio essentialis vitæ non ab immanentiâ actionis, sed a se movendo ab intrinseco, primò et per se est accipienda » (1). Sed Liberatore aliter opinatur : « Ratio vitæ, prout operationem respicit, consistere videtur in actionis immanentiâ, seu in actione quæ sic ab agente procedit ut in ipso agente recipiatur et maneat » (2). — Revera, si spontaneitas definitur tanquam facultas seipsum movendi, non differt ab immanentiâ : movendo enim seipsum, vivens est simul principium et terminus suæ actionis.

Sed rejiciendæ sunt aut corrigendæ definitiones ejusmodi : Vita est quædam conservatio organismi (Stahl). — Vita est quædam lucta contra mortem (Bichat). Nam organa sunt instrumenta vitæ potiùs quàm vita ipsa ; neque vita definienda est per ejus privationem, scilicet per mortem. — Nunc de principio vitæ statuimus sequentia :

Thesis. — *In viventibus inest primum principium vitale, distinctum a materiâ, cujus est perfectio, — distinctum etiam a viribus physicis et chimicis, — indistinctum autem a formâ substantiali, — ideoque unicum in unoquoque vivente.*

693. **Principium vitale est distinctum a materiâ.** — Etenim, nisi tollatur ipsa materia, ut volunt idealistæ, aut dicantur omnia vivere in hoc mundo, ut putant quidam dynamistæ, evidens est principium vitale esse distinctum a materiâ ; secus enim omne corpus viveret. Ad rem S. Th. :

Manifestum est quòd esse principium vitæ, vel vivens, non convenit corpori ex hoc quòd est corpus ; alioquin omne cor-

(1) *Summa phil. Psychologia*, l. I, cp. I, art. 1.
(2) *Institutiones phil. Cosmologia*, cp. III, nº 72.

pus esset vivens aut principium vitæ. Convenit igitur alicui corpori quòd sit vivens, vel etiam principium vitæ, per hoc quòd est tale corpus. Quod autem est actu tale, habet hoc ab aliquo principio quod dicitur actus ejus (1).

694. **Principium vitale est distinctum a viribus physicis et chimicis.** — Ultra progredientes, asserimus contra materialistas aliosque non paucos primum principium vitale, etiam vegetativum, quo plantæ discriminantur a mineralibus, esse distinctum a viribus physicis et chimicis, proindeque non esse meram qualitatem corporum. Etenim.

1° Actiones et reactiones physicæ vel chimicæ non sunt actus vitales, id est, actus seu motus quorum principium et terminus sunt in subjecto.

2° Si comparantur sedulò viventia cum non viventibus, apprehenduntur maximæ differentiæ et oppositiones, quæ naturam dissimilem demonstrant.

695. **Characteres quibus viventia distinguuntur.** — Characteres ejusmodi ad sequentia revocari possunt :

1° *Organisatio et structura.* Ea quæ non vivunt constant ex partibus *homogeneis* et appositis, quarum unaquæque nonnisi accidentaliter ordinatur ad alias; viventia autem constant ex partibus *heterogeneis* et ita adunatis ut unaquæque dependeat essentialiter ab aliis.

2° *Compositio chimica.* Corporum non viventium elementa sunt simplicia vel composita secundùm leges proportionum chimicarum ; viventia autem sunt semper composita ex variis elementis, sed paucis, neque secundùm easdem leges adunatis.

3° *Figura.* Mineralia induunt naturaliter formas geometricas ; viventia autem non induunt nisi formas curvas, indefinitas, quamvis sint similes in eâdem specie.

4° *Ortus.* Mineralia exsurgunt ex variâ ac sæpe fortuitâ molecularum accessione ; viventia autem oriuntur per generationem proprie dictam. Hinc qualitates hæreditariæ, quæ nonnisi in viventibus observantur.

5° *Incrementum.* Mineralia crescunt per additionem seu

(1) 1[a], q. 75, a. 1.

juxtapositionem ab extrinseco : unde crescere possunt in infinitum. Viventia autem crescunt per intussusceptionem et intra limites suæ speciei.

6° *Conservatio et evolutio.* Mineralia perdurare possunt in infinitum, sine ullâ mutatione, sed seipsos reparare non possunt et nonnisi separatione molecularum pereunt. Corpora autem viventia continuò moventur et mutantur : crescunt, postquam nata sunt, seipsos reparare multoties possunt, tandem debilitantur et pereunt, non quidem separatione molecularum, sed cessatione motûs interni. Hinc mors, quæ est ipsis propria.

7° *Viventium flexibilitas.* Denique viventia sunt flexibilia plus minusve, id est, eorum natura se aptare potest his quæ circumstant et varias modificationes suscipere. Exinde innumeræ varietates plantarum et animalium intra eamdem speciem. Mineralia autem sunt ubique et semper eadem.

696. **Conclusio**. — Ex his omnibus inferre licet quoddam principium internum et specificum inesse viventibus, quod longe præstat viribus physicis et chimicis. Hoc autem principium non potest esse aliud nisi ipsa essentia.

697. **Primum principium vitale est ipsa forma substantialis**. — Nam corpora, ut ostensum est, constant ex materiâ, quæ est omnibus corporibus communis, et formâ substantiali, quæ illa specificat et est principium omnium operationum. Aliunde, primum principium vitale sit aliquid essentiale viventibus oportet. Ergo primum principium vitale est ipsa forma substantialis. Alia principia vitæ (ex. gr. cerebrum, cor, sensus externi vel interni) non sunt principia nisi secundaria.

698. **In omni vivente vita est una sicut ipsa forma substantialis**. — Hæc conclusio est indubia, cùm primum principium vitæ non sit distinctum a formâ substantiali. Unde omne vivens est unum vivens sicut est unum ens. Si essent duo vel plura prima principia vitæ, jam esset quasi societas viventium. Sane quædam viventia imperfecta (sicut arbores, polypi, spongiæ, quidam vermes) videntur esse societates

viventium ; sed animalia perfecta unicam individualitatem præ se ferunt. Nam unumquodque eorum constat ex partibus et organis essentialiter adunatis; unde eamdem vitam participant.

699. **Vita est multiplex in potentiâ.** — Ceterùm, etiam in viventibus perfectis, homine non excepto, unumquodque organum est principium secundarium vitæ, quod quandoque motus vitales exequi potest post amissionem primi principii vitalis. Inde fit ut barba, capilli, ungues crescant post mortem. A fortiori, in viventibus imperfectis, principia secundaria vitæ exequi possunt quosdam motus vitales, postquam amissa est prima forma substantialis. Imò, non pauca viventia imperfecta multiplicari possunt merâ sectione seu divisione. Hæc et alia similia non demonstrant esse plura prima principia vitæ, sed vitam esse multiplicem in potentiâ. Vita autem multiplicatur perfecte per generationem.

700. **Conclusiones contra vitalistas**, etc. — Hinc jam confutantur vitalistæ, qui contendunt esse plura prima principia vitæ in eodem vivente. Sane plura sunt principia secundaria vitæ : ex. gr. aliud est principium vitæ intellectualis, aliud principium vitæ sensitivæ, aliud principium vitæ vegetativæ. Sed omnia principia secundaria conveniunt in uno et eodem principio substantiali, quo vivens est essentialiter unum.

Hinc etiam illi confutantur qui primum principium vitæ vegetativæ, aut etiam vitæ sensitivæ, non distinguunt ab ipsis organis. Organa non sunt nisi principia secundaria ; respectu autem primi principii sunt potiùs effectus et instrumenta.

701. **Objectiones.** — 1° Non pauci inveniuntur inter doctos rerum naturalium qui vitam, saltem vegetativam, explicant per organa atque vires physicas et chimicas.

Resp. — Quæstio de primo principio vitæ non est physica sed metaphysica; pertinet autem ad scientiam naturalem principia secundaria determinare operationesque vitales describere. Ceterùm, multi docti rerum naturalium veram doctrinam de primo principio vitæ agnoverunt aut suspicati sunt

2° Illud primum principium vitæ non concipitur nisi sit simplex ad modum spirituum. Sed nihil spirituale ingreditur plantas vel bruta.

Resp. — Illud principium primum vitæ, in plantis et brutis, non est spirituale, cùm non possit existere sine materiâ. Non est difficiliùs illud concipere quàm attractiones, repulsiones, fluida aliaque ejusmodi quæ ratione deteguntur aut supponuntur.

3° Multi actus vitales non videntur esse immanentes : ita scribere, pingere, loqui, laborare. Et revera non desunt jam machinæ quæ scribunt, loquuntur, laborant.

Resp. — Actus vitales organici, sicut scribere, pingere, loqui, laborare, important quidem motum mechanicum, sed ab eo plane distinguuntur. Sane motus mechanicus est transiens, et effectum producit; sed motus vitalis est immanens et ipsum viventem perficit.

4° Inter viventia et mineralia videntur quidem maximæ differentiæ et oppositiones ; quæ tamen minores evadunt et evanescunt, dum ad viventia imperfecta attendimus.

Resp. — Etiam viventia imperfecta a mineralibus differunt propter aliquem motum spontaneum et immanentem, saltem propter nutritionem, quæ est actus vitalis simplicissimus. Hic autem actus maximam differentiam specificam demonstrat.

CAPUT XLII

DE VITA VEGETATIVA NECNON DE VITA ANIMALI

Postquam dictum est de vitâ in genere, agendum est de vitæ gradibus et speciatim de vitâ vegetativâ et de vitâ animalium. Hinc :

THESIS. — *In infimo gradu viventium inveniuntur plantæ, quæ differunt essentialiter ab animalibus, etiam maxime imperfectis. — Animalia verò non habenda sunt ut automata, sed informantur animâ sensitivâ, — quæ, cùm non sit intellectiva et rationalis — nullo modo spiritualis dicenda est.*

702. **De vitæ gradibus**. — Primò determinandi sunt gradus vitæ, quorum ultimum plantæ occupant. Determinantur autem sic : Cùm vivere sit seipsum movere, quantò perfectiùs aliquid se movet, tantò perfectiùs vitam habet. Porro aliqua entia se movent exequendo motum, sed non acquirendo formam per quam agunt, neque cognoscendo finem : ejusmodi sunt plantæ. Alia verò movent seipsa, vi formæ quam acquirunt, scilicet vi cognitionis sensibilis plus mìnusve perfectæ ; unde etiam varii gradus vitæ sensibilis : ejusmodi sunt animalia. Sed nobilior est homo, qui non solùm se movet per formam quam acquirit, scilicet per cognitionem, sive sensitivam sive intellectivam, sed etiam sibi præstituit finem. Attamen homo non se movet absolute, cùm moveatur a primis principiis speculativis et ab ultimo fine. Solus Deus nonnisi a seipso movetur, et ideo ejus vita est absolute perfecta. Hæc doctrina his verbis a S. Th. exponitur :

Inveniuntur quædam quæ movent seipsa... solùm quantùm ad executionem motûs ; sed forma per quam agunt, et finis propter quem agunt, determinantur eis a naturâ. Et hujusmodi sunt plantæ... Quædam verò ulteriùs movent seipsa, non solùm habito respectu ad executionem motûs, sed etiam quantùm ad formam, quæ est principium motûs, quam per se acquirunt. Et hujusmodi sunt animalia, quorum motûs principium est forma non a naturâ indita, sed per sensum accepta. Unde quantò perfectiorem sensum habent, tantò perfectiùs movent seipsa. Nam ea quæ non habent nisi sensum tactûs, movent solùm seipsa motu dilatationis et constrictionis ; ut ostrea, parum excedentia motum plantæ. Quæ verò habent virtutem sensitivam perfectam, non solùm ad cognoscendum conjuncta et tangentia, sed etiam ad cognoscendum distantia, movent seipsa in remotum motu processivo. Sed quamvis hujusmodi animalia formam quæ est principium motûs per sensum accipiant, non tamen per seipa præstituunt sibi finem suæ operationis vel sui motûs, sed est eis inditus a naturâ, cujus instinctu ad aliquid agendum moventur per formam sensu apprehensam. Unde supra talia animalia sunt illa quæ movent seipsa, etiam habito respectu ad finem quem sibi præstituunt. Quod quidem non fit nisi per rationem et intellectum, cujus est cognoscere proportionem finis, et ejus quod est ad finem, et unum ordinare in alterum. Unde perfectior modus vivendi est eorum quæ habent intellectum... Sed quamvis intellectus noster ad aliqua se agat, tamen aliqua sunt ei præstituta a naturâ ; sicut sunt prima

principia, circa quæ non potest aliter se habere; et ultimus finis, quem non potest non velle. Unde, licèt quantùm ad aliquid moveat se, tamen oportet quòd quantùm ad aliqua ab alio moveatur Illud igitur cujus sua natura est ipsum ejus intelligere, et cui id quod naturaliter habet non determinatur ab alio, hoc est quod obtinet summum gradum vitæ. Tale autem est Deus (1).

703. **Vita plantæ.** — Nunc ad vitam plantæ attendentes, distinguere debemus præcipuas potentias vegetativas, quæ fluunt ex formâ substantiali sicut ex primo suo principio. Tres numerantur, quæ etiam partes animæ vegetativæ dicuntur, scilicet: nutritiva, augmentativa et generativa. Hæc divisio sic explicatur :

Vegetativum... habet pro objecto ipsum corpus vivens per animam; ad quod quidem corpus, triplex animæ operatio est necessaria. Una quidem, per quam esse acquirat; et ad hoc ordinatur potentia generativa. Alia verò per quam corpus vivum acquirit debitam quantitatem; et ad hoc ordinatur vis augmentativa. Alia verò per quam corpus viventis salvatur et in esse et in quantitate debitâ; et ad hoc ordinatur vis nutritiva. Est tamen quædam differentia attendenda inter has potentias. Nam nutritiva et augmentativa habent suum effectum in eo in quo sunt... Sed vis generativa habet effectum suum non in eodem corpore, sed in alio. Et ideo vis generativa quodammodo appropinquat ad dignitatem animæ sensitivæ, quæ habet operationem in res exteriores... Et ideo inter istas tres potentias finalior et principalior et perfectior est generativa... Generativæ autem deserviunt et augmentativa et nutritiva; augmentativæ verò nutritiva (2).

Igitur nutritio videtur esse operatio fundamentalis et simplicissima vitæ vegetativæ proindeque omnium plantarum et omnium animalium.

Ad tres potentias supra dictas revocantur omnes operationes vegetativæ : fecundatio et germinatio, absorptio, digestio et assimilatio; circulatio succorum, respiratio, etc. quæ alio et perfectiori modo inveniuntur in animalibus.

704. **Planta non sentit.** — At quæcumque sit perfectio hujus vel illius speciei plantarum, nulla planta sen-

(1) I^a, q. 18, a. 3.
(1) 1^a, q. 78, a. 2.

tire potest. Unde facultate sentiendi animalia distinguuntur a plantis.

Etenim 1° si functiones vegetativæ sentiendo perficerentur in plantis, id etiam contingeret in nobis; nam vegetat homo pluresque partes corporis humani inveniuntur in quibus sola vita vegetativa exercetur (ungues, capilli, etc.). Atqui id non contingit in nobis. Ergo neque etiam in plantis.

2° Si plantæ sentirent, non destituerentur organis ad sentiendum necessariis. Atqui non invenitur in plantis ullum vestigium organorum quæ ad sentiendum requiruntur, scilicet nervorum, qui ducuntur in corpus omnium animalium.

3° Nihil est supervacaneum in operibus naturæ. Porro sensatio esset supervacanea in plantis, quæ fugere aut persequi non possent id quod sensu cognoscerent.

705. **Errores de animâ brutorum.** — De primo principio vitæ brutorum, quod jam anima vocatur, multi decepti sunt: alii per defectum et alii per excessum. Per defectum decepti sunt Cartesius et Malebranchius, qui arbitrati sunt animalia esse mera automata. Per excessum autem decepti sunt qui existimaverunt animam brutorum non differre essentialiter ab animâ spirituali hominum. Hos et illos confutabimus.

706. **Animalia non sunt mera automata.** — Etenim animalia vere sentiunt, sicut et nos, cùm non destituantur sensibus externis et internis : vident, audiunt, etc., sentiunt se sentire, imaginantur, memoriam rerum retinent. Sensibilitas quâ fruuntur videtur valde similis nostræ, ut patet ex eorum passionibus seu appetitibus et instinctu, necnon ex inspectione organorum quibus utuntur. Nam non multùm differunt organa perfectorum animalium ab organis hominis ; maxime autem differunt ab organis infimorum. Unde scientia naturalis hodierna omnino confutavit opinionem cartesianorum, qui sensibilitatem brutis denegabant : ostendit enim sensibilitatem non esse in animâ solâ, sed in composito ex animâ et organis. Hæc diffusiùs explicabuntur in psychologiâ, ubi agemus de animâ sensitivâ.

707. **Animalia non intelligunt**. — Attamen animalia bruta intellectu proprie dicto non fruuntur. Nam intellectus est facultas quâ essentiæ seu naturæ et universalia apprehenduntur; unde verum, pulchrum, honestum cognoscuntur. Intellectus non differt realiter a ratione, quâ genus humanum Deum agnoscit, scientias et artes condidit et de die in diem mirabiliter profecit. (V. psych. ubi de animâ intellectivâ.)

708. **Anima brutorum non est spiritualis**. — Itaque anima brutorum non est spiritualis, cùm tota sit in sensibus proindeque in organis, non cognoscens nisi particulare, concretum, sensibile; unde perit unà cum organis et sensibus. Non proprie annihilatur, cùm non sit ens subsistens, sed relabitur in potentiam materiæ e quâ educta fuerat. Ad rem S. Th. :

Respondeo dicendum quòd antiqui philosophi nullam distinctionem ponebant inter sensum et intellectum ; et utrumque corporeo principio attribuebant... Plato autem distinxit inter intellectum et sensum ; utrumque tamen attribuit principio incorporeo, ponens quòd sicut intelligere, ita et sentire convenit animæ secundùm seipsam ; et ex hoc sequebatur quòd etiam animæ brutorum animalium sint subsistentes. Sed Aristoteles posuit quòd solum intelligere inter opera animæ sine organo corporeo exercetur. Sentire verò et consequentes operationes animæ sensitivæ manifeste accidunt cum aliquâ corporis immutatione ; sicut in videndo immutatur pupilla per speciem coloris ; et idem apparet in aliis. Et sic manifestum est quòd anima sensitiva non habet aliquam operationem propriam per seipsam ; sed omnis operatio animæ sensitivæ est conjuncti. Ex quo relinquitur quòd, cùm animæ brutorum animalium per se non operentur, non sint subsistentes : similiter enim unumquodque habet esse et operationem (1).

709. **Objectio**. — Opera industriæ et artis sunt effectus et signa intelligentiæ ; porro bruta animalia et præsertim quædam bestiolæ, ut apes, formicæ, mira opera industriæ et artis edunt. Ergo intelligentiâ non destituuntur.

Resp. — Opera et mirabiles instinctus animalium intelligentiam Creatoris demonstrant, non autem ipsorum animalium,

(1) 1a, q. 75, a. 3.

cùm ista relationem mediorum cum fine non cognoscant, nec mutare et perficere sua opera possint, sed uniformiter agant ab initio. Unde, dicit S. Th. :

Alia animalia ab homine intellectum non habent : quod ex hoc apparet, quia non operantur diversa et opposita, quasi intellectum habentia, sed sicut a naturâ mota ad determinatas quasdam operationes et uniformes in eâdem specie, sicut omnis hirundo similiter nidificat (1).

710. **Species animalium; earum ordinatio**. — Indubium est, post ea quæ dicta sunt contra transformismum, esse multas species animalium proprie dictas. Pertinet autem ad scientiam naturalem potiùs quàm ad philosophiam species determinare easque ordinare a generibus supremis usque ad ultimas species. Unde pauca dicemus de præcipuis ordinationibus.

1° Aristoteles divisit animalia in duo genera suprema : animalia quorum sanguis est ruber; animalia sine sanguine. Inter illa enumerat : hominem, quadrupedes, aves, serpentes, pisces, cete.

2° Linneus divisit animalia in sex classes (*mammifères*, *oiseaux*, *amphibies*, *poissons*, *insectes*, *vers*), quas subdividit in ordines, qui comprehendunt genera naturalia et omnes species. Istæ designantur duobus nominibus, quorum unum designat genus, alterum verò speciem. Ex. gr. *felis leo*, *felis tigris*. Primùm Linneus putabat omnes species esse philosophicas, id est, differre inter se propter naturam ipsam ; sed deinde æstimavit sola genera quæ a doctis rerum naturalium determinantur differre essentialiter.

3° Cuvier divisit regnum animale in quatuor ramos seu typos, quos vocat *embranchements* (*vertébrés*, *mollusques*, *articulés*, *zoophytes*). Primus comprehendit 4 classes (mammifères, oiseaux, reptiles, poissons); secundus comprehendit 6 classes, etc.

4° Hodie communiter dividitur regnum animale in septem ramos (*vertébrés*, *mollusques*, *arthropodes*, *vers*, *échinodermes*, *cœlentérés*, *protozoaires*).

(1) Cg., lib. II, c. LXVI.

Multæ species distinctæ sunt et quotidie novæ inveniuntur aut distinguuntur. Porro nulla earum unquam visa est mutari in aliam. Sed etiamsi aliquæ species mutarentur in vicinas, ex hoc sequeretur tantùm illas species non esse philosophicas, sed meras varietates.

FINIS VOLUMINIS PRIMI.

INDEX

Pages.

Préface ....

Lexicon scholasticum 7

INTRODUCTIO

CAPUT I

Philosophiæ definitio et divisio, excellentia ; ejus relatio cum fide 29

1. Philosophiæ definitio quoad nomen. — 2. Quoad rem. — 3. Philosophiæ universalitas et unitas. — 4. Quarumdam definitionum critica. — 5. Philosophiæ objectum materiale et objectum formale. — 6. Philosophiæ divisio. — 7. Subdivisiones præcipuæ. Logica. — 8. Philosophia realis. — 9. Philosophia moralis. — 10. Quarumdam divisionum philosophiæ critica. — 11. De psychologiæ præstantiâ. — 12. Critica. — 13-14. Ordo disciplinarum philosophicarum. — 15. Philosophiæ excellentia. — 16. Philosophiæ utilitas. — 17. Philosophiæ et fidei officia mutua.

LOGICA

CAPUT II

De logica in genere 39

18. Logicæ objectum non est reale. — 19. Opus logicæ : consentire sibi. — 20. Logicæ definitio. — 21. Aliæ definitiones. — 22. Logica et error. — 23 Logica et veritas. — 24. Logica estne ars an verò scientia? — 25. Logica naturalis, logica artificialis. — 26. Logicæ scientificæ necessitas. — 27. Error Augusti Comte. — 28. Logica aristotelica. — 29. Logicæ divisio. — 30. Quædam objectiones solvuntur. — 31. Logica est scientia distincta. — 32. Logicæ et grammaticæ mutua relatio. — 33. Logica est necessaria utpote scientia veritatis.

CAPUT III

De dialectica et speciatim de ideis 43

34. Dialecticæ divisio : tres operationes mentis. — 35 Idea. — 36. Idearum comprehensio et extensio. — 37. Idea non est imago sen-

sibilis. — 38. Actuum sensibilium cum actibus spiritualibus analogia. — 39. Idea et quædam ei comitantia : apprehensio. — 40. Ideæ duplex character : unum subjectivum et aliud objectivum. — 41. Notio. Conceptus. — 42. Attentio Abstractio. — 43. Reflectere, meditari, contemplari, cogitare. — 44. Alii fontes idearum. — 45. Idearum divisio. Idea positiva; idea negativa. — 46. Idea simplex ; idea composita. — 47. Idea geometrica; idea pura. — 48. Idea sensibilis ; idea intellectualis. — 49. Idea concreta; idea abstracta. — 50. Idea realis; idea logica. — 51. Idea singularis ; idea universalis ; idea particularis ; idea collectiva. — 52. Idea univoca; idea analoga. Analogia proportionis, attributionis. — 53. Præcipuæ ideæ analogæ. — 54 Præcipuæ ideæ univocæ. Universalia : genus, species, etc. — 55. Quædam notanda : Ea quæ sunt ejusdem generis sunt comparabilia. — 56. Genus et differentia se habent sicut materia et forma, potentia et actus. — 57. Distinguenda est species realis a specie mere logicâ. — 58. Animalia omnia suntne ejusdem speciei realis ? — 59. Genus majorem extensionem sed minorem comprehensionem habet quàm species. — — 60. Ordinatio generum et specierum. — 61. Distinctio, differentia, diversitas. — 62. Prædicabilia, modi attributionis. — 63. Categoriæ, attributa maxime generalia. — 64. Aliæ notiones generalissimæ. — 65. Absolutum et relativum. Modus. — 66. Idea clara, idea obscura. — 67. Quæcumque sit quæstio, oportet studere claritati et concordiæ idearum. — 68. Idea distincta; idea confusa. — 69. Idea completa, idea incompleta. Idea adæquata, idea inadæquata. — 70. Ideæ veræ, ideæ falsæ. — 71. Ideæ identicæ. — 72. Ideæ associatæ. — 73. Ideæ consociabiles; ideæ oppositæ. Quatuor species oppositionis. — 74. Ideæ intuitivæ, ideæ abstractivæ ; directæ, reflexæ ; innatæ, adventiciæ, facticiæ.

CAPUT IV

De signis et speciatim de terminis........................ 56

75. Signum. — 76. Signum formale, signum instrumentale. — 77. Signum naturale, signum conventionale. — 78. Signum artificiale seu mixtum. — 79. Signum certum ; signum incertum et æquivocum. — 80. Signum sacrum, signum profanum. — 81. Signum intelligibile, signum sensibile. — 82. Scriptura. — 83. Signa perfectissima sunt verba. — 84. Objectiones. — 85. Sermonis essentia : quomodo differt a voce animalium. — 86. De sermonis origine animadversio. — 87. Sermonis decompositio seu analysis. Grammatica generalis. — 88. Orationis partes materiales et partes formales. — 89. Vocabulum : nomen, adjectivum, etc. — 90. Verbum. — 91. Orationis prima elementa : relationes subjecti et attributi. — 92. Vocabulorum formatio et historia. — 93. Termini; eorum divisiones. — 94. Termini identici, synonyma, etc — 95. Termini univoci, analogi, æquivoci. — 96. De æquivocationibus vitandis. — 97. Linguæ gallicæ perspicuitas.

CAPUT V

Pages.

De definitione et divisione.......................... 64

98. Definitio. — 99. Divisio. — 100. Definitio nominis; definitio rei. – 101. Etymologia. — 102. Definitio essentialis : physica, metaphysica seu logica. — 103. Definitiones imperfectæ : extrinsecæ et intrinsecæ. — 104. Definitio descriptiva; definitio genetica. — 105. Definitio vulgaris; definitio arbitraria. — 106. Definitionis regulæ. — 107. Utrùm omnia possint definiri ? — 108. Definitio secundùm Pascal. — 109. De mediis inveniendi definitionem. — 110. Quanti momenti sit definitio. — 111. Divisio. Totum reale; totum logicum. — 112. Totum physicum; totum metaphysicum. — 113. Totum essentiale, integrale, potentiale, accidentale. — 114. Divisionis regulæ.

CAPUT VI

De judicio et propositione.......................... 69

115. Judicium ; ejus natura. — 116. Judicium non est unquam prima operatio mentis. — 117. Judiciorum species. Relationes terminorum. — 118. Judicium analyticum; judicium syntheticum. — 119. Judicia synthetica a priori. — 120. Judiciorum regulæ. — 121. Propositio : est solummodò unum orationis elementum. — 122. Propositionis materia et forma. — 123. Notanda : verbum se tenet ex parte prædicati. — 124. Verbum esse. — 125. Termini expliciti et termini impliciti ; termini simplices et termini complexi. — 126. Propositionis species : propositio naturalis, innaturalis, præter naturam. — 127. Propositio simplex; propositio composita, etc. — 128. Propositio universalis; propositio particularis. Notanda. — 129. Propositiones affirmativæ vel negativæ; veræ vel falsæ. — 130. Propositionum compositarum species. — 131. Propositiones modales, exponibiles, complexæ. — 132. Propositionum proprietates, oppositio, æquivalentia, conversio. — 133. Lex propositionum contradictoriarum. — 134. Propositiones contrariæ; earum lex. — 135. Propositiones subcontrariæ; earum lex. — 136. Propositiones subalternæ; earum lex. — 137. Propositionum æquipollentia ejusque lex. — 138. Propositionum conversio ejusque lex. — 139. Harum regularum utilitas.

CAPUT VII

De ratiocinio et syllogismo.......................... 82

140. Ratiocinium. — 141. Medius terminus. — 142. Deductio immediata : utrùm detur aliquando. — 143. Principium identitatis est ratiocinii fundamentum. — 144. Syllogismi aliæ leges generales. — 145. Syllogismus : ejus species. — 146. Syllogismi elementa. — 147. Syllogismi regulæ. — 148. Syllogismi figuræ et modi. — 149. Figurarum leges. — 150. Daturne quarta figura? — 151. Modi syllogismi.

— 162. Objectiones contra logicam aristotelicam. — 153. Critica. — 154. Syllogismi compositi, etc. — 155. Enthymema. — 156. Epicherema. — 157. Sorites. — 158. Sorites non est ratiocinii typus — 159. Polysyllogismus. — 160. Dilemma.

CAPUT VIII

DE INDUCTIONE 91

161. Inductio et deductio. — 162. Inductio est verum ratiocinium. — 163. Inductio certidudinem quærit. — 164. Inductionis et deductionis relationes. — 165. Syllogismus deductivus et inductivus. — 166. Observatio, experimentum. — 167. Non datur inductio sine aliquâ deductione. — 168. Inductio non fuit inventa. — 169. Inductionum species. — 170. Inductionis fundamentum. — 171. Inductionis regulæ generales. — 172. Opiniones de distinctione inductionis et syllogismi. — 173. Utrùm inductio nullam vim probandi habeat sine syllogismo? — 174. Corollarium contra Stuart Mill, etc. — 175 Spencer.

CAPUT IX

DE STATIBUS INTELLECTUS RESPECTU VERITATIS ET SPECIATIM DE ERRORE ET DE SOPHISMATIBUS 95

176. Scientia et fides. — 177. Certitudo ejusque gradus. — 178. Ignorantia. — 179. Error, opinio, dubium. — 180. Sophisma; ejus species. — 181. Sophismata in voce. — 182. Sophismata in re. — 183. Sophismata inductionis, deductionis, etc. — 184. Causæ sophismatum et erroris. — 185. Methodus moralis. — 186. Variæ ordinationes sophismatum et errorum.

CAPUT X

DE DEMONSTRATIONE 100

187. Argumentatio demonstrativa, probabilis. — 188. Quid ad scientiam confert argumentatio probabilis. — 189. Argumentationis probabilis species. Rationes convenientiæ. — 190 Rationes auctoritatis; earum usus in philosophiâ. — 191. Historiæ philosophiæ utilitas — 192. Demonstratio. Cur varietur. — 193. Demonstrationum species. — 194. Quæstiones quæ circa aliquid moveri possunt. — 195. Investigationis media, loca demonstrationis. — 196. Argumentationis utilitas et regulæ.

CRITICA SEU CRITERIOLOGIA

CAPUT XI

DE CRITICA ET PRIMO DE VERITATE ET CERTITUDINE. SCEPTICISMI EXAMEN GENERALE 105

197. Critica; ejus objectum; divisio.

Thesis. — *Veritas et error sunt proprie in judicio, non autem in merâ apprehensione aut ideâ; — neque in sensibus, nisi quatenus sensus judicium intellectûs imitantur. — Veritas non possidetur nisi per judicium objective certum, excludens non modò dubium, sed etiam quamcumque probabilitatem errandi. — Ceterùm, certitudo quamvis sit essentialiter indivisibilis, admittit tamen gradus accidentales atque etiam species : unde distinguuntur certitudines metaphysicæ, mathematicæ, physicæ, morales, quibus præest absolute certitudo fidei. — Quoad certitudinem naturalem de quâ nunc agitur, possibile est eam obtinere; qui hoc negaret, cum scepticis, vim faceret ipsi naturæ et multimode sibi ipsi contradiceret.*

198. Veritas et falsitas sunt in judicio. — 199. Ideæ falsæ. — 200. Cognitio perficitur in judicio. — 201. Quomodo veritas et error sunt in sensibus. — 202. Objectiones. — 203. Veritas non possidetur nisi per judicium objective certum. — 204. Quomodo certitudo admittit gradus et species. — 205. Objectiones. — 206. De scepticismo ejusque variis formis. — 207. Scepticismus et dogmatismus comparantur. — 208. Mysticismus. — 209. Scepticismus universalis, particularis, absolutus, hypotheticus. — 210. Scepticismus sophistarum : Pyrrhonis, etc. — 211. Montaigne, Bayle, Hume, Kant. — 212. Scepticismus vim infert ipsi naturæ. — 213. Scepticismi effectus pessimi. — 214. Scepticorum contradictiones — 215. Scepticismus non directe confutatur. — 216. Scepticismi pejor absurditas. — 217. Objectiones.

CAPUT XII

De criteriis subjectivis seu de facultatibus cognoscendi.. 114

218. Hujus capitis objectum. — 219. Facultates cognoscendi.

Thesis. — *Sensus externi sunt infallibiles circa objectum suum' servatis conditionibus ab intellectu requisitis. — At, quoad ipsam existentiam corporum in genere sunt infallibiles omnino : nisi enim corporalia existerent, ipsæ sensationes non essent. — Conscientia autem, sive sensibilis, sive intellectualis est infallibilis circa proprium objectum. — Item intellectus, quatenus distinguitur a ratione. — Quæ, simul cum memoriâ et præsertim imaginatione, est fallibilis; sed nunquam error oritur ex ipsis facultatibus, quibus accidit.*

220. Sensus externi. — 221. Testimonii sensuum critica. — 222. Conditiones requisitæ. — 223. Difficultas de colore. — 224. Conditiones requisitæ pro qualitatibus communibus. — 225. Conditiones pro substantiis requisitæ. — 226. Objectiones. — 227. De sensibus quatenus referunt ipsam existentiam corporum. De idealismo. — 228. Persuasio naturalis et indeclinabilis. — 229. Organorum dispositio. — 230. Repræsentationes supponunt existentiam corporum. — 231. Idealismi absurditates. — 232. Corollarium contra Cartesium, Malebranchium. — 233. Perceptio externa est immediata. — 234. Omnes perceptiones

externæ sunt objectivæ. — 235. Objectiones. — 236. In propriis limitibus, conscientia est infallibilis. — 237. Absurdum est dubitare de conscientiâ. — 238. Objectiones. — 239. Conscientiæ criterium. — 240. *To ego* reale et conscientia. — 241. Homo seipsum cognoscit per actus suos. — 242. Intellectus est infallibilis. — 243 Objectiones. — 244. Ratio, cum memoriâ, etc. est fallibilis. — 245. Error nunquam oritur ex facultatibus ipsis. — 246. Objectio.

CAPUT XIII

De criteriis objectivis seu motivis certitudinis et speciatim de evidentia.................................. 126

247. Criteria objectiva. — 248. Criterii supremi necessitas.

Thesis. — *Criterium supremum veritatis seu ultimum motivum certitudinis est evidentia objecti. Nullum aliorum, quamvis sint plus minusve utilia et necessaria, huic anteponendum est : neque sensus, — neque conscientia, — neque fides veracitatis potentiarum, — neque instinctus cæcus naturalis, — neque affectio quæ dicitur « sentiment », — neque revelatio divina, — neque consensus communis generis humani, — neque idea clara et distincta, nisi pro evidentiâ objecti habeatur, — neque rationes æternæ rerum in intellectu divino spectatæ, — neque prima principia demonstrationum, etc.*

249. Evidentia objecti. — 250. Evidentia et certitudo : objectiva vel subjectiva. — 251. Definitio cartesiana. Critica. — 252. Evidentia intrinseca, extrinseca ; mediata, immediata. — 253. Criterium supremum est objectivum. — 254. Conditiones requisitæ ad criterium supremum. — 255. Objectiones. — 256. Criterium sensuum. — 257. Principium sensismi est falsum. — 258. Sensistæ sibimet contradicunt — 259. Criterium conscientiæ. — 260. Fides veracitatis potentiarum. — 261. Instinctus cæcus. — 262. Animi affectus. — 263. Divina revelatio. — 264. Objectio. — 265. Consensus generis humani. — 266. Ratio seu sensus communis. — 267. P. Venturæ opinio. — 268. Idea clara et distincta, a Cartesio proposita. — 269. Ratio æterna rerum. — 270. Prima principia. — 271. Opinio Vici. — 272. Opinio Rosminii. — 273. Objectiones.

CAPUT XIV

De criteriis extrinsecis, sive de auctoritate........... 134

274. Auctoritas ; ejus species. Traditio. — 275. Historia : monumenta, documenta.

Thesis. — *Inter criteria extrinseca veritatis numeranda sunt : 1° revelatio seu auctoritas divina, absolute necessaria quoad veritates quæ rationis captum superant, perutilis autem quoad plures alias ; 2° auctoritas humana, sive historica, sive doctrinalis, et speciatim ratio communis seu sensus communis. — Et quamvis auc-*

toritas, quæcumque sit, nunquam scientiam per seipsam conferat, tamen eam assidue consulere oportet.

276. Auctoritas divina, criterium veritatis. — 277. Revelationis necessitas quoad veritates supernaturales. — 278. Existentia ordinis supernaturalis. — 279. Revelationis utilitas. — 280. Revelatio respectu scientiæ humanæ. — 281. Auctoritas humana, criterium veritatis. — 282. Scepticismus historicus. — 283. Semi-scepticismus; ejus critica. — 284. Criticæ historicæ necessitas. — 285. Sapientium auctoritas. — 286. Ratio universorum. — 287. Auctoritas et scientia. — 288. Cartesii, etc. critica. — 289. Philosophia perennis et christiana.

CAPUT XV

De universalibus.. 139

290. Tractatus de universalibus pertinet ad logicam. — Universale definitur et dividitur. — 292. Quæstio proposita. — 293. Præcipua systemata. — 294. Nominalismus, realismus, conceptualismus.

Thesis. — *Admitti non potest nominalismus purus, scilicet sensistarum, nominalium et positivistarum, — neque conceptualismus absolutus Abelardi et Kantii, — neque etiam realismus exaggeratus platonicorum, ontologistarum, Guillelmi Campellensis, pantheistarum. — Sed dicendum est universale reflexum seu logicum non existere nisi in mente, universale verò directum seu metaphysicum existere in rebus, — id est, universale esse objectivum quoad id quod exprimit, non autem quoad modum quo exprimit. — Eamdem adhuc sententiam profitentur scholastici dicendo universale esse petentialiter seu materialiter in rebus, formaliter autem et actu in mente.*

295. Nominalismi puri confutatio. — 296. Negare universale est pervertere naturam sermonis. — 297. Negare universale est scientiam destruere. — 298. Abelardi conceptualismus. — 299. Kantii conceptualismus. — 300. Confutatio. — 301. Realismus exaggeratus. — 302. Platonis confutatio. — 303. Ontologistarum confutatio. — 304. Guillelmus Campellensis. — 305. Pantheismus realismum consequitur. — 306. Panentheismus, — 307. Hegel. — 308. Conclusio. — 309. Quomodo universale est objectivum. — 310- Ejusdem doctrinæ alia formula. — 311. Objectiones.

CAPUT XVI

De judiciis supremis seu de principiis primis cognitionis.. 149

312. Questiones solvendæ.

Thesis. — *Non datur aliquod principium ita primum ut ex illo cetera omnia proprie demonstrentur, — sed revera datur aliquod principium primum quod in ceteris omnibus latet implicitum, hoc est :* Impossibile est aliquid esse et non esse simul et sub eodem respectu. — *Inconcussum remanet hoc principium ; — item principium*

causalitatis, — principium rationis sufficientis — et principia inducta, id est, quæ in experientiâ fundantur.

313. Primum principium. — 314. Conclusio contra transcendentalismum. — 315. Quomodo principium contradictionis est primum. — 316. Principium de medio excluso. — 317. Principium contradictionis sub formâ logicâ. — 318. Forma positiva principii contradictionis. De principio identitatis. — 319. Kantii opinio. — 320. Objectiones. — 321. Primorum principiorum concordia. — 322. Sceptici et principium contradictionis. — 323. Objectio. — 324. Scepticismus et principium causalitatis. — 325. Opinionis kantianæ critica. — 326. Principium rationis sufficientis. — 327. Principia inducta, quæ in experientiâ fundantur. — 328. Reidii critica. — 329. Galluppii critica. — 330. Humii critica. — 331. De principio : Futurum erit simile præterito. — 332. Leibnizii opinio.

CAPUT XVII

De scientiis earumque ordinatione.................... 156

333. Hujus quæstionis momentum. — 334. Scientia; ejus natura. — 335. Rerum contingentium scientia. — 336. Scientiæ actus et habitus. — 337. Veritates quæ sunt objectum scientiæ. — 338. Scientiæ origo. — 339. Scientiæ objectum. — 340. Finis scientiæ. Speculatio et praxis. Ars. — 341. Ars animalium et ars humana. — 342. Ars et scientia ; ars et prudentia. — 343. Artes liberales, artes mechanicæ. — 344. Ordinationis scientiarum principia.

Thesis. — *In omni ordinatione scientiarum attendere oportet ad hæc principia : 1° Scientiæ sunt inseparabiles ab artibus ; scientiæ practicæ, a scientiis speculativis ; artes mechanicæ, ab artibus liberalibus, ita ut omnis ordinatio completa quascumque cognitiones humanas complecti debeat. — 2° Scientiæ specificantur per objectum suum formale, et intimiùs per principia sua, quæ sunt plus minusve abstracta. 3° Ratione horum principiorum, scientiæ dividuntur generaliter in philosophicas, mathematicas et physicas seu naturales. Philosophicæ subdividuntur in logicas, metaphysicas et morales. — Porro nulla earum scientiarum principalium est alterius subalterna ; sed unaquæque principiis propriis nititur. — Omnibus præest theologia sacra. — Omnes radicantur in historiâ.*

345. Scientiæ sunt inseparabiles ab artibus, etc. — 346. Scientiæ specificantur per objectum. — 347. Scientiarum divisio fundamentalis. — 348. Non datur ulla scientia concreta. — 349. Quinque scientiæ fundamentales. — 350. Theologia præest omnibus scientiis. — 351. Omnis scientia radicatur in historiâ. — 352. De præcipuis ordinationibus scientiarum. — 353. Cujusdam ordinationis adumbratio.

CAPUT XVIII

Pages.
De methodo........ 165

354. Methodus ; quanti sit momenti. — 355. Methodi species : methodus auctoritatis, eclectica, etc. — 356. Analysis et synthesis. — 357. Methodus generalis, particularis. — 358. Methodi regulæ generales. — 359. Cartesii regulæ.

Thesis. — *Adhibenda est methodus experimentalis et rationalis, sed rejiciendæ sunt methodi empirica, idealistica et ontologica, — item methodus quæ dicitur « constructionis ». — Methodus autem auctoritatis non est universalis, neque sine restrictione est probanda methodus eclectica. — Analysis et synthesis simul adhibendæ sunt, unaquæque plus minusve, pro variis scientiis. — Denique rejicicienda est methodus cartesiana, utpote inducens in varios et graves errores.*

360. Methodus experimentalis et rationalis. — 361. Ontologorum objectiones. — 362. Methodus constructionis. — 363. Critica. — 364. Methodus auctoritatis. Eclectismus. — 365. Eclectismus Patrum. — 366. Eclectismi critica. — 367. De usu analysis et synthesis. — 368. Non datur methodus unica. — 369. De usu hypothesis. — 370. Methodus inveniendi et methodus docendi. — 371. Methodus cartesiana. — 372. Critica.

CAPUT XIX

De methodo propria quibusdam scientiis : mathematicis, physicis, etc.. 173

373. Logica unicuique scientiæ propria. — 374. Methodus theologica ; methodus philosophica. — 375. Methodus mathesi propria. — 376. Evidentia mathematica. — 377. Methodus geometrica. — 378. Methodus scientiarum physicarum. — 379. Quatuor methodi inductionis. — 380. Historia inventionum, logica applicata. — 381. Ordinatio in scientiis naturalibus. — 382. Characterum subordinatio. — 383. Methodus scientiarum socialium. — 384. Methodus historica. — 385. Ejus regulæ generales. — 386. Scepticismi historici injustitia. — 387. Regulæ speciales.

METAPHYSICA

CAPUT XX

De metaphysica : notiones prævlæ de transcendentalibus et speciatim de ente 177

388. Definitio et divisio. — 389. Ontologia. — 390. Transcendentalia.

Thesis. — *Idea entis* (necnon et realitas abstractissima quam exhibet) *est maxime transcendens, simplicissima, communissima,*

cuivis aliæ necessaria : notio entis est absolute prima, non est generica, neque proprie universalis; non potest proprie definiri, neque differentiam suscipit, sed modum; non est univoca, neque æquivoca, sed analoga. — Insuper, idea entis quæ est prima idea, est idea entis existentis potiùs quàm entis possibilis. — Nihilum, quod enti opponitur, concipi potest, sed non potest affirmari nisi cum limitatione.

391. Ideæ entis characteres. — 392. Objectio. — 393. Idea entis existentis est prior ideâ entis possibilis. — 394. Probatur. — 395. Objectio. — 396. Corollaria. — 397. Idea et affirmatio nihili.

CAPUT XXI

De essentia et existentia.................................. 183

398. Essentia. Existentia. — 399. Natura. Forma substantialis. Species. — 400. Essentia logica, essentia realis

Thesis. — *Essentiæ rerum sunt indivisibiles, immutabiles, æternæ, necessariæ, infinitæ. — Plures nobis sunt cognoscibiles. Videntur autem realiter differre ab ipsâ existentiâ.*

401. Essentiæ sunt indivisibiles. — 402. Essentiæ sunt immutabiles. — 403. Essentiæ sunt æternæ. — 404. Essentiæ sunt necessariæ. — 405. Essentiæ sunt infinitæ. — 406. Essentiæ et universalia. — 407. Omnis essentia estne simplex ? — 408. Plures essentiæ a nobis cognoscuntur. — 409. Utrùm essentia, in creatis, differat realiter ab earum existentiâ ? — 410. Rationes sententiæ thomistarum. — 411. Sententia Suarezii. — 412. Animadversiones. — 413. Conclusio.

CAPUT XXII

De potentia et actu et speciatim de possibilibus......... 191

414. Potentia et actus. — 415. Potentia realis et potentia logica. — 416. Potentia activa et potentia passiva. — 417. Potentia obedientialis. — 418. Actus. — 419. Actus purus. Actus primus. Actus secundus. — 420. Actus subsistens; actus non subsistens. — 421. Axiomata de potentiâ et actu. — 422. Possibile. Nihilum. — 423. Possibile intrinsecum, possibile extrinsecum. — 424. Errores de possibili.

Thesis. — *Essentiæ non idcirco existere possunt, id est sunt intrinsecæ possibiles, quòd a nobis concipiuntur, — vel quòd existunt, — sed eorum possibilitas a solo Deo dependet; — et quidem a Deo non spectato in potentiâ suâ infinitâ, — neque in voluntate suâ liberâ, — sed in suo intellectu et tandem in suâ essentiâ : breviùs, res sunt possibiles primùm et formaliter quia a Deo concipiuntur, et ultimò quia Deus existit.*

425. Possibilitas rerum et intellectus humanus. — 426. Possibilitas rerum et earum realitas. — 427. Omnis possibilitas a Deo. — 428. Quo-

modo possibilia a Deo pendent. — 429. Sententiæ Occami critica. — 430. Sententiæ Cartesii critica. — 431. Objectiones.

CAPUT XXIII

De unitate et distinctione............................ 197

432. Unum, unitas. Multitudo. — 433. Unitas transcendentalis et unitas mathematica. — 434. Unitas quâ res constituuntur. — 435. Unitatum species. — 436. Omne ens est unum. — 437. Identitas et distinctio. — 438. Distinctio ejusque species. — 439. Smilitudo : potestne esse absoluta?

CAPUT XXIV

De veritate.. 202

440. Veritas.

Thesis. — *Veritas est primò et principaliter in intellectu, secundariò in rebus, quatenus comparantur ad intellectum divinum. — Unde omne ens est verum; — et ideo non invenitur in rebus falsitas absoluta. — Unde etiam veritas est unica, increata, æterna, absolute immutabilis in Deo, dum est multiplex, creata, temporalis, mutabilis aliquo modo in intellectu humano.*

441. Veritas est primò in intellectu. — 442. Quarumdam definitionum critica. — 443. Omne ens est verum. — 444. Objectiones. — 445. Non datur falsitas absoluta. — 446. Veritatis characteres. — 447. Ontologorum error. — 448. Objectiones.

CAPUT XXV

De bono et malo; de perfectionibus : necessitate, simplicitate, infinitate, immutabilitate........................ 208

449. Bonum. Verum. Pulchrum. — 450. Boni fundamentum et forma.

Thesis. — *Omne ens est bonum. — Non est ergo malum absolutum neque natura essentialiter mala. — Malum oriri non potest nisi ex bono et per accidens. — Ex eo quòd omne ens est bonum non sequitur omne ens esse perfectum. — Sed imperfectum, absolute supponit perfectum; — item contingens, compositum, finitum, mutabile supponunt absolute aliquid necessarium, simplex, infinitum, immutabile.*

451. Omne ens est bonum. — 452. Animadversiones. — 453. Bonorum species. — 454. Malum. — 455. Malorum species. — 456. Manichæorum confutatio. — 457. Mali origo. — 458. Bonitas et perfectio. — 459. Perfecti et perfectionis species. — 460. Perfectum absolute supponitur imperfecto. — 461. Contingentia supponunt necessarium. — 462. Composita supponunt simplex. — 463. Simplex et compositum in ordine cognitionis. — 464. Finita supponunt infinitum. — 465. No-

tionis infiniti origo. — 466. Idea Dei, idea infiniti, idea entis. — 467. Cartesii et ontologorum error. — 468. Objectiones. — 469. Quomodo finita supponunt infinitum. — 470. Creatura potestne esse infinita. — 471. Multitudo infinita. — 472. Magnitudo infinita. — 473. Objectiones. — 474. Mutabilia supponunt immutabile.

CAPUT XXVI

De categoriis et speciatim de substantia. De persona.... 223

475. Categoriæ. — 476. Categoriæ sunt objectum logicæ et metaphysicæ. — 477. Quomodo ens sit principium categoriarum. — 478. Categoriarum ordinatio secundum Aristotelem. — 479. Substantia. Essentia. — 480. Hujus notionis origo. — 481. Substantia per accidentia cognoscitur. — 482. Quarumdam definitionum critica. — 483. Substantiæ species.

Thesis. — *Conceptus substantiæ non est figmentum mentis, sed exprimit aliquid reale et objectivum. — Unà cum substantiâ invenitur in creaturis intellectu prœditis et specie completis personalitas, — quæ realiter distingui videtur a naturis singularibus earum. — Quidquid sit, personæ identitas reponi nequit in memoriâ et conscientiâ, quibus persona cognoscit seipsam.*

484. Notionis substantiæ objectivitas. — 485. Persona. — 486. Personæ et naturæ distinctio. — 487. Personalitas non est aliquid negativum. — 488. Objectiones.

CAPUT XXVII

De accidentibus in genere et speciatim de quantitate, de qualitate et relatione........................... 233

490. Accidens; ejus species. Modi accidentales.

Thesis. — *In rebus creatis, præter substantiam, dantur realia accidentia (qualitas et quantitas), a substantiâ realiter distincta; — unde non videtur repugnare divinæ virtuti ut ea conservet separata a substantiâ cui antea inhærebant. — Speciatim de quantitate, ejus essentia distinguitur a substantiâ corporali, — et non consistit in divisibilitate vel extensione externâ, sed potiùs in divisibilitate vel extensione internâ. — Accidentibus absolutis superveniunt relationes, quarum plures sunt reales.*

491. In creatis, accidentia realiter distinguuntur a substantiâ. — 492. Accidentia absoluta possuntne existere separatim? — 493. Objectiones. — 494. Essentia quantitatis non est essentia ipsius substantiæ. — 495. Ubi reponenda est essentia quantitatis? — 496. Objectio. — 497. De qualitate. — 498 Qualitatum proprietates. — 499. Qualitatum species. — 500. De habitu. — 501. Habitûs necessitas. — 502. De relatione. — 503. Relationum species. — 504. Adsunt relationes reales. — 505. Relationum proprietates.

CAPUT XXVIII

Pages.
De spatio et tempore........................... 241

506. Spatium et tempus.

Thesis. — *Spatium reale seu locus universalis corporum definiri potest : relatio dimensionum totius universi cum omnibus quæ in eis continentur. — Quod ad tempus spectat. est essentialiter successiò; tempus verò proprie dictum, est successio uniformis, numerus et continuitas in motu. — Unde tempus, etiam infinitum, non est æternitas.*

507. Locus, spatium. Spatium reale, imaginarium. — 508. Opiniones de spatio. — 509. Critica. — 510. Vera notio spatii. — 511. De vacuo. — 512. Spatium reale est finitum. — 513. De tempore ejusque naturâ. — 514. Tria sunt elementa temporis : præteritum nempe, præsens et futurum. — 515. De tempore spiritûs. — 516. Ultima quæsita de tempore. — 517. Opinionum de tempore critica. — 518. Tempus et æternitas.

CAPUT XXIX

De causis.. 253

519. Causa. Effectus. — 520. Notio causæ explicatur. — 521. Causa et principium comparantur. — 522. Causa et occasio, conditio.

Thesis. — *Causa non est merum antecedens, neque effectus est merum consequens; sed causa est id quod effectum producit : quæ notio est objectiva. — Quod ad causam efficientem spectat, ejus existentia et natura per effectus aliquo modo cognoscuntur. — Indubium est entia creata, sive spiritus, sive corpora, esse invicem veras causas efficientes, non autem meras occasiones. — Eorum actio et virtus ab eorum substantiâ distinguuntur. — De causis intrinsecis, nempe de formâ substantiali et materiâ primâ, utriusque existentia est indubia.*

523. Causa non est merum antecedens. — 524. Origo ideæ causæ. — 525. Causarum divisio. — 526. De causâ efficiente; ejus species. — 527. Effectibus manifestatur causa. — 528. Corollaria. — 529. Causalitas creaturarum. — 530. Occasionalismi confutatio. — 531. Objectiones. — 532. Actio et virtus in creaturis. — 533. Objectio. — 534. Alia quæsita. — 535. Materia prima et forma substantialis.

CAPUT XXX

De causa finali.................................. 267

536. Causa finalis ; ejus species.

Thesis. — *Finis est vere et proprie causa, distincta a causâ efficiente — et quidem præstantior, saltem sub quodam respectu. — Ejus efficientia est universalis ; — unde casus vel fortuna absolute*

non est. — Quærere autem causas finales non est supervacuum in scientiis. — Ad causam finalem reduci potest causa exemplaris seu idea, quatenus est principium operandi (idéal).

537. Finis est vere et proprie causa. — 538. Causa finalis est distincta a causâ efficiente. — 539. Præstantia causæ finalis. — 540. Causæ finalis universalitas. — 541. De casu. De fato. — 542. Causarum finalium inquisitio. — 543. De causâ exemplari.

CAPUT XXXI

De pulchro 273

544. Pulchrum. Æstheticæ locus. — 545. Pulchrum est objectivum et absolutum. — 546. Pulchrum quatenus est objectum philosophiæ. — 547. Pulchrum cum vero et bono comparatur. — 548. Pulchrum et unitas; ordo. — 549. Pulchri characteres. — 550. Leges pulchri secundùm Kantium. — 551. Pulchrum et utile. — 552. Pulchrum ideale; pulchrum reale. — 553. Pulchrum naturale, artificiale, morale. — 554. An pulchrum sit essentialiter sensibile? — 555. Pulchrum sublime. — 556. Æsthetica. Ejus leges præcipuæ. — 557. Ars propter artem. — 558. Realismus et idealismus.

COSMOLOGIA

CAPUT XXXII

De mundi characteribus quibus a Deo distinguitur. Pantheismi confutatio 279

559. Hujus tractatûs locus. — 560. De mundo et scientiis quæ illum spectant. — 561. Cosmologiæ divisio.

Thesis. — *Mundus est ens undequaque compositum, — mutabile, — finitum, — contingens — et ab alio. — Absurdum est igitur dicere, cum pantheistis, Dei et mundi esse eamdem essentiam, vel eamdem naturam, vel eamdem substantiam.*

562. Mundus est compositus. — 563. Mundus est mutabilis. — 564. Mundus est finitus. — 565. Mundus est contingens. — 566. Mundus est ab alio. — 567. Conclusio. — 568. De pantheismo. — 569. Emanatio. Pantheismus indicus. — 570. Pantheismus realis. — 571. Pantheismus idealis. — 572. Pantheismi confutatio in genere. — 573. Pantheismus Spinosæ. Critica. — 574. Fichte. — 575. Schelling. — 576. Hegel. — 577. Objectiones.

CAPUT XXXIII

De origine mundi et de creatione 289

578. Opiniones de origine mundi.

THESIS. — *Materia ex quâ mundus constat non existit a seipsa ; — unde mundus qualis hodie videtur non est effectus concursionis fortuitæ atomorum. — Neque possibile est mundum emanasse a substantiâ divinâ. — Sola hypothesis creationis admitti potest. — Insuper creatio est libera — et, in hypothesi creationis, mundus absolute perfectissimus non est necessarius.*

579. Materia non est a se. — 580. Objectiones. — 581. Mundus non est effectus concursionis fortuitæ atomorum. — 582. Mundus oriri non potuit per emanationem divinæ substantiæ. — 583. Objectiones. — 584. Sola hypothesis creationis admitti potest. — 585. Potestas creandi est omnino incommunicabilis. — 586. Contra creationem objectiones. — 587. Creatio est libera. — 588. Optimismus ; ejus formæ seu species. — Optimismi absoluti confutatio. — 590. De progressu indefinito. — 591. Objectiones contra libertatem Creatoris. — 592. Objectiones optimistarum.

CAPUT XXXIV

DE ANTIQUITATE MUNDI.. 302

593. Utrùm mundus inceperit? — 594. Opinio S. Thomæ. — 595. Opinio card. Zigliaræ. — 596. Opinio opposita. — 597. Mundus ab æterno existens repugnat. — 598. Objectio. — 599. Rationes non demonstrativæ contra creationem ab æterno.

CAPUT XXXV

DE ULTIMO FINE MUNDI NECNON DE EVOLUTIONE............. 306

600. Hujus capitis objectum.

THESIS. — *Finis ultimus mundi est gloria Dei, scilicet bonitatis et aliarum perfectionum divinarum communicatio et manifestatio. — Finis autem proximus non est evolutio absoluta vel progressus indefinitus quo tollerentur distinctio et immutabilitas omnium specierum ; — sed ille finis consistit potiùs in ordine generali rerum, in intimis et mutuis relationibus quibus omnia et singula entia simul perficiuntur. — Unde hypothesis plurium mundorum non nisi cum temperamento admitti potest.*

601. Finis ultimus mundi est Deus. — 602. Objectiones. — 603. De evolutionismo. — 604. Species æquivocæ. — 605. De transformismo ; ejus historia. — 606. Lamark. — 607. Geoffroy Saint-Hilaire. — 608. Cuvier. — 609. Darwin. — 610. Evolutionismus hodiernus et absolutus. — 611. Evolutionismus mitigatus. — 612. Sententia de possibilitate evolutionis. — 613. Evolutionismus a quibusdam veritatibus distinguendus est. — 614. Evolutionismi critica philosophica. — 615. De specie mediâ quæ a scholasticis admittitur. — 616. Animadversiones contra Leibnizium. — 617. Transformismus adversatur principio causalitatis. — 618. Evolutionismi mitigati critica. — 619. De notione speciei relatâ ad transformismum. — 620. Evolutionismi critica scien-

tifica. — 621. Quæstio de evolutionismo ést præsertim philosophica. — 622. Objectiones. — 623. Quomodo mundus finem suum attingit. — 624. Ordo generalis entium. — 625. Unitas ex causâ exemplari. — 626. Unitas dynamica. — 627. Moralitas, totius naturæ finis. — 628. Unitas ex fine. — 629. Hypothesis de mundorum pluralitate.

CAPUT XXXVI

DE LEGIBUS NATURÆ NECNON DE MIRACULO.................. 318

THESIS. — *Quamvis existant leges naturæ, — unde exsurgit ordo naturalis, — hic ordo est contingens — eique supervenire potest ordo superior et supernaturalis. — Unde miracula sunt possibilia. — Quæ confundere non licet cum portentis vel præstigiis magnetismi, spiritismi et hypnotismi.*

630. Naturæ notio. Ordo naturalis ; ordo supernaturalis. — 631. Natura legibus regitur. — 632. Est ordo naturalis. — 633. Ordo naturæ est contingens. — 634. Ordo naturalis cum ordine supernaturali conjungi potest. — 635. De miraculo. — 636. Miraculorum species. — 637. Miraculi notiones falsæ. — 638. Possibilitatis miraculi negatores. — 639. Miraculum est possibile. — 640. Objectiones. — 641. De mirabili : magnetismo, hypnotismo, etc. — 642. De spiritismo. — 643. De hypnotismo. — 644. Variæ sententiæ. — 645. Conclusio. — 646 Objectiones.

CAPUT XXXVII

DE CORPORUM PRIMIS PRINCIPIIS : DE ATOMISMO, DE DYNAMISMO NECNON DE SYSTEMATE MATERIÆ ET FORMÆ................ 328

THESIS. — *Neque atomismus purus, — neque atomismus chimicus, — neque dynamismus essentiam corporum explicant. — Atomismus verò dynamicus reduci potest ad systema materiæ et formæ, — quo solo solvitur quæstio de compositione corporum. — Quo solo etiam explicantur generationes aliæque rerum transformationes substantiales.*

647. De atomismo puro. — 648. Atomismi mechanici critica. — 649. De atomismo chimico. — 650. Compositorum species secundùm scholasticos. — 651. Atomismi chimici critica. — 652. De dynamismo. Sententia Leibnizii. — 653. Boscovich, etc. — 654. Dynamismi critica. — 655. Quid de atomismo dynamico? — 656. Materiæ et formæ systema expositum et vindicatum. — 657. De materiâ primâ. — 658. De formâ substantiali. — 659. Theoriæ scholasticæ veritas. — 660. Ratio petita ex mutationibus substantialibus. — 661. Objectiones.

CAPUT XXXVIII

DE PRINCIPIO INDIVIDUATIONIS.............................. 341

662. Hujus quæstionis difficultas et locus ; ejus objectum. —

663. Prima opinio. — 664. Secunda opinio. — 665. Tertia opinio. — 666. Quarta opinio. — 667. Individuatio apud hominem.

CAPUT XXXIX

DE CORPORUM QUANTITATE : CONTINUITATE, DIVISIBILITATE, etc. 344

THESIS. — *Quantitas seu extensio corporum non est merum phænomenon, sed est vere objectiva — et necessariò continua, — saltem in atomo. — Ex hac continuitate autem non sequitur corpora esse in infinitum divisibilia. — Essentia quantitatis sedulò distinguenda est tum a corpore, quod est ejus subjectum, tum a proprietatibus cujus est principium seu fundamentum.*

668. Quantitatis objectivitas. — 669. Objectiones. — 670. Materiæ continuitas. — 671. Variæ hypotheses de continuo. — 672. Atomi continuitas. — 673. Corpora suntne divisibilia in infinitum ? — 674. Quantitatis essentia. — 675. Conclusiones. — 676. Totum integrale et totum substantiale. — 677. Impenetrabilitas. — 678 Bilocatio, multilocatio. — 679. Corollarium de Eucharistiâ. — 680. Objectiones.

CAPUT XL

DE ALIIS CORPORUM QUALITATIBUS ; SPECIATIM DE FIGURA, ACTIVITATE ET MOTU 351

681. Variæ sententiæ de qualitatibus.

THESIS. — *Qualitatum corporalium objectivitas necnon relativitas sunt indubiæ. — Præcipuæ autem qualitates sunt : figura, quæ fluit ex formâ substantiali eamque significat ; — activitas, quæ est principium motûs omniumque mutationum quæ motu peraguntur. — Motus autem non sufficit ad explicandas corporum qualitates, — ejusque necessitas tanquam medii in omnibus mutationibus corporum demonstrat actionem in distans esse impossibilem.*

682. Qualitatum corporalium objectivitas et relativitas. — 683. De figurâ. — 684. Crystallorum figuræ. — 685. De corporum activitate. — 686. De mechanismo. — 687. Corporum qualitates non resolvuntur in motus. — 688. Objectio. — 689. Quid sentiendum sit de unitate virium physicarum. — 690. Non datur actio in distans.

CAPUT XLI

DE CORPORIBUS VIVENTIBUS : DE VITA IN GENERE 356

691. De vitâ : quomodo vita sit in motu. — 692. Spontaneitas et immanentia. Quædam definitiones examinantur.

THESIS. — *In viventibus inest primum principium vitale, distinctum a materiâ, cujus est perfectio, — distinctum etiam a viribus physicis et chimicis, — indistinctum autem a formâ substantiali, — ideoque unicum in unoquoque vivente.*

693. Principium vitale est distinctum a materiâ. — 694. Principium vitale est distinctum a viribus physicis et chimicis. — 695. Characteres quibus viventia distinguuntur. — 696. Conclusio. — 697. Primum principium vitale est ipsa forma substantialis. — 698. In omni vivente vita est una sicut ipsa forma substantialis. — 699. Vita est multiplex in potentiâ. — 700. Conclusiones contra vitalistas. — 701. Objectiones.

CAPUT XLII

DE VITA VEGETATIVA NECNON DE VITA ANIMALI.............. 361

Thesis. — *In infimo gradu viventium inveniuntur plantæ, quæ differunt essentialiter ab animalibus, etiam maxime imperfectis. — Animalia verò non habenda sunt ut automata, sed informantur animâ sensitivâ — quæ, cùm non sit intellectiva et rationalis, nullo modo spiritualis dicenda est.*

702. De vitæ gradibus. — 703. Vita plantæ. — 704. Planta non sentit. 705. Errores de animâ brutorum. — 706. Animalia non sunt mera automata. — 707. Animalia non intelligunt. — 708. Anima brutorum non est spiritualis. — 709. Objectio. — 710. Species animalium; earum ordinatio.

FINIS INDICIS.

DU MEME AUTEUR

Traité de philosophie scolastique précédé d'un vocabulaire de la philosophie scolastique et de la philosophie contemporaine, nouvelle édition revue, corrigée et complétée. 3 forts vol. in-18 jésus 10 50

Histoire de la philosophie et particulièrement de la philosophie contemporaine. 3 vol. gr. in-16 de 600 p. environ. 10 50

Un spiritualisme sans Dieu, examen de la philosophie de M. Vacherot. In-8 .... 2 »

Etudes sociales, précédées de l'Encyclique « sur la condition des ouvriers », grand in-16 de 476 pages.................. 3 50

Mélanges philosophiques (*1897-1900*), in-8 .... 5 »

Dictionnaire universel de la pensée, *alphabétique, logique et encyclopédique*. Classification naturelle et philosophique des mots, des idées et des choses. Ouvrage spécialement destiné aux professeurs et aux écrivains. 2 vol. grand in-8, ensemble de 1600 pages. Brochés .... 30 »

La reliure en un volume se paie en sus 5 fr.; en deux vol. 10 »

Dictionnaire alphabétique et analogique de la langue française, langue (riche nomenclature), étymologies, prononciation, synonymes, contraires et analogues, histoire et géographie, statistique, notions philosophiques et encyclopédiques, notions morales et religieuses, 3.000 mots illustrés et 800 proverbes, commentés et formant un traité de morale et de sagesse pratique. Un vol. de 1.184 pages, cartonné............... 2 60

Le même, augmenté de près de 2.000 locutions proverbiales, formant 1 vol. de 1.248 pages, relié en percaline rouge.. 3 90

Morale et sagesse pratique en proverbes, commentés d'abord dans l'ordre alphabétique et disposés ensuite méthodiquement. In-8 de 286 pages, enrichi de 12 grav......... 3 »

Petit Dictionnaire logique. In-12 cart............. 3 »


Les Nouvelles Bases de la Morale, d'après HERBERT SPENCER. 1888. In-12.................................... 1 50

Une leçon de philosophie tirée du langage. In-8. » 50

De l Hypnotisme, brochure in-8..................... » 50

Théorie du libre arbitre. In-8..................... 1 50

Lyon. — Imprimerie Emmanuel VITTE, rue de la Quarantaine, 18.


a39003 0008678036